
LIBRARY OF PRINCETON
JUL 23 1914
THEOLOGICAL SEMINARY

William, of Newburgh

Ex Libris Dni Rob: Throckmorton Baronetti.

GUILIELMI NEUBRIGENSIS HISTORIA

Sive CHRONICA

RERUM *ANGLICARUM*,

LIBRIS QUINQUE.



E Codice MS. pervetusto, in Bibliotheca prænobilis Domini

D^ni^. THOMÆ SEBRIGHT,

BARONETTI,

Uberrimis additionibus locupletata,

Longeque emendatius quam antehac edita,

Studio atque industria THOMÆ HEARNII,

Qui & præter JOANNIS PICARDI Annotationes,

Suas etiam Notas & Spicilegium subjecit.

Biblioth: Weston:

Accedunt

Homiliæ tres eidem GUILIELMO

à Viris eruditis adscriptæ,

Partim è Codice præclaro antedicto,

Partim è Codice antiquo Lambethano nunc primùm editæ.

OXONII,

E THEATRO SHELDONIANO,

M.DCC.XIX.

PRÆNOBILI DOMINO

D^no^. THOMÆ SEBRIGHT,

BARONETTO,

THO. HEARNIUS

S.

REDIT ad te, Vir prænobilis & de studiis nostris optime merite, Guilielmus Neubrigensis, ad fidem Codicis tui vetu-

stissimi emendatus, & integritati suæ restitutus plurimisque locis adauctus. Gratias sane immortales tibi esse agendas fatebuntur omnes rei litterariæ studiosi, quod tam prompte è Bibliotheca tua instructissima Codicem hunc nobis porrexeris. Atque ea præcipue de caussa gratulabuntur, quod fœdissimis erroribus jam antea inquinatus fuerit auctor ævo Augusteo, si stilum & fidem Historiæ spectes, pene dignus. Dignissimus proinde & ipse est qui è THEATRO *prodierit* SHELDONIANO. *Id quod ipse optime sciebas, in rebus nostris historicis adprime versatus. Ceterum nequaquam mirandum est, te tam lubenter Codicem auctoris* πολυΐστορος *ac præstantissimi, & multorum, quæ commemorat, fa-*

ctorum

ctorum αὐτόπ]ου, egregium communicaſse, quum ſtudia noſtra promovere nunquam non conatus fueris. Hinc OXONIÆ *commoratus benigniſſime me excepiſti, & ſubinde docte de Antiquitatibus tam Græcis quam etiam Romanis & Britannicis diſſeruiſti. Adeo ut non potuerim non laudare cum ingenium tum & ſermones tuos quotieſcunque te videre & audire mihi datum eſt. Nec eſt quod alicui mirabile videatur, te, ſtudiis optimis imbutum litteriſque interioribus ab ineunte ætate probe inſtructum, conceſſiſſe, ut auctor, qui Galfridum Monumethenſem refutat, in lucem denuo edatur; quum certiſſimum ſit te veritatis eſſe cultorem, eamque tibi potiſſimum probatam eſſe philoſophiam, quæ par-*

tium

tium ſtudio minime faveat. Abſit ut omnia apud Galfridum reprehendamus. At nemo ſapiens ea laudibus extulerit quæ ridicula plane ſunt & abſurda. Minime tamen ignoro, opinionem præjudicatam tantum apud nonnullos valere, ut etiam ſine ratione valeat auctoritas Galfridi aliorumque id genus auctorum. Quod vitio judicii hominumque tarditate arbitror contigiſſe. Qua in re te etiam mecum conſentire cenſeo, quippe qui exploratum habes intereſſe plurimum inter hiſtoricos qui vera à falſis disjungerent, & rhapſodiarum collectores qui fabulas pueriles commiſcerent veris narrationibus. Et tamen fatendum eſt, Galfridum interpretem tantum fuiſſe non auctorem hiſtoriæ quam vocavit Britanni-

tanni-

tannicæ, eoque nomine veniam mereri. Verum hæc alias. Nunc quod cœpimus, Guilielmum nostrum intueamur, scriptorem æquum, libero judicio, nullaque ejusmodi adstrictum necessitate, ut sibi ea tuenda esse duxerit quæ ab ipsa ratione abhorrerent. Itaque legant relegantque juvenes, tuum exemplum imitati, qui expertus nosti ex ejusmodi scriptoribus perdifficiles & perobscuras quæstiones de juribus Ecclesiæ & Regum explicari posse. Vale. Ex Aula Edmundi OXONIÆ *prid. Non. Jul.* A.D. M.DCC.XIX.

THO.

THO. HEARNIUS LECTORI.

§. I. DECIMUS sextus jam vertitur mensis, amice Lector, ex quo *Guilielmi Camdeni Elizabetham* in lucem emiserim. Quo opere pene absoluto, Codicem MS. à praenobili Domino D^no^. Thoma Sebright, Baronetto (Codices è Bibliotheca sua instructissima mecum benignissime communicare semper parato) mutuo accepi, Guilielmi Neubrigensis Historiam, sive Chronicam, rerum Anglicarum complectentem. Jam antea conjeceram, Historicum hunc egregium fœdissime inquinari. Conjecturam firmat Codex MS. Pauculis enim paginis collatis, exemplaria impressa innumeris erroribus scatere, & hinc inde quamplurima magni momenti desiderari deprehendi. Hinc de nova editione cogito, quantumvis ne tanto oneri ferun- Ratio procedendi in hac nostra Chronicæ Guilielmi Neubrigensis editione.

do impar futurus essem, vererer. Quam etiam ut in me susciperem, tantique pretii Codicem ab interitu vindicarem, hortati sunt amici eruditi, in quibus & ipse Dominus Thomas Sebright jure optimo numerandus. Tandem igitur prelo mandatur fœtus hic eximius Guilielmi, vehementerque omni studio atque opere laboravi ut quam emendatissime prodiret; ea nempe methodo in progrediendo servata, ut textum ad fidem Codicis MS. expresserim, priorumque Editionum (Antverpiensis nimirum & Parisiensis, nam Heydelbergensis non pro nova editione, sed pro nova tantummodo impressione juxta editionem Antverpiensem, summariis tamen capitulorum omissis, est habenda) discrepantias ad infimam paginæ oram collocaverim; annotationes vero uberiores, tam scilicet Picardi quam & nostras, ad calcem operis rejecerim.

Huic Editioni Reliquias quasdam Theologici argumenti subjecimus, auctore itidem, ut videtur, Guilielmo nostro.

§. II. Sed præter Chronicam continet Codex noster λείψανα quædam Theologici argumenti. Hinc sane ad ejusdem initium hæc exstat nota à manu veteri, sed non eâdem à qua & ipsa historia exarata: *Liber Sanctæ Mariæ de Novoburgo. In hoc volumine continentur hæc*: "*Historia Anglorum.* "*Omelia super*, cum loqueretur Ihesus ad turbas. "*Sermo de Trinitate. Sermo de Sancto Albano.*" Et hasce quidem Reliquias (quas Guilielmo nostro recte [1], ut mihi videtur, adscribunt viri eruditi,)

1. In Historia Bedam *veracem* appellat. Idem Epitheton in Sermone de Sancto Albano, p. 879. In quo Sermone & Britonum se calumnias non formidare declarat, p. 874.

diti,) ſubjicere etiam viſum eſt. Fatendum tamen eſt, in Codice noſtro imperfectas eſſe. Sermo nimirum de Trinitate maxima ex parte mutilatur; & nonnulla itidem deſiderantur in Sermone de Sancto Albano: quæ tamen omnia è Codice antiquo Lambethano meam in gratiam ſupplevit Juvenis eruditus, Edvardus Burtonus, è medio Templo Londini, Armiger.

§. III. Verum non eſt mirandum, auctoris nos habere haſce in Theologia Reliquias, quum Theologum (monaſticos errores ſi excipias) eximium fuiſſe ſatis manifeſtum mihi eſſe videatur. Nam Explanationem in Cantica Canticorum luculentiſſimam ſcripſit, quam Cantabrigiæ & Novoburgi ſe vidiſſe monuit Lelandus [1]. Quod quidem opus contexuit rogatu Rogeri Abbatis ſecundi Bellalandæ, (cui dicavit [2]) annis nimirum aliquot antequam Chronicam conſcripſerit. Unde liquet, Rogerum de auctore noſtro præclare ſenſiſſe, viro nempe judicio acutiſſimo & doctrina ſingulari ornato. Porro docuit Lelandus [3], intra unum annum concinnaſſe auctorem; haud aliter ſcilicet atque Plinius Hiſtoriam Naturalem (quantumvis in eadem viginti millia rerum obſervatione dignarum ex lectione voluminum circiter duûm millium complexus ſit) intra anni unius ſpatium condidit, ut è notis chronologicis collegit Hen-

Qui & Explanationem in Cantica Canticorum ſcripſit.

1. Coll. Vol. IV. p. 19. & 37. 2. Vide ad imam partem paginæ 218. Hiſtoriæ quam edimus. 3. Loc. cit.

ricus Dodwellus [1], monumentum immortale Cathedræ Camdenianæ, & ſine dubio clariſſimum lumen temporis ſui. Ceterum non tantum ſcripſit, ſed & edidit Explanationem hanc Guilielmus. Hinc ſane conſtat, probaſſe eruditos, alioqui in lucem publicam prodire non permiſſuros. Nam hiſce temporibus ſummam curam adhibebant ſapientes, ne ſcripta jejuna atque inerudita juris publici fierent. qua de cauſſa auctorum qui iiſdem temporibus floruerunt apophoreta à rei antiquariæ vitæque privatæ ſtudioſis magna æmulatione perlegenda eſſe mihi videtur, illos præcipue imitatis, qui relicto foro, & cauſſarum actionibus, in mitioribus ſtudiis ætatem conſumpſerunt, ſatius eſſe ducentes, modico civilique cultu contentos vivere, quam bona animi turpi quæſtu peſſimo exemplo fœdare.

Ex opere noſtro certe liquet, in antiquitatibus atque hiſtoriis verſatiſſimum fuiſſe.

§. IV. Jam ex opere noſtro facile omnes intelligent, auctorem noſtrum in antiquitatibus hiſtoriiſque ita verſatum fuiſſe, ut ejuſdem ætatis aut nemo, aut pauci plures libros perlegerint, & qui omne tempus, quod ipſi à ſacris in cœnobio negotiis datum fuit, in his ſtudiis laboribuſque conſumpſerit, quo paratior ad res in Britannia noſtra geſtas litteris conſignandas

1. Some time ſince Mr. Dodwell read over Pliny's Natural Hiſt. with Mr. Cherry of Shottesbrooke, and extracted all the Chronological Notes out of it, by which he gathers that this Work was compiled in the ſpace of a Year. E Diario noſtro pro an. M.DCC.VII. ſub Nov. 15.

eſſe

esse posset. Id quod præclare sciverat Ernaldus (sic enim legendum non *E.* tantummodo ut in Editionibus aliis) Abbas Rievallis, qui ad opus aggrediendum impulit, cuique proinde dicavit consecravitque, licet librum primum & aliquot libri secundi capitula duntaxat eidem offerre permissus fuerit, jam mortuo antequam ad umbilicum duceretur totum opus, ut recte è Nicholao Rievallensi observavit Picardus [1]. Non alia certe de caussa Bedam assidue pervolvit, quem *celebriora subtili brevitate* (non, ut antea edebatur, *gravitate*) *gesta perstrinxisse* testatur [2]. Hinc & ipsum quoque Gildam legit relegitque, Historicum perveterem & in paucissimis bibliothecis adservatum, utpote sermone admodum impolitum atque insipidum, ideoque susque deque à plerisque habitum. Et tamen Gildæ integritatem laudat, in gentis suæ facinoribus atrocissimis detegendis atque damnandis diligentissimum.

§. V. Itaque quum tantus historicus atque antiquarius fuerit noster, nemo mirabitur, nos in eo accurate edendo operam collocasse, præcipue quum nacti fuerimus Codicem optimum, quique perplures annos cum tineis & blattis rixatus est. Imo tantæ auctoritatis est Codex iste, ut mihi videatur illum ipsum esse Codicem, quem bibliothecæ cœnobii de Novoburgo dono dedit ipse auctor. Certe ad cœnobium spectasse

Dignissimus est proinde qui à nobis edatur. Auctoritas Codicis quo usi sumus.

1. Not. in Epistolam Guilielmi nostri Præfacionalem. 2. Pag. 6.

è nota

è nota ſuperius edita colligimus; quantumvis Novoburgi nuſquam comparuerit hiſtoria noſtra quo tempore cœnobium viſitaverit Lelandus [1], qui tamen teſtatur [2] exſtitiſſe in bibliotheca Wellenſi. Et eo ipſo ſeculo quo floruerit auctor Codicem noſtrum exaratum fuiſſe cenſuit etiam D. Rogerus Twyſdenus, Eques Auratus & Baronettus, Vir utique optimus, & commemorabili pietate ac virtute præditus, qui & ipſe divulgare in animo habuit, ut è Codice impreſſo, ab ipſo quamplurimis locis calamo emendato, conſtat, quem Codicem mecum item communicavit præſtantiſſimus Dominus Dns. Thomas Sebright. De hoc Codice ſimul atque mihi nunciatum eſt, eundem eſſe cum eo quo uſus eſt Picardus exſtimavi. Sed me falli illico docuerunt amici, quorum ſententiam idcirco libenter ſum amplexus, quod ex ipſo Codice eam firmari paullo poſt expertus fuerim.

Guilielmi noſtri modeſtia.

§. VI. Jam hoc conſideremus, cujuſmodi hiſtoricos inter monachos noſtros ſimus reperturi, ſi omnes eadem modeſtia fuiſſent ornati qua & noſter. Et quidem multos hac parte excelluiſſe nemo diffitebitur; at neminem noſtrum ſuperaſſe è variis hiſtoriæ patebit locis. Hinc ſane tam caute quam quis unquam fabulas aniles vitavit. Nam quamvis nonnullæ id genus irrepſerint, hæ tamen tribuendæ ſeculi potius vitiis, quam Auctoris ingenio, qui de earundem

1. Vide ejus Coll. Vol. III. p. 37. 2. Ibid.

veritate

veritate subdubitavit. Unde in capitulo illo [1] *de quibusdam prodigiosis* hæc verba profert: *Mirum plane si talia olim contigere, cum nihil tale in libris veterum reperiatur, quibus utique ingens studium fuit memorabilia quæque litteris mandare.* Et recte è silentio librorum veterum concludit, hujusmodi prodigia ibi non commemorata pro veris non esse habenda, quum & auctores omnium vetustissimi prodigia pariter atque somnia, quotiescunque acciderunt, scriptis prodiderint; à quibus & hanc consuetudinem ad mediæ antiquitatis auctores emanasse opinor. Qui tamen omnia credenda esse neutiquam volebant. Quippe qui optime sciebant plurima fuisse conficta. Id quod de quibusdam prodigiis à se commemoratis agnoscit Livius. Sic enim ille [2]: *Prodigia eo anno* (Urb. Cond. DXXXVIII. Ante Chr. CCXIV.) *multa nunciata sunt. quæ quo magis credebant simplices ac religiosi homines, eo etiam plura nunciabantur.* Ubi τὸ *etiam* delendum esse tam è nostris quam ex aliis Codd. MSS. monuimus [3]. Nec tamen omnia pro prodigiis habenda sunt quæ in veteribus auctoribus prodigiorum similia esse videntur. Alioquin & ista Thucydidis lib. II. c. 77. belli Peloponnesiaci minus esse vera pronunciares: Ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὑτὴν, ἀπὸ ταυτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ἀπ' αὐτοῦ ἀνῆκε. Quæ quidem à Vitruvio ad ini-

1. L. V. c. 24. 2. Hist. lib. XXIV. c. X. Ed. nostræ. 3. In var. Lectt.

tium

tium capitis I. libri II. firmantur. Sic enim ille: *Homines vetere more, ut feræ, in ſilvis & ſpeluncis & nemoribus naſcebantur, ciboque agreſti veſcendo, vitam exigebant: Interea quodam in loco ab tempeſtatibus & ventis denſæ crebritatibus arbores agitatæ, & inter ſe terentes ramos, ignem excitaverunt: & eo, flamma vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, ſunt fugati.* Neque aliunde plane eſt quam à modeſtia, quod omnia quæ fecerit Beckettus laudanda eſſe pernegaverit noſter Guilielmus. Et tamen humillime agnoſcit [1], *ſuæ parvitati nequaquam concedi de tanti viri actibus temere judicare*; adeo ut tam Beckettum quam & ipſum regem culpandum eſſe cenſuerit. Hac morum ſuavitate, quum alii fere hiſtorici monaſtici ſint acerbi, multorum amicitiam demeruit. Quum vero animo eſſet à tumultibus urbanis alieno, ſeceſſumque amaret litterarium, intra cœnobii parietes vitam agebat, totum ſe ſtudiis pietatis litterarumque ſacrarum & profanarum conſecrans. Multi autem erant qui à ſeceſſu litterario perducere ſtudebant; quorum tamen monitionibus pro virili obſtabat, tantumque abfuit ut aulicos ſibi conciliare vellet, ut nomen ſuum omnino tacendum eſſe duxerit. Cautus igitur erat & in nomine proferendo, quotieſcunque epiſtolas ſcribere neceſſe habebat. Et tamen boni mores ſuadebant hiſce occaſionibus edere. Si iſti hoc non poſtulaſſent, ſuum nomen

1. Pag. 185.

hac

hac ipſa in hiſtoria non prodidiſſet. *Guilielmum* fuiſſe Patrono ſignificavit, indicavitque ſe de Novoburgo Canonicum fuiſſe. Quodnam autem fuerit cognomen ex hiſtoria noſtra non ediſcimus. *Parvum* tamen ſive *Petitum* fuiſſe docuerunt Lelandus aliique. Itaque quum cognomen minus eſſet notum, *Neubrigenſis* vulgo audiit à Prioratu in quo vixit. Neque alio titulo citant plerique. *Guilielmum* igitur *Neubrigenſem* & nos appellavimus. Sed alii *Novoburgenſem* ſive *Neuburgenſem* pro *Neubrigenſi* reponendum eſſe contendunt. (in quibus & ipſe numerandus eſt cl. Barlovius [1], Epiſcopus nuper Lincolnienſis.) Neuburgenſem enim eccleſiam commemorat ipſe auctor. Neque diffiteor. Malui tamen appellationem vulgarem retinere, ne pro novo auctore haberes. Id quod etiam fecit Picardus. Quin & non deſunt rationes quæ *Neubrigenſem* etiam recte ſcribi ſuadeant. Quod enim nos **Burg** ſive **Burrow** [2] appellamus in quibuſdam plagis vocitatur **Brig** & **Berg**. Inde & oppidum de Newbury in agro noſtro Bercherienſi poteſt

---

1. In notula quadam MS. ad initium Guilielmi Neubrigenſis Heydelbergæ excuſi. 2. Burrow **is a City or Town, as** Atleburrow, Peterburrow. **And that is the ſame the Germans call** Burg, **as** Strasburg. **Which is ſometime miſtaken in pronouncing it for** Berg, &c. Ita v. cl. Joannes Nordenus in libello rariſſimo, (è quo excerpta aliquot egregia, nam ipſum opuſculum nondum vidi, mihi dono dedit cl. Bagfordius) cui tit. **A Preparative to** *Speculum Britanniæ* (cujus partes quædam lucem adſpexerunt, reliquæ deliteſcunt) Londini 31. paginis (in 8vo.) excuſo A. D. 1596.

etiam tam Newbrig sive Newberg vocari quam & Newburg. Vox idem valet quod & *Novus burgus*. Neque hujusmodi commutatio litterarum Græcis ipsis inusitata. Inde certe Βίργυ pro Βέργυ in Ptolemæi Geographia, Ed. Græc. Bas. 1533. (cujus exemplar penes me habeo cum Notis MSS. V. undiquaque doctissimi Henrici Jacobi è collegio Mertonensi) ut observavit Antiquarius eruditissimus Thomas Savillus, cujus notulas in Ptolemæum ad finem Præfationis [1] hujus exhibebo. Inde etiam Φαιουντίυς pro Φλιουντίυς habet Diodorus Siculus, quos quidem Φλιασίυς appellat auctor multo antiquior Xenophon. Verum utraque lectio, tam nimirum Φλιούντιοι quam & Φλιάσιοι, recte se habet. Analogiæ enim Grammaticæ consentaneum est ut à Φλιῦς, Φλιῦντος, Φλιούντιοι tam commode vocentur quam etiam Φλιάσιοι. Quod si vocem apud Diodorum corruptam esse existimes, me plane dissentientem non habebis, modo adstipulentur Codices MSS. Apud Pollucem ἰζάνη pro ἰζάλη, vel ἰσάλη, quæ & ipsa depravatio est vocis ἰξαλῆ. Quum vero apud eundem Bacchi scutum θύραιος nominetur, non est quod suspiceris θύρεος reponendum esse. Scriptura [2] enim multis locis confirmatur. Et quidem appellatio indita à similitudine θύρας. Ecce Pollucis verba [3] : Ἡ Σατυρικὴ ἐσθὴς νεβρὶς, αἰγῆ, ἣν καὶ ἰζάνην ἐκάλυν, ἢ τραγῆν·

1. Vide Num. I. 2. Videsis Is. Casaub. de Satyrica Poësi, p. 158. 3. C. XVIII.

καὶ

καὶ τῶ ἐς παρδαλῆν ὑφασμένην. καὶ τὸ θύρσιον τὸ Διονυσιακόν. Et tamen primo intuitu fateberis esse errorem apud Themistii Orationes à Pantino editas ubi τὰς Κάπτας pro τὰς Βάπτας (quæ notissima est appellatio unius è Fabulis Eupolidis) habemus. Male etiam ΣΝΕΠΑΗΣΕ pro ΕΝΕΠΑΗΣΕ (non, cum Marmorum Oxoniensium [1] Editoribus, ΑΝΑΠΑΗΣΕ) in lapide quodam perveteri Galeriæ Bodleianæ. Recte autem EVOPIDI (non, ut iidem Editores [2], EVPOLIDI) in alio ejusdem Galeriæ lapide. Rectius item in aliis ejusdem Galeriæ insignissimæ lapidibus quàm nobis exhibuerunt Editores, utcunque doctissimi. Unum pro multis sufficiet exemplum. En igitur :

TREBELLIA· Ɔ· L· TERTIA
SIBI ET
SILIAE· L· ET· Ɔ· L. FELICIAE DELICIO
LIBERTABVSQVE SVIS· ITA NE· QVI VBI
EGO CONQVIESCO [3] COMVR ATAVI CINERES
SVAS PONAT [4] QVAE ADVERSVS FECERIT [5] VIRGINBVS
DAMNAS ESTOD HS ↀ HMHNS.

Aliter Editores, nempe [6] :

TREBELLIA IL TERTIA
SIBI ET
SILIAE :.... FELICIAE DELICIO
LIBERTABVSQVE ..... QVI VBI
EGO CONQVIESCO CVM VRNA ATAVI CINERES

---

1. N. VII. 2. N. XX. 3. Sic. 4. An pro QVI? Eo modo quo & QVI pro QVAE in Inscriptione apud Montfaucon in Diar. It. p. 24. 5. Sic. 6. Vide n. LVII.

SVAS PONAT QVAE ADVERSVS FECERIT ....
DAMNA SISIO D. HS. H. M. H. N. S.

Atque hanc Inſcriptionem eo lubentius hac occaſione in medium protuli, quod antiquiſſimam, digniſſimamque quæ ingenium tuum exerceat, plane eſſe exiſtimem. Sed hæc forte leviora ſunt quam ut de iiſdem fuſius diſſeramus. Sane de cognomine Hiſtorici noſtri tantum abeſt ut ſim ſollicitus, ut in eo non ſim pugnaturus, quo minus, utrum velis, eligas.

Neque aliter evincitur è detectione errorum Galfridi. Galfridus tamen in omnibus non rejiciendus.

§. VII. At dum hæc loquimur de Guilielmi noſtri modeſtia, videor mihi audire aliquos effutientes, idcirco hæc falſa eſſe, quia Galfridi Monumethenſis auctoritatem labefactare tentavit. Perinde ac ſi quicunque Galfridi Hiſtoriam non defendit ac tuetur pro homine immodeſto illico ſit habendus. Alii modeſtiam potius auctoris noſtri è detectione errorum Galfridi collegerint. Sane pudici eſt mendacia vitare. Contra, mendacia laudare eſt plane hominis vafri, fraudulenti atque improbi. Sapiens erat noſter. Neque igitur laudibus efferendos eſſe cenſebat fautores fabularum. Imo & nominis Britannici amantiſſimus erat. Tantum abeſt ut Humphredum Lhuydum, virum alioquin candidum ac pereruditum, probem, qui inter Britannicæ gloriæ obtrectatores noſtrum numeraverit, indignumque eo nomine qui lucem videret palam prædicaverit[1]. Tamen non diſſimulandum eſt, plura in

1. Fragm. Britan. Deſcript. f. 73. b.

in Galfrido eſſe à veritate minime aliena, utcunque tenebris obducta, uti etiam in Aluredo Beverlacenſi quem deflorabat ſive expilabat [1] Galfridus. At neque Aluredus neque Galfridus mendacia in operibus nomina ſua ferentibus ipſi fingebant. Ea potius attribuenda Scriptori Britannico, è quo quæ ſcriptis prodiderunt in linguam Latinam erant verſa. Et quidem ipſe Auctor Britannicus nunc exſtat in Bibliotheca Collegii Jeſu Oxoniæ. longe auctior ſcilicet Aluredo & Galfrido. Utinam quiſpiam linguæ Britannicæ ſtudioſus ac peritus in lucem publicam edat. Nam plurima inibi habentur lectu & ſcitu digniſſima. Neque dubito quin & Auctor Britannicus ex aliis Antiquitatis laciniis pleraque excerpſerit. Adeo ut neque ipſi prorſus adſcribendæ ſint nugæ illæ Mileſiæ fabulæque aniles quas paſſim interſeruit & in medium protulit. Ejuſmodi fabulæ in aliis itidem occurrunt ſcriptoribus vetuſtiſſimis. ne quidem ipſo Livio Patavino (Hiſtoricorum Latinorum facile principe) excepto, qui temporum priſcorum Hiſtoriam è monumentis nullius quaſi fidei colligendam atque contexendam eſſe ſenſit. Et hoc in ipſo hiſtoriæ ſuæ limine monuit. Neque mirum. Primis enim ætatibus omnia pene memoriæ potius quam ſcriptis mandabant. Atque inde factum ut Bardi etiam dogmata ſua litteris tradere nefas eſſe duxerint. Neque barbaros

1. Vide Præfat. noſtram Aluredo Beverlacenſi præfixam, §. 7.

illos,

illos, quorum mentio apud Xenophontem, qui de Cyro carmina panxerunt publiceque per oppida atque vicos cecinerunt, alios à Bardis re vera fuisse existimârim. φῦναι δὲ ὁ Κῦρος λέγεται καὶ ᾄδεται ἔτι καὶ νῦν ὑπὸ τῶν βαρβάρων εἶδος μὲν κάλλιστος, ψυχὴν δὲ φιλανθρωπότατος καὶ φιλομαθέστατος καὶ φιλοτιμότατος, ὥστε πάντα μὲν πόνων ἀνατλῆναι, πάντα δὲ κίνδυνον ὑπομεῖναι τοῦ ἐπαινεῖσθαι ἕνεκα [1]. Adeo ut mirari non debeamus, tot etiam apud Xenophontem à veritate abhorrere, quippe qui plura quæ nunquam fecerit Cyrus retulerit. Nec quidem ipse ea quæ de Cyri morte narravit vera esse crediderim, quum historiæ apud Justinum, Trogi Epitomatorem, nequaquam sint consentanea. Bardis nimirum ipsis multa accepta retulit, quibus plane simillimi erant Bardi etiam Britannici. Populis enim orientalibus eruditio qualiscunque apud antecessores nostros etiam vetustissimos est tribuenda. Namque Britanniam jam antiquitus ipsis fuisse notam exploratissimum habemus. Britannos memorat ipse Herodotus, licet alio nomine sit usus. Ῥέει γὰρ δὴ (inquit [2]) διὰ πάσης τῆς Εὐρώπης ὁ Ἴστρος, ἀρξάμενος ἐκ Κελτῶν, οἳ ἔσχατοι πρὸς ἡλίου δυσμέων μετὰ Κύνητας οἰκέουσι τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ. Cynetas Cantii nostri incolas fuisse puto, nisi potius pro incolis totius insulæ sint accipiendi, perinde ac si tota insula hisce primis temporibus Cynetii nomine insigniretur. Quum vero Bardi memoriæ tantopere indulgerent,

1. Xenoph. de Cyri Inst. p. 3. Ed. Franc. M.D.XCVI. 2. L. IV. c. XLIX.

rent,

rent, neque ſcriptis vel dogmata vel etiam res geſtas mandarent, neutiquam quidem eſt mirandum tamdiu ipſos quidem litteras ignoraſſe Britones, eas primum inveniente Nemnio, vel potius Nennio, quodam, ut è Codice MS. vetuſtiſſimo [1] colligo; in quo & hanc cauſſam aſſignatam video, nempe quod ignorantiam vituperaret Scholaſticus quidam Saxonici generis. Hiſce itaque ita ſe habentibus, nemo crimini dabit, quod tam multa veritati minime conſona in Auctorem Britannicum irrepſerint. Nedum culpabit ſeu Aluredum ſeu Galfridum qui ejuſdem eſſent interpretes. Recte tamen criminatus eſt Guilielmus noſter, qui ipſum Galfridum mendacia cudiſſe exiſtimaverat. Verum noſtrûm non eſt apologiam pro Galfrido texere. Hoc jam olim fecerunt eruditi, in quibus eſt auctor numerandus fragmenti egregii quod in Collectaneis Smithianis penes me adſervatur. Hoc ad calcem Præfationis [2] ſubjiciam.

Titulus ad initium cujuſque libri male ſe habet apud Picardum, quem proinde auctoritate Codicis noſtri mutavimus, è quo & *hiis* edidimus, ut tam *his* quam *iis* denotet.

§. VIII. A Galfrido ad Codicem Guilielmi noſtri Chronicæ regrediamur. E quo & titulum ad initium cujuſque libri mutavimus. Quum enim à Picardo *Guillelmi Neubrigenſis de rebus Anglicis liber primus*, deinde *ſecundus*, &c. excuderetur, nos *expliciunt capitula. Incipit liber primus*, & ſic deinceps, ſubſtituimus.

---

1. Vide Alphabetum Nemnii, vel Nennii, hujus ad calcem Præfationis noſtræ num. II. 2. Vide num. III.

Nam

Nam & ita proculdubio ipſe auctor. Haud aliter enim in aliis fere omnibus Codicibus. Neque Procemium operis pro parte primi libri habemus, ſecus atque Picardus in hoc plane à primo etiam editore diſſentiens. Atque hîc quoque Codicis MS. auctoritate nitimur. Ex eadem ſimiliter auctoritate eſt, quod nonnunquam *hiis* pro *his* à nobis ſit editum. Aliquando nimirum ambigua eſt ſignificatio. ita ſcilicet ut tam pro *his* quam pro *iis* accipiatur. Hinc factum ut in §. 16. Ciceronis Orationis, quæ vulgo *Divinatio* dicitur, *his* pro *iis* ediderit Lambinus, è Codicibus ſuis, quum alii Codices *iis* plane haberent. Nullus tamen dubito quin diſcrepantia ex *hiis* orta ſit. Sed ecce verba: *Mea fuit ſemper hæc in hac re voluntas, & ſententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui eßent idonei, ſuſcipere, quam me: me ut mallem, quam neminem.* Aliter Lambinus, viz. *Mea fuit ſemper in hac re voluntas, & ſententia, quemvis ut hoc mallem, de his qui eſſent* &c. Alibi item *hiis* in Codd. MSS. Ciceronis, ut tam *his* quam *iis* denotet. Verum hæc forſitan clarius conſtabunt ex Editione noſtra Ciceronis operum jam prelo parata.

Alibi quoque caute ſe geſſit Guilielmus in re orthographica. Quales tyrannorum fuerint nummi quos commemorat incertum. Quædam de ædificiis veterum. Cuneus apud Newark.

§. IX. Aliis ſimiliter in locis perquam erat ſtudioſus Guilielmus eas formas in ſcribendo ſequendi, quæ eo ſeculo quo vixit in uſu fuerunt. Hanc ob cauſſam *Tile* pro *Thule* pag. 10. uſurpavit. Nos tamen *Thule* retinuimus.

Neque

Neque eſt quod inde quiſpiam putet, linguæ Græcæ expertem fuiſſe. Hanc enim probe calluiſſe cenſeo. Et quidem pronunciationi plane eſt adſcribendum. Eodem modo ſcripſerunt alii mediæ ætatis Hiſtorici, ne quidem Joanne excepto Forduno, qui omnigenos qui de Scotia egerant auctores pervolutâſſe videtur. Similiter & *oida* pro *oda* ſcripſerunt aliquot qui linguæ Græcæ affectabant peritiam. Imo eo modo pronunciabant multi, ut ipſi itidem eandem linguam callere viderentur. Inde *Cida* in quibuſdam Codicibus ortum fuiſſe rectiſſime cenſebat Gevartius [1]. Pars nimirum litteræ *O* vel injuria temporis evaneſcebat, vel certe adeo tenuis erat litteræ ductus ut aciem fugeret. Idem dicendum quoque eſt de *Lecduno* pro *Leoduno* in Codicibus Guilielmi noſtri [2] quibus uſi ſunt Editores priores. Sed his omiſſis, nunc demum ea conſideremus, quæ de nummis regnante Stephano percudendis ſcripſit Guilielmus. Hanc ſcilicet in ſententiam [3]: "Caſtella "quippe per ſingulas provincias ſtudio partium "crebra ſurrexerant, erantque in Anglia quo"dammodo tot Reges, vel potius tyranni, quot "Domini caſtellorum, habentes ſinguli percuſ"ſuram proprii nummiſmatis, & poteſtatem "ſubditis, regio more, dicendi juris." Quales fuerint hi nummi mihi nondum eſt ex-

1. Papin. Lect. ad V. Sylv. cap. III. 2. Vide p. 124. Ed. noſtræ. 3. Pag. 75.

ploratum. Neque quales fuerint ſciri poſſe videtur. Ni fallor, ejuſmodi nummi omnes penitus evanuerunt ſubactis tandem tyrannis, aliiſque publicæ pacis perturbatoribus. Nempe diſcindebant, ad exemplum veterum, *οἱ διέκοπτον τὸ ἀδόκιμον νόμισμα*, inquit auctor Etymologici Magni [1], quem Nicam fuiſſe credunt eruditi [2]. Adeo ut mirum non ſit, nullos eorum in ſcriniis eruditorum nunc dierum comparere. Nam non eſt cur ſuſpiceris, eoſdem fuiſſe *blanchas* ſive *blancheas*, monetæ ſcilicet minutioris argenteæ, vel argento & ære mixtæ, ſpeciem, de quibus paſſim in chartis antiquis. Et quidem *blanchas* ſive *blancheas* facillime reperias in ſcriniis doctorum. Imo ipſe inter cimelia antiqua habeo. Scias autem velim, hanc ſpeciem monetæ prohibitam fuiſſe regnante Henrico VI. *Albos* appellabant alii. A colore ſcilicet. Neque quidem alii fere erant iſtiuſmodi nummi atque *ἄσπροι* ſive *δηνάριοι λευκοὶ* Græco-barbari. Neque re vera eſt quod ſuſpicio alicui ſuboriatur inter illos eſſe numerandos propter quos tot monetarii pœnas dabant regnante Henrico I. De qua re hoc modo Chronicon Saxonicum ſub anno M.C.XXV. On þis gær sende se king Henri toforen Cristes messe of Normandi to Engla lande. ⁊ bebead ꝥ man scolde beniman ealla þa minitere þe wæron on Engle-lande heora liman. ꝥ wæs here elces riht hand. ⁊ heora stanen beneðan. ꝥ

1. P. 267. Ed. Sylb. voc. *Διακέκοπται*. 2. Vide cl. Galei Præf. ad Opuſcula Myth. Eth. & Phyſ. edit. Cant. 1671. 8vo.

wæs

ƿæs for se man þe hafde an pund he ne mihte cysten ænne peni at anne market:· And se biscop Roger of Særes-byrig sende ofer eall Engla lande ⁊ bebead hi ealle ꝥ hi scolden cumen to Ƿin-ceastre to Cristes messe:· Ða hi ðider coman þa nam man an ⁊ an. ⁊ benam ælc þonne riht hand. ⁊ þa stanes beneðan:· Eall þis ƿæs gedon ƿiðinnon þa tƿelf-niht. ⁊ ꝥ ƿæs eall mid micel rihte. forði ꝥ hi hafden fordon eall ꝥ land mid here micele fals ꝥ hi ealle [1] abohton:· i. e. *Hoc anno, miſit Rex Henricus ante Chriſti feſtum de Normannia in Anglorum terram, & juſſit omnes monetarios qui erant in Anglia privari membris, ſcilicet quemque dextra manu & teſticulis; quod factum eſt quoniam qui habuit libram non potuit ullam rem mercari uno iſtius denario in quovis foro. Tunc Rogerus Epiſcopus de Særesbyrig miſit per totam Angliam, & juſſit eos omnes intereſſe Wintoniæ ad Chriſti feſtum. Cum eo perveniſſent, ſevocati fuerunt ſigillatim, & præciſa erat cuique dextra manus, ac teſticuli. Totum hoc factum eſt intra duodecim [feſti Natalium] dies, & quidem optimo jure, quippe damnum maximum intuliſſent toti genti tantam vim metalli vitioſi* [2] *coëmendo.* Sed qualeſcunque demum fuerint nummi illi à Guilielmo noſtro memorati, nullus dubito quin nomina oppidorum ubi erant percuſſi præ ſe tulerint. Non ſecus atque in aliis noſtris nummis antiquis fiebat. Nec quidem dubito quin & formas nummorum vere regiorum referrent,

1. Rectius, ex lege Canuti de moneta, aƿorhton. 2. Potius, *fabricando.*

 mone-

monetariorumque itidem nominibus essent signati. Eum in finem ut populus facilius deciperetur. Nam hæc consuetudo nomina monetariorum adponendi admodum erat antiqua. Emanavit scilicet ab ipsis Romanis, in quorum multis nummis A. A. A. F. F. i. e. *Auro argento ære flando feriundo*, videmus. Eædem notæ & in lapidibus occurrunt. Sciendum vero, tam lapides istos quam & nummos ortum suum sumpsisse à triumviris monetalibus. Sed inquies nummos regios non sine summa difficultate adulterari potuisse. Verum res aliter se habuit. Hisce enim diebus nummi ipsi regii admodum erant inelegantes. Proinde nulla arte ad adulterandos opus fuit. Effigies in iisdem si spectemus, necesse est agnoscamus regibus ac principibus quorum nomina ferunt toto cœlo esse dissimiles. Biceps erat (vel saltem σωτνεγία, sive potius σωτνεγάσει, sic enim apud Aristotelem [1] est legendum, vel σωτνεγασμῶ, affectus) Richardus primus si fides nummo apud Speedum. Stipes vero Guilielmus *Conquestor*, ad res agendas ineptus, nulliusque formæ si nummum rarissimum penes amicum nostrum Thomam Rawlinsonum, armigerum, antiqua virum doctrina & fide, sequamur. In quo nummo & ipsum σκῆπτρον, quod dextra tenet, πλακὺ plane est, & βακτηρίας veterum reabse referre videtur. Et tamen ex eodem ipsius dissolutos & perditos mores facil-

1. De Generatione Animalium L. IV. c. III.

lime

ſime quis colligeret. Deformis enim facies, raruſque in capite & in barba (quæ tamen pro more Normannorum ſæpiſſime, ne promiſſa eſſet, tondebatur[1]) pilus, quales fere laſcivi ſunt, non tantum avarum tyrannumque fuiſſe probant, ſed & mulieroſum, & crapulæ ſtuprique plenum, & in luſibus amplexibuſque puellarum pernoctare ſolitum. Idem ſimiliter de nummis Guilielmi Rufi, qui & ipſe *clerum odio habens*[2] ob crudelitatem & ſacrilegia (nam multa ſicut Pater ex fanis religioſiſſimis, quorum aliquammulta nudavit plane ac ſpoliavit[3], per ſcelus, præfiſcine dixerim, & latrocinium abſ-

---

1. Id quod etiam manifeſtiſſimum eſt è picturis aliquibus vetuſtiſſimis. Talis illa pictura in feneſtris de Tamworth quam edidit cl. Dugdalius, in agri Warwicenſis antiquitatibus, p. 823.
2. Vide fol. 38. a. Codicis præſtantiſſimi ac perveteris in Bibliotheca Collegii Orielenſis Oxonii in membranis ſcripti, Regumque noſtrorum Leges ac Statuta complectentis; in quo & multa ad eorum vitas pertinentia. 3. **William Rous te ſecunde ſone to Willm̄ Conquerour was crowned at Weſtmeſter after his fadir the yer of our lord M.$\overset{\text{xx}}{\text{iiii}}$.viii.** **Thys Kyng made the Neweforeſt** [ampliavit duntaxat jam antea à Patre factam] **in the South contre by ſyde the Jle of Wyhȝt, wher ther were befor mony churches and parches. Jn the whiche foreſt he was ſmyte with a brode hoked arowe at his tryſte** [f. bryſte] **at a hontynge that he made with his knyȝt Sr. Water Tyrel on wetyng to hym, wher of the kyng dyed. . . . . This Kyng dede gret grevaunce to holy chirch, and hilde in hys hands the Reveneux of dyvers Biſchop ryches and abbeys.** Hæc è Codice MS. ſtemmata & res geſtas regum Angliæ à Guiliemo Conqueſtore uſque ad Henricum VI. continente (auctore Roberto Cole Canonico Lanthoniæ juxta Glouceſtriam anno M.CCCC.LV.) penes amicum egregium Richardum Furney, A. M.

tulerat)

tulerat) gravi diuturnaque flagravit invidia, dicendum. Neque magis elegantes erant (paucissimos si demas) nummi Anglo-Saxonici & Anglo-Danici. Hoc manifestissimum esse opinor è Dissertatione Epistolari D. Andreæ Fountaine, Equitis aurati, clarissimi quidem veterum nummorum possessoris, pariter atque illorum interpretis scientissimi, una cum celeberrimi Hickesii Thesauro Linguarum Septentrionalium in lucem publicam edita; in qua Dissertatione desiderari video nummum perquam rarum Haroldi regis (qui Edvardo Confessori successit) penes virum doctissimum Joannem Bridges, armigerum, cui perquam humane dono dederat prænobilis Dominus D^ns^. Erasmus Norwich, de Brampton in agro Northamptoniensi, Baronettus, cujus in hortis sub muro quodam antiquo forte fortuna repertus erat. Nummi hujus in parte obversa hanc epigraphen, cum Haroldi προτομῇ, video, HAROLD REEX, in parte vero aversa PVTHERING ON [i. e. *in* sive *de*] EOX (*cester.*) Ita nimirum ut Exoniæ, non, ut alii forsitan, Oxoniæ, percussus fuerit, Putheringque esset monetarius, vel potius *cunei* custos ac præfectus. Et quidem re vera Exoniæ fuisse percussum probat nummus quidam, quem ab eodem v. doctiss. Joanne Bridges mutuo acceperam, cum ÆTHELSTAN REX à parte antica, & LBERTEE MO EOX, i. e. *Elbertee* [ut L idem valeat

leat quod [1] EL] *monetarius Eoxcester*, à parte postica. Non me fugit hunc nummum edidisse v. clarissimum D. Andream Fountaine, qui tamen in eo à nobis dissentit quod ABERTEE MO*neta* (*vel* MO*netarius*) *de* EO*ferwic*, *hodie* York, legendum esse monuerit, perinde ac si duplex crucis forma mox post EO conspiceretur, quum una sit tantummodo, aliaque figura sit plane littera x, eodemque modo expressa quo & eam exprimi videmus in parte nummi obversa. Verum illud neutiquam prætereundum, P in nummo quem diximus Haroldi idem *forsitan* valere quod W. Quod si concedas, *Puthering* idem re vera erit quod *Wuthering* sive *Wythering*. Et quidem multi sunt nummi antiqui in quibus eadem hujus litteræ occurrit forma, non alia nimirum ab Anglo-Saxonica Ƿ. Haud aliter atque apud Romanos *B* sæpissime idem valebat quod *V*, ut illis exploratissimum est qui in monumentis vetustis versantur. Inde certe in hac Inscriptione apud Fabrettum [2],

AGATHEMER
COIVGI BENE
BIBENTI QVE VI
XIT ANN XXXII D XXVIII

bibenti nihil aliud significat quam *viventi*, quamvis correctio immediate sequens VIXIT dubium relinquere videatur, an de bibace, an de sobrie

1. Ejusmodi exempla in iis Æthelstani nummis habemus, in quibus ÆTHLSTAN pro ÆTHELSTAN. 2. Inscr. p. 546.

&

& parce vitam agente intelligi debeat. Inde & in ſacro quodam fragmento mihi dato ab amico egregio Thoma Rawlinſono, *ipſe inuocauit me vel bit*, ut lectori liqueat *u* tam *v* quam & *b* denotare. Male proinde & Edd. illæ quæ apud Juſtinum *Vergamum* pro *Bergomum* habent. Inſcriptiones enim vett. apud Grut. [1] CVRAT. REIP. BERGOM. & [2] BERGOMI PATRONO. Adſtipulantur quoque Tabulæ Peutingerianæ. Sic & noſtrates **Feuerer** [3] pro **Feberer** olim vocabant, perinde ac ſi nunc dierum **Feuruary** pro **February** diceremus. Ad exemplum ſcribarum Græcorum, qui & ipſi φέβρουάριον non φεβρουάριον

1. P. CCCXCII. 2. P. CCCXCVI. 3. Nam hunc in modum ad finem rariſſimi libelli impreſſi (duabuſque ſchedis in folio, quod vocant, comprehenſi) cui tit. **The morale prouerbes of Crystyne**, penes Thomam Rawlinſonum, v. cl.

Explicit.

Of theſe ſayynges Criſtyne was auctureſſe
Whiche in makyng hadde ſuche Intelligence
That therof ſhe was mireur and maiſtreſſe
Hire werkes teſtifie thexperience
In frenſh languaige was writen this ſentence
And thus Engliſhed dooth hit rehers
Antoin Wideuylle therl Ryuers

Go thou litil quayer / and recomaund me
Unto the good grace / of my ſpecial lorde
Therle Ryueris. for I haue enprynted the
At his comandement. folowing eury worde
His copye / as his ſecretarie can recorde
At Weſtmeſtre. of feuerer the xx daye
And of kyng Edward the xvii. yere vraye
Enprinted by Caxton
In feuerer the colde ſeaſon.

menſem

menſem hunc appellabant. Sic enim titulus Martyrii S. Polycarpi ſe habet in MS. vetuſtiſſimo Barocciano: Μηνὶ τῷ αὐτῷ, κγ: Μαρτύριον τοῦ ἁγίου Πολυκάρπου. ἐπισκόπου Σμύρνης τῆς Ἀσίας. πρὸ ἑπτὰ καλάνδων φεβρουαρίων. Παίδεβε etiam in Cod. quodam Græco reperi pro παίδευε. Quin & addi poteſt veteres *voratrum* à vorando, quod nos *Barathrum*, appellaſſe, ut è Gloſſarii veteris Latini calamo exarati penes me auctore anonymo colligo, è quo & illud diſco *vacilla* pro *bacilla* antiquitus fuiſſe pronunciatum. Sic enim ille: *Bacilla dicebantur vaſcula apta ad rotandas pruinas vel carbones, & dicuntur bacilla quaſi vectilia* (*vel vacilla*) *à veo*. Quid quod & ORVIS pro ORBIS in nummo aureo Theodoſii Magni apud Spanhemium habemus, & *Juva* pro *Juba*, *Faviuſ*que pro *Fabius*, in Cod. MS. Galeano Joannis Forduni Scotichronici [1]? Neque illud prætermittendum eſſe arbitror, veteres fortaſſe ſicut ſcribebant etiam ita locutos fuiſſe [2]. Adeo ut nova plane methodo de pronunciatione ſit ſcribendum, ſi opus id genus aliquis aggreſſus fuerit. Atque hæc hactenus. Jam ad inſtitutum redeamus. *Wythering* familia erat antiqua, poſtea ab oppido quod poſſidebant *Witherington* appellata. E qua familia & heros ille celeberrimus oriundus, de quo in Cantilena celebratiſſima (à prœlio inſigni quod in ſaltu Chevienſi accidit) vulgo vocata **Chevy-chase** hiſce verbis:

1. L. II. c. 17. & L. IV. c. 2. 2. V. Quintiliani Inſt. l. I. c. 3.

Then ſtept a gallant Squire forth,
  Witherington was his name,
Who ſaid, he would not have it told
  to Henry our King, for ſhame,

That e'r my Captain fought on foot,
  and I ſtood looking on;
You be two Earls, ſaid Witherington,
  and I a Squire alone.

I'll do the beſt that do I may,
  while I have pow'r to ſtand,
While I have pow'r to weild my Sword
  I'll fight with heart and hand.

Deinde,

For Witherington needs muſt I wail,
  as one in doleful dumps;
For when his legs were ſmitten off,
  he fought upon his ſtumps.

In alia Cantilena de eodem prœlio, ſenſu fere eadem ſed verbis admodum diverſa, Wytharryngton & Wetharryngton vocatur, ut ex ipſa Cantilena è Collectaneis noſtris MSS. jam tandem ad calcem Præfationis hujus in lucem prolata [1] tibi manifeſte conſtabit. Nonnunquam Guidryngton ſcribebant. Hunc enim in modum Inſcriptio vetuſta in Eccleſia de Appleton prope Abingtoniam in agro Bercherienſi :

[2] Here lyeth Johñ Guidryngton gentylmañ which deceſsid the laſt day

1. Vide num. IV. 2. In ſex lineas diſtinximus, quum tres tantummodo exhibeat monumentum.

of

of Decembr: an' dni MCCCCXVIII. of yo^r^.
charite prey for hys soule and
for dorathie his wyfe which after his dethe toke re-
lygyon in the monastary of Syon

Verum enimvero hîc dicet non nemo, *Quamobrem illud* forſitan (*mox poſt* "in nummo quem "diximus Haroldi idem") *in ſuperioribus inſeruiſti? Nonne planum eſt è nummis Guilielmi Conqueſtoris ævo illo quo percuſſus eſt nummus noſter* Ƿ *non aliud fuiſſe à* W? *In illis enim* ƤILLEM (*ſive* ƤILLELM) REX. *quo modo & in nummis Guilielmi Rufi, ejuſdem filii.* Sed lentè quæſo. Ni fallor, tunc Pillem non Willem pronunciarunt. Neque mirum hoc videbitur, ſi conſideretur hodie etiam nos Pilly pro Willy in vulgari ſermone efferre. Haud alio ſcilicet nomine Willam compendiariò vocamus. Quo minus negem formam hancce (Ƿ) in ejuſmodi cerni nummis obſtat Theſaurus Rawlinſonianus. Imo Speedus ipſe exhibuit. Clarius itidem patebit ſi opus de nummis Poſt-Normannicis in lucem emiſerit Amicus doctiſſimus D^ns^. Andreas Fountaine. quod ut tandem faciat det Deus. Ceterum de nummo Bridgeſiano rectius judicabis ex ejuſdem Ectypo, quod proinde viri clariſſimi qui poſſidet ſumptibus atque cura ſculptum ſubjicere non gravabor [1]. idque etiam ea potiſſimum de cauſſa, quod inde aliquantulum conſtabit quanta fuerit Anglo-Saxonum & Anglo-Danorum barbaries, qui ne

1. Vide ad calcem Præfationis, num. V.

recto & naturali ordine litteras in ejusmodi nummis collocare quiverint. Atque hoc quoque similiter dicendum est de Nummis aliquammultis post Normannorum ingressum. Adeo ut hac occasione non possim non revocare in mentem inscriptiones illas vetustissimas, perplexis ductibus, & ordine litterarum retrogrado, de quibus Pausanias hunc in modum[1]: Τῶν[2] δ' ἐπὶ τῇ λάρνακι [τοῦ Κυψέλου] ἐπιγραμμάτων ἔπεσι τοῖς πλείοσι γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις γεγραμμένα. Καὶ τὰ μὲν ἐς εὐθὺ αὐτῶν ἔχει, σχήματα δὲ ἄλλα τῶν[3] γραμμάτων, βουστροφηδὸν καλοῦσιν Ἕλληνες. τὸ δὲ ἐστὶ τοιόνδε. Ἀπὸ τοῦ πέρατος τοῦ ἔπους ἐπιστρέφει τῶν ἐπῶν τὸ δεύτερον, ὥσπερ ἐν διαύλου δρόμῳ. γεγράπται δὲ ἐπὶ τῇ λάρνακι καὶ ἄλλους τὰ ἐπιγράμματα ἑλιγμοὺς συμβαλέσθαι χαλεπούς. Quæ ut minus obscura videantur, operæ pretium erit Sylburgii cum explicationem tum & notam subsequentem legere: "Inscriptiones quæ in arca "[Cypseli] visuntur, pleræque priscis exaratæ "sunt litteris. Earumque litterarum aliæ in "rectum tendunt; alias earundem figuras Græci "*βουστροφηδὸν* (*à boum arantium conversione*) appel-"lant. id est hujusmodi. postquam exaratus est "versus unus, versus alter, à fine præcedentis, "ducitur ordine converso, perinde ut fit in di-

---

1. In Eliacorum priore, sive libro quinto, p. 320. Ed. Hanoviæ M.DC.XIII. typis Wechelianis. 2. Periphrastica est structura, (inquit Sylburgius) & post γεγραμμένα subaudiendum εἶναι. simplicior structura est, τῶν ἐπὶ τῇ λάρνακι ἐπιγραμμάτων τὰ πλείω γράμμασι τοῖς ἀρχαίοις γέγραπται. 3. Distinctione (inquit Sylburgius) post γραμμάτων sublata, syntaxis & sensus erit planior.

"auli (*hoc est, iterati stadii*) cursu. Sunt in ea-
"dem arca inscriptiones aliis etiam conjectu
"difficilibus gyris exaratæ. *Significat igitur Pau-*
"*sanias, in posteriore inscriptionum genere ductus*
"*esse tam intricatis & perplexis gyris, ut nec legi nec*
"*intelligi facile queant. In altero autem inscriptio-*
"*nis genere prioris versus litteras ordine Græcis,*
"*Latinis, & aliis gentibus usitato exaratas esse:*
"*posterioris verò litteras exaratas esse more Hebraï-*
"*co: id est, ordine retrogrado, à dextra in sinistram*
"*ducto. Ejus ordinis exemplum proponere lubet in*
"*sequentibus duobus ex argumento confictis versibus:*

"ΤΗΝ ΤΗιΔΕ ΚΕΔΡΟΥ ΛΑΡΝΑΚΑ
"ƸΟΝΕƎ ΝΕΚΗΘ ΥΟΛΕΨΥΚ ΟΤ"

Sed his omissis, quid demum de iis nummis judicabimus, qui Principes referunt cum larvis? Certe simul atque adspicies proculdubio & illos etiam esse propter inelegantiam damnandos arbitraberis, quippe qui neque litteras neque principum corpora prout decebat repræsentant. Adeo ut tum ora tum & facies operculis rectissime obtegantur, ne scilicet deformes esse viderentur principes pulcherrimi atque ornatissimi; quæ quidem opercula φορβειαῖς veterum nonnunquam respondebant. Ceterum quantumvis nummi ob elegantiam nequaquam sint laudandi, Picturæ tamen horum temporum satis sunt elegantes, licet forsitan à veritate abludant minusque sint illis similes quos præ oculis habebant pictores. Quam ob caussam neque illam Isidori imaginem

imaginem ad initium libelli *de natura hominis* in Muſéo Aſhmoliano elegantiſſime depictam ipſi Iſidoro ſimilem eſſe exiſtimo. Quin & ipſa quoque ædificia temporibus hiſce de quibus agimus venuſta erant, & in quibus ſpecies grata & elegans cernebatur. Hoc de Diviſis & Sciréburna, quæ caſtella *ſplendidiſſima* appellat, teſtatur Guilielmus noſter. Tale & caſtellum illud Oxonienſe cujus rudera tam ſæpe in perambulationibus mirati ſumus, quorum conſpectum, tam antiquum quam & recentiorem, exhibebimus [1]. Verum hæc ædificia non tantum elegantia ſua clara erant, ſed & munitionibus. Adeo ut ſi murorum turriumque & portarum rationem habeamus, fatendum ſit ad hoſtium impetus perpetuo repellendos excogitata hujuſmodi fuiſſe ædificia. Nimirum ipſos Romanos imitabantur auctores, qui craſſitudinem murorum ita faciendam cenſuerunt, uti armati homines, ſupra obviam venientes, alius alium ſine impeditione præterire poſſent. Id quod de ipſis teſtatur Vitruvius. Cujus verba plures firmant reliquiæ, præcipue ruinæ palatii vetuſtiſſimi, inſtar Babylonici muri cocto latere facti, Treveri conſpectæ. Ad quod palatium referendi forſitan nummi penes me Conſtantini Junioris nobilis Cæſaris cum PROVIDENTIAE CAESS circa muros aliquot, quos Caſtra Prætoria vocant Occo aliique; quales non paucos, una cum aliorum vi ingenti,

1. Vide ad finem Præfationis, num. VI.

Sil-

Silcestriæ (Segontiacorum in agro Hantoniensi, non Attrebatiorum in agro Bercheriensi ut voluit Humphredus Lhuydus [1], civitatis, Vindomis in Antonini Itinere Britanniarum vocatæ) erutos non ita pridem vidimus, quos omnes *Onionii denarios* sive Onion's Pennies, &, *Onionii pecuniam* sive Onion's Money vulgo appellant; quem quidem Onionium gigantem fuisse, & hanc urbem incoluisse perhibent. At egomet ipse Onion vocem esse corruptam pro *Tinine* sive *Inine* existimo, ut sit compendium Constantini sive Constantine; eo modo quo & Tony pro Antony, Mun pro Edmund dicimus, ut sexcenta id genus exempla prætereram. Certe Treveri nummos antedictos Constantini Junioris penes nos percussos fuisse ostendunt litteræ PTRE ad infimam nummorum partem positæ. Neque alio (ut conjectura assequor) referendus nummus ille æneus penes me Theodosii magni cum TRP (id est, *Treveris pecunia*, vel, voce *pecunia* subintellecta, *Treveri percussa*) ad imum partis aversæ, à qua parte & Victoriolæ imaginem spectamus. Neque aliud denotant PTR in nummis Magnentii, cum VICTORIA DD. NN. AVGG. ET CAES à parte aversa. Quum vero horum aliquot litteram *A* à parte dextra capitis Magnentii præ se ferant, existimarim sane nihil aliud ejusmodi litteram significare quam *α* sive *pri-*

1. In Commentarioli Britannicæ Descriptionis fragmento, f. 14. a. Col. Agr. M.D.LXXII. 8vo.

primum, ita ſcilicet ut inde colligamus eo anno percuſſos fuiſſe nummos quo Decentium Fratrem Cæſarem fecerit Magnentius, anno Chriſti nempe CCCLII. Atque hanc obſervationem eo lubentius inſerendam duxi, quod nondum deprehenderim apud antiquarios. Nec quidem aliud valet *A* ad dextram partem capitis Conſtantis in nummo quodam hujus Imperatoris quem vidi penes juvenem amiciſſimum mihique longe chariſſimum, cum ob ingenium tum ob eruditionem, Edvardum Prideaux Gwyn ex Æde Chriſti in Academia noſtra celeberrima, in quo & TRP itidem conſpicimus, eo ipſo ſcilicet anno in urbe Treverenſi percuſſo quo imperium Italiæ & Africæ poſt patrem Conſtantinum MAGNUM mortuum accepit Conſtans. Quod vero in optimæ notæ nummo Conſtantini Magni penes eundem juvenem egregium *A* ſeſe exhibeat à parte ſiniſtra militaris figuræ, non aliud ſane puto denotare quam quod mox poſt religionem Chriſtianam ſtabilitam ſedemque imperii Byzantium tranſlatam tempora jam felicia ac tranquilla eſſe cenſuerit Conſtantinus Magnus. Quam quidem noſtram opinionem firmat Labari figura, cum Chriſti monogrammate. Imo ea ipſa de cauſſa potuit GLORIA NOVI SAECVLI appellari, qua inſcriptione ſignantur Gratiani nummi aliquot rariſſimi & perelegantes penes v. cl. Thomam Rawlinſonum. Huc itidem (ad urbem ſcilicet Treverenſem) & alius

nummus

nummus æneus penes me proculdubio referendus cum STR à parte averſa, ſub muliere ſtante cum duobus puerulis in ulnis. Eſt Fauſtæ, ſecundæ uxoris Conſtantini Magni. Mihi dono dedit Edvardus King Oxonienſis, non ita pridem Ædis Chriſti Commenſalis. Mox poſt STR (quod *ſignatam* [*pecuniam* ſcilicet] *Treveri* denotare opinor) ſemilunulam videmus, quam ipſam formam munitionis cujuſdam ad Treverim ſpectantis indicare cenſeo. Nummus autem iſte eſt admodum rarus. Et alii quoque nummi hujus Imperatricis pro rariſſimis ſunt habendi. Præter litteras quas explicuimus à parte averſa nummi quem dixi hæc legitur epigraphe, SALVS REIPVBLICAE. Nempe ſummam è fœcunditate imperatricis conſecuturam eſſe felicitatem conjiciebat. Horſum quoque trahendi nummi plerique in parochia de Bradwell haud procul à Stow in the Wold in agro Glouceſtrienſi nuper eruti, quorum aliquammultos mihi donavit antiquarius eximius Richardus Graves de Mickleton in agro prædicto, qui & aliis me ſibi devinxit beneficiis. At Vitruvii verba nihil magis firmat quam muri Silceſtriæ; quorum craſſitudinem omnes ſuſpiciunt & admirantur. Neque minus admirantur foſſas quibus cinguntur; quippe quæ latitudinibus & altitudinibus quam ampliſſimis conſtant. Unde ſatis liquet præſidium fuiſſe militare. Id quod ex ipſo conſtat ςρατηγίῳ, quod nuper intra mœnia non procul à porta

f Quer-

Querquetulana (quæ & hîc pariter atque Romæ fuisse videtur) conspeximus. Στρατήγιον autem κυρίως (inquit Scholiastes in Sophoclem) ὁ τόπος ὃς τοῖς στρατηγοῖς ἀφιέρωται μετὰ τῶν ἄλλων τῶν προεχόντων βουλεύεσθαι. Quo sensu & ipse usus est Sophocles in Ajace Flagellifero :

Τεῦκρος πάρεστιν ἄρτι Μυσίων ἀπὸ
Κρημνῶν, μέσον δὲ προσμολὼν στρατήγιον.

Idem tamen Scholiastes observaverat Ἀττικῶς στρατήγιον nihil aliud esse quam τὸ στρατόπεδον. Adeo ut Attice tota urbs Silcestriæ appellari debeat στρατήγιον. Potuit & *Silcestria* τεῖχος appellari. Eo modo quo & Thebæ Scylaci dicuntur Θῆβαι τεῖχος. à magnitudine murorum, non à portu, ut mea fert opinio, nisi forte à pulchritudine potius eorundem nomen sumpsisse conjicias. Quinetiam inter nummos Raianos (quos in ordinem redegi, quorumque Catalogum nondum editum confeci) in Bibliotheca Bodlejana exstat nummus æneus insignis raritatis cum ΑΒΩΝΟΥ ΤΕΙΧΟΥ. *Aboni* autem *mœnia* vicus fuit celebris in Paphlagonia. Quantumvis vero vicus tantummodo fuerit, mœnibus cinctus erat, & inter urbes præcipuæ notæ numerari potuit, haud aliter atque Hagas Comitum, utcunque vicum, in Hollandia inter urbes, si pulchritudinis & magnitudinis rationem habeas, jure merito recensere licet. Porro habemus Ἀκκαβικὸν τεῖχος apud Stephanum περὶ Πόλεων. πόλιν nempe περὶ τὰς Ἡρακλείους στήλας, ἣν ἔκτισαν Καρχηδόνιοι.

δόνει. Et hujus etiam muri insignissimi erant. Utinam totum opus Stephani (nam Epitome tantummodo exstat) ederetur. Jam latet (ut videtur) in bibliotheca Laurentina in Escuriali Regis Catholici. Ut sic conjiciam facit viri cujusdam cl. [1] observatio. De eo tamen nihil Corderius in Præfatione Cyrilli in Hieremiam Commentario præmissa. Det Deus ut alter exoriatur Longolius [2] (juvenis [3] miro ingenio, judicio acri, incredibili industria, omnibusque bonis artibus præditus, quique proculdubio summum Latinæ eloquentiæ fastigium fuisset adeptus, nisi

---

1. Jun. 4 1706. **Mr. Philip Ayres (who liv'd in Spain several Years) tells Mr. Dodwell and my self, that in the Escurial is a considerable number of Greek MSS. among which is Stephanus περὶ πόλεων. 'Tis a thick Folio, and probably not epitomiz'd.** E Diario nostro pro an. MDCCVI.

2. Cujus cura Vettii Valentis, Astrologi vetustissimi, Codex nondum editus in Bibliotheca Seldeniana descriptus erat. Id quod patet è Nota quadam in Collectaneis nostris MSS. [Vol. XVII. p. 192.] quam ad finem Præfationis dabo. Vide num. VII.

3. " *Patavii in æde D. Francisci.*
" Christophoro Longolio
" Belgæ Romanam civitatem propter eximiam in studiis litte-
" rarum præstantiam adepto, summo ingenio, incredibili indu-
" stria, omnibus bonis artibus prædito, supra juventæ annos, in
" qua extinctus est magno cum Italiæ dolore, cui ingentem spem
" nominis sui excitaverat, Petrus Bembus amico ac hospiti po-
" suit. Obiit anno Christi M.D.XXII. Septemb. XI. die ætatis
" suæ XXXIIII.

" *Te juvenem rapuere Deæ fatalia nentes*
" *Stamina, cum scirent moriturum tempore nullo*
" *Longoli tibi si canos seniumque dedissent.*"

E Schedis ineditis Isaaci Casauboni, & Laurentii Schraderi Monumentis Italiæ, p. 20.

mors immatura, acerbiſſimo litteratorum dolore, eum in medio optimorum ſtudiorum curſu, dum annum triceſimum quartum ageret, ſuſtuliſſet) qui deſcribendum curet. Sed de his plus quam ſatis. Ad nummos quod attinet, mihi videtur non alia de cauſſa eos, de quibus ſupra, inelegantes fuiſſe quam quod ars nummos cudendi plane eſſet neglecta, quum aliæ artes vigerent & in pretio haberentur. Idem obſervandum de nummis itidem recentioribus Romanorum, cum antiquioribus, in quibus ſumma elegantia, neutiquam conferendis. Nec quidem apud nos viguit ars cudendi, donec Principes noſtri artifices ejuſmodi honoribus cumulandos curarent. Qui & ipſi Gallorum Principes magna ex parte imitabantur, apud quos Ludovicus XIV. æternam gloriam meruit. quippe quem à nemine veterum ſuperatum fuiſſe omnes, candore animi ornati, facile concedunt. imo Principem conſummatiſſimum [1] fuiſſe non deſunt è Proteſtantibus etiam qui aſſerant. Nævis tamen ſuis caruiſſe

1. This Prince [Lewis XIV.] full of Charms, and who is the exact model of a perfect prince, is not what Princes were in Ages past; deinde, However I admire France and have a great respect for the Prince, [Lewis XIV.] his industry and circumspection is wonderfull, his application generous, and his advancing forward to make himself great, is glorious. in Cod. quodam MS. (pag. 208, 342, 343.) à viro, quicunque demum is fuerit, pererudito & in Hiſtoricis antiquis pariter atque recentioribus verſatiſſimo contexto, penes amicum egregium Benedictum Leonardum Calvert, ex Æde Chriſti Oxoniæ, armigerum, juvenem & nobiliſſimum & ornatiſſimum.

nemo

nemo ſanus unquam dixerit. At dum hæc commemoramus, è memoria pene fugerat conceſſio quædam Stephani Regis, quam è turri Londinenſi meam in gratiam deſcripſit Amicus doctiſſimus Joannes Anſtiſius, fecialis ille ævi noſtri πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. Ad rem pertinet nummariam, digniſſimamque proinde cenſeo quæ hîc ſubjiciatur. Nempe hæc in verba: "Epiſ-"copus Linc. ſummonitus ad oſtendendum quo "warranto clamat &c. cuneum in caſtro ſuo "de Newerk ad monetam faciendam 3. E. 3. "Epiſcopus dicit quod S. quondam Rex Angliæ "confirmavit Eccleſiæ Lincoln. & Roberto de "Cayſneto Epiſcopo unum cuneum apud New-"erk. Et Willelmus de Denum qui ſequitur "pro Domino Rege, quoad prædictum cuneum "dicit, quod cum Epiſcopus clamat cuneum il-"lum per Cartam prædictam, S. quem idem E-"piſcopus aſſerit fuiſſe Regem &c. cuneum il-"lum eo titulo habere non poteſt. Dicit enim "quod prædictus S. intruſit ſe in prædicto re-"gno. Ita quod poſtea idem S. non habuit "ſtatum in regimine ejuſdem regni niſi ad ter-"minum vitæ ſuæ tantum &c. unde petit ju-"dicium &c."

§. X. A

Torneamenta quinque in locis haberi permittit Richardus primus. Hastiludia μονομαχίαις veterum perquam similia. Hæc nota 7 in Inscriptionibus antiquis idem valet quod *centurio*. Inscriptionis veteris *Iscæ*, *Legionis* II. *Augustæ*, repertæ, explicatio. Alia itidem Inscriptio antiqua, à Marmorum Oxoniensium editoribus juris publici facta, illustrata. Torneamenta ad Elizabethæ nostræ regnum usque perdurarunt. Pugna Rusticorum de Tottenham Highcrosse, nostra opinione, non re vera Torneamentum.

§. X. A nummis ad Hastiludia sive Torneamenta transeamus, de quibus egregia etiam apud Guilielmum nostrum legimus. Eorundem originem Gallis tribuendam esse asserunt plerique, auctore Galfrido II. Domino Pruliaci sive *de Pruelli*, A.D. M.LXVI. occiso. Atque ea de caussa *conflictus Gallicos* appellari monent historici nostri, licet alii, in quibus doctissimus Munsterus, referant instituta fuisse hæcce præludia anno salutis DCCCCXXXIIII[1]. Verum non desunt qui opinentur nos Torneamenta Gallis accepta non referre. Quam opinionem stabiliri putant è Registro sive Rentali perveteri, quod olim pertinebat ad Prioratum S. Trinitatis Canonicorum Regularium intra Ealdgate Londini, penes Joannem Anstisium fecialem præstantissimum quem commemoravimus. Hoc Registrum sive Rentale (cujus auctor erat *frater Thomas de Axebrigge vocatus filius Johannis de Cornubia Ecclesiæ S. Trinitatis Canonicus sacerdos & professus*[2]) sedulo evolvi, mihi mutuo datum ab ipso Anstisio. Hunc in modum verba se habent quæ in medium proferunt: "Temporibus Edgari "Regis Anglorum fuerunt tresdecim milites "Regi & regno satis amabiles, qui quandam

1. Vide Camdeni Brit. Ed. Lat. fol. p. 294. 2. Sic in fol. 8.a. ipsius Registri.

"terram

"terram in orientali parte London̄, ab incolis "præ nimia ſervitute derelictam, à rege pecie-"runt, quatinus prædictam terram & Gildæ li-"bertatem imperpetuum eis concederet. Qui-"bus rex libenter conceſſit condicione qua ſe-"quitur, videlicet, quod quilibet eorum tria du-"ella, ſcilicet, ſuper terram, ſubtus & in aqua "victorioſe perageret, & poſtea certo die in "campo, qui modo vocatur Eſtſmethfeld, contra "quoſque advenientes ipſimet haſtis decerta-"rent, quodque glorioſe factum eſt. Et ipſo "die rex nominavit eam Knyghtegildam &c. [1]". E quibus verbis intelligimus, terram hanc nomen ſumpſiſſe ab equitibus ſeſe ibi exercentibus. Si plura de eadem velis, conſulendi ſunt Stovei Annales [2] rerum Anglicarum Deſcriptioque Civitatis Londinenſis [3]. Hoc modo hujuſmodi exercitia deſcribunt Du-Freſnius aliique: "Torneamenta dicuntur quædam nundinæ, vel "feriæ, in quibus milites ex condicto convenire "ſolent, & ad oſtentationem virium ſuarum & "audaciæ temere congregari, vel congredi." Neque aliter fere noſter, (Canoneſque quos adhibuit Concilii Lateranenſis,) è quo [4] & id diſcimus in Anglia incepiſſe regnante Stephano. Quod ſi ea vera ſint quæ è Codice Anſtiſiano edidimus, & vera eſſe non eſt quod quiſpiam dubitet, facillime, ut arbitror, concedes, torneamenta exercitiaque illa in Regiſtro memorata

1. Fol. 149. a. 2. Ed. Fol. p. 138. 3. Ed. Fol. p. 115. 4. L. v̄. c. 4.

inter

inter ſe invicem diſcrepaſſe. Porro adjicit Guilielmus, inhibita fuiſſe torneamenta ab Henrico II. Hinc juvenes eorundem gratia in Galliam transfretarunt. Quapropter Richardus primus in Anglia denuo haberi permiſit, Princeps gloria bellica celeberrimus, quique juvenes Gallicos ob hæc exercitia ſummam laudem conſecutos fuiſſe cognoverat. Ea omnia promovere ſtuduit quæ in Angliæ decus cederent. Itaque voluit & juvenes Anglicos iis ludis indulgere è quibus vires erant firmandæ. Imo noluit Gallicos juvenes in ulla arte militari palmam noſtris præripere. Tanto vero ſtudio hæc exercitia præſtita fuiſſe liquet, ut haud aliter ad ſummos honores evehi poſſe exiſtimarent tam juvenes ipſi quam & eorum parentes. Ea de cauſſa litteræ ad viros celeberrimos dabantur. Nihil enim omittendum fuiſſe judicabant quod conſilia laude digniſſima promoveret. Quinimmo potius omnibus nervis ſibi connitendum eſſe cenſebant, atque in eo laborandum, ut omnes intelligerent, quantopere exiſtimationi ſuæ conſulerent, fortuniſque providerent. Smiliter & olim Antiochæ ludos Circenſes tanta alacritate ac diligentia actitatos fuiſſe legimus, ut ſæpe Antiochenſium Primates ſive Principes ad mercandas quadrigas uſque in Hiſpaniam mitterent. Qui vero ejus negotii gratia in provincias [1] proficiſcebantur, à viris optimæ

1. Vide cl. Priorium de Literis Canonicis, p. 103.

notæ

notæ litteras commendatitias obtinebant. Quod si scire cupias quibusnam in locis Hastiludia sive Torneamenta haberi permiserit Richardus, ex ipsa charta concessionem continente edocebo, mecum itidem à cl. Anstisio communicata.

" *In Libro Rubro Scaccarii.*

" Richardus Dei gratia Rex Angl. Dux Nor-" man, Aquit. Comes Andegav. Venerabili in " Christo Patri H. Dei gratia Cant. Archiepisco-" po, totius Angliæ Primati Salutem. Sciatis nos " concessisse quod Torneamenta sint in Anglia " in quinque placeis, [1] inter Sarum & Wilton, " inter Warewicke & Kenelingwrthe, inter " Stamforde & Warineford, inter Brackeleye " & Mixebr, inter Blie & Tykehill. Ita quod " pax terræ nostræ non infringatur, nec pote-" stas Judiciaria immorabitur, nec de forestis " nostris dampnum [2] inferretur. Et Comes qui " ibi torneare voluerit dabit nobis 20 marcas, & " Baro x marcas, & miles qui terram habuerit " 4 marcas, & miles qui terram non habuerit " 2 marcas. Nullus autem extraneus ibi torne-" abit. Unde vobis mandamus quod ad diem " Torneamenti habeatis ibi duos Clericos & " duos milites vestros ad capiendum sacramenta

---

1. Inter Sarum & Wilton, inter Warwike & Kelingworth, inter Stamford & Walingford, inter Brakeley & Mixeber, inter Bly & Tikehill, *cl. Seldenus, pag.* 10. *libelli inscripti,* **Original of a Duel or single Combate.** Lond. 1610. 4to. *non adeo recte, ut videtur. Hæc vero in lucem à nobis edita non ex ipso autographo, sed è veteri apographo descripsit cl. Anstisius, ut ipse me docuit.* 2. *F.* inferetur.

"de Com̄ & Bar̄ quod Nobis de prædicta pe-
"cunia ante Torneamentum ſatisfacient, &
"imbreviari faciant quantum & à quibus rece-
"perint. Et x marcas pro Carta ad opus no-
"ſtrum. Unde Comes Sarum, & Comes de
"Clare, & Comes de Warenn̄ Plegii ſunt. Teſte
"meipſo apud Villam Epiſcopi 22. Auguſti.

Deinde ſequitur,

"*Hæc eſt forma pacis ſervandæ à Torneamentoribus*:

"A tempore quo Miles, ſive Comes, ſive "Baro, ſive alius Torneator movebit de domo "ſua verſus Torneamentum & verſus domum "ſuam nihil in via capiet injuſte ſine licentia, "nec de cibariis, nec de aliquibus vitalibus, "nec de aliis. Nulli etiam in via de aliquo fo-"risfaciat nec per ſe, nec per ſuos, nec aliquem "vexari permittet injuſte pro poſſe ſuo per ſe "vel per ſuos. Et ſi aliquem delinquentem in-"veniet, & illud delictum poſſit per ſe vel per "ſuos emendare, illud emendari faciat. Et ſi "non poſſit emendare, [1] oſtendit Baronibus "qui juraverunt ſervare pacem Domini Regis "de Torneamentoribus, & judicia illorum e-"mendentur.

"*Juramenti forma.*

"Jurandum eſt ab omnibus Comitibus & Ba-"ronibus Angliæ, & omnibus qui torneare vo-"luerunt quod juſticiabiles erunt Domino Regi,

1. F. oſtendat.

"Capi-

"Capitali Justiciario domini Regis, & quod
"pacem Domini Regis integram & illæsam
"servabunt, & itineribus versus Torneamenta,
"& de Torneamentis pro toto posse suo, &
"nominatim de foresta Domini Regis & de
"mercatis ejus. Et quod nullus aliquid delin-
"quet, nec aliquem suorum forisfacere permit-
"tat. Et si quid fiat injuste, ostendat hoc Ba-
"ronibus qui hoc juraverunt, & judicio illorum
"emendetur quicquid illud forisfactum est. Et
"si aliquis torneator fœdera alii debeat vel ser-
"viens aliquis vel quicunque ille sit, ipse lega-
"lem treugam ei dabit in Torneamento, & in
"eundo & redeundo de Torneamento. Et si
"noluerit treugam dare distringetur ad hoc vel
"non permittetur torneare. Jurandum est et-
"iam ab omnibus quod non torneabunt ante-
"quam Domino Regi de pecunia sua secundum
"Assisam Domini Regis inde factam plene sa-
"tisfecerit. Et si invenerint aliquem tornean-
"tem qui non satisfecerit, corpus suum arre-
"stabunt, & Balivo Domini Regis liberabunt
"Capitali Justiciario transmittendum." Atque
hæc fecit Richardus in gentis Anglicanæ glo-
riam, quem & alii postea Principes imitati sunt;
ita tamen ut pluribus in locis haberi concesse-
rint, pro arbitrio virorum magnorum in quo-
rum gratiam essent celebranda. Hinc de iisdem
tam crebra mentio apud Historicos. Verum
hominem esse arbitror neminem, qui nomen

 audierit,

audierit, quin rationem ludorum commemorare ac declarare possit. Etsi illud hac occasione abs re forte non erit subjicere, veterum μονομαχίαις perquam similia fuisse hastiludia. Neque miraberis Britones imitatos fuisse Græcos, quum & eosdem curribus usos fuisse, veluti antiquos Græcorum heroas usos in bello Trojano ferunt, testatus sit Diodorus Siculus, scutoque angusto tantum, lanceaque contentos fuisse memoriæ prodiderit Herodianus. Quales vero μονομαχίαι essent vetustiores ex hisce Homeri [1] verbis intelligendum esse existimo:

Ἕκτωρ δὲ Πριάμοιο πάϊς καὶ δῖος Ὀδυσσεὺς
Χῶρον μὲν πρῶτον διεμέτρεον· αὐτὰρ ἔπειτα
Κλήρους ἐν κυνέῃ χαλκήρεϊ πάλλον ἑλόντες,
Ὁππότερος δὴ πρόσθεν ἀφείη χάλκεον ἔγχος.

E quibus verbis & illud clarum est, pugnasse heroas ἐν τοῖς διαμεμετρημένοις εἰς τὴν μονομαχίαν χωρίοις. Quin & equi ipsi iis plane erant similes quos & ipse Homerus commemorat, ἀερσίποδες nimirum, sive αἴροντες εἰς ὕψος τοὺς πόδας. Neque ipsa τεύχεα sive ἔντεα nostrorum minus erant pretiosa quam Paridis & Menelai quæ graphice descripsit idem Poëtarum Græcorum Princeps. Ἀσπίδας tamen aliquantulum diversas fuisse vel inde suspicamur, quod veterum undique essent æquales. Sic enim Homerus [2]:

Καὶ βάλεν [Alexander sc.] Ἀτρείδαο κατ' ἀσπίδα πάντοσε ἴσην.

1. Ιλ. Γ. v. 314. 2. Ιλ. Γ. v. 347.

Et,

Et [1],

Καὶ βάλε [Menelaus nempe] Πελαμίδαο καὶ ἀσπίδα πάντοσε ἴσην.

Heroës eo modo ornati ἱπποσύνῃ τε καὶ ἠνορέηφι πεποιθότες (ut verbis Homericis utar [2]) *Equites singulares* rectiſſime potuerunt appellari, haud aliter atque ipſe Aurel. Commodus Imp. eo nomine venit in marmore hoc in hortis Ant. Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, Viri omni genere laudis præſtantiſſimi:

MARTI CAMPESTRI SAC.
PRO SAL.
IMP. M. AVR. COMMODI
AVG. ET EQVIT. SING.
T. AVRELIVS DECIMVS
7 LEG. VII. G. FEL.
PRÆP. SIMVL ET
CAMP. DEDIC. K. MART.
MAMERT. ET RVFO COS.

In quo marmore hæc nota 7 ſive ; (nam Semicoli, quod vocamus, formam nonnunquam refert, ſi fides eruditis) idem valet quod *centurio*, quamvis & denotet in *Notis* ſive *Siglis* (Tyronis atque Senecæ nominibus inſignitis) à doctiſſimo Grutero in lucem emiſſis. Sunt & alii lapides, pariter ac alia vetuſtatis monumenta, in quibus eadem conſpicitur. Quinimmo nonnunquam in lateribus Romanis; cujuſmodi quamplurimos ETOCETI Antonini, quod vulgo Wall appellatur,

1. Ιλ. Γ. v. 356. 2. Ιλ. Δ. v. 303.

tur, prope Lichfeldiam erutos fuiſſe me docuit juvenis amiciſſimus, multiſque mihi nominibus chariſſimus, quippe qui antiquitatum noſtrarum eſt cultor diligens, Edvardus Arblaſter, Ædis Chriſti Oxoniæ ſuperioris ordinis commenſalis. E cujus equidem litteris intelligo lateres LP; præ ſe ferre, quod *Lucius Piſo Centurio*, pro mea interpretatione, valet. Adeo ut Aurelius in Marmore Auguſtiniano eſſet *Legionis ſeptimæ Geminæ*, non, ut alii, *Germanicæ*, *Felicis* Centurio. Neque apud Græcos tantummodo, ſed & apud Romanos ejuſmodi itidem haberi ſolebant *μονομαχίαι*. Eo referenda eſt Inſcriptio quædam in lapide antiquiſſimo (ISCAE, LEGIONIS II. AVGVSTAE, hodie *Caerleon*,& Britannis *Caer-Leon-ar-Usk*, quod idem eſt ac *Urbs Legionis ad Iſcam fl.* in agro Monumethenſi nuper eruto,) ſi explicationem virorum aliquot eruditorum ſequamur. Inſcriptionem ipſam mihi pro ſua benevolentia impertiit vir plane eruditiſſimus, rerumque Botannicarum pariter atque venerandæ antiquitatis cultor egregius Richardus Dyerus, A. M. & Collegii Orielenſis in Academia noſtra Oxonienſi Socius, qui & ipſe ab Amico ſuo D. Pettingale, viro reverendo & docto, acceperat. Eximiam eſſe exiſtimo. Neque proinde tuam in gratiam ſubjungere gravabor.

D M

G' VALERIVS > G\ F

GALERIAV VICTOR

LVGDV-

LVGDVNI V SIG LEG, II A/G
STP XVII, ANNOR XLV CV
RA V AGINT V AMNIO PERPITVO V B.

Si fides explicationi Virorum, quos diximus, eruditorum, GALERIA idem eſt quod GALERIANVS. Hoc ſi verum, *Galerianus* victoriam in duello ſingulari reportaverit. Atqui res aliter plane ſe habet. VICTOR enim eſt cognomen, GALERIA tribus ruſticæ appellatio è qua erat *G. Valerius* noſter *Victor*. Inſcriptio itaque hunc in modum pro mea ſententia explicari debet, ſcilicet: *Diis Manibus. Gaius Valerius Gaii filius Galeria* [tribu] *Victor Lugduni, ſignifer Legionis Secundæ Auguſtæ* [quæ & *Britannica Secunda* nominabatur] *Stipendiorum decimo ſeptimo, annorum quadraginta quinque, curam* [ſic enim legendum, vel littera M ab exſcriptore omiſſa, (eo modo quo omitti videmus in lapide quodam Bibliothecæ Bodlejanæ, in quo EORV pro EORVM legitur,) vel nota — pro M poſt tot annos exeſa] *agenti* [*curam agere* apud Livium habemus] *Amnio* [hæc forma (A) litteræ A in uſu maxime erat imperantibus Gordianis] *Perpetuo* [ubi animadvertas velim I hoc in monumento tam E quam & I denotare, formamque litteræ Iſlandicæ ſive Runicæ I, cujus poteſtas eſt E [1], licet *Stungen jis* appellent, referre] *Beneficiario.* Hujuſmodi milites ceromate ungi ſolebant, ut eo magis indurarentur artus, agilioreſque ad pugnam redderentur.

1. Vide cl. Hickeſii Theſaur. Linguar. vett. Sept. Part. III. p.3.

rentur. Hinc CEROM (i. e. *Ceromatiſtes*) in quibuſdam Inſcriptionibus. Occaſionem viris eruditis GALERIA in GALERIANVS vertendi, ni fallor, præbuit Inſcriptio ſubſequens in Marmoribus Oxonienſibus [1] edita:

I. O. M. TANARO
T. ELVPIVS GALER
PRAESENS GVNA
PRI LEG. XX. V. V.
COMMODO ET
LATERANO
COSS.
V. S. L. M.

In qua Inſcriptione, pro Editorum ſententia, GALER idem eſt ac GALERIVS, PRAESENSque in PRAESES eſt vertendum; qui & GVNA in GVNETHA ſive GVINETHA mutari volunt. Perinde quaſi *Elupius Galerius Præſes* eſſet *Gunethæ* vel *Guinethæ*, ſive North-Wales. Verum nihil eſt mutandum. GALER eſt GALERIA, PRAESENS Elupii cognomen, GVNA, vel, ut rectius in exemplari apud me legitur, GVN̄A, Syriæ urbs à Stephano commemorata; id quod etiam obſervavit Fabrettus. Neque novum veteribus poſt enunciatam Tribum cognomen collocare. Haud aliter enim & in hac Inſcriptione veteri è Schedis Barberinis [2]:

---

1. Pag. 282. 2. Vide Fabretti Inſcriptt. p. 359.

D

D M
L· VALLONIO· L· F· SAPINA [tribu sc.]
LIBERIO· SPOLET
EQVO· SINGVL· VIXIT
ANN· XLIX· MENS· X
L· VALLONIVS· L· F· SAPINA [tribu nempe]
VALENS· T· F· C
IN· FR· P· XI· IN· AGR· P· XIV

In qua pro EQVO reponendum forsitan EQVITI, ut cum superiori ad amussim hac in re conveniat. Ceterum ut veteres excipiebant victores lautis epulis, τοῖς Δήμητρος καὶ Διονύσου ξενισμοῖς, ita & nostri juvenes victoriis potiti ejusmodi epulis excipiebantur, quibus & feminæ nobilitate & pulchritudine illustres (una cum muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu) intererant, eosque θαλλοῖς seu frondibus viridibus tanquam victoriæ insignibus coronandos fuisse nonnunquam acclamabant. Torneamenta vero de quibus diximus (intermissiones aliquot, Edwardi III. ut videtur Proclamationi, quam vocant, attribuendas [1], si excipias) ad Elizabethæ

1. Vide viri doctissimi Guilielmi Bedwelli Præfationem ad libellum, à se editum, cui tit. **The Turnament of Tottenham. Or, the wooing, winning, and wedding, of** Tibbe, **the reev's daughter there. Written long since in verse, by Mr.** Gilbert Pilkington, **at that time as some haue thought Parson of the Parish. Taken out of an ancient Manuscript, and published for the delight of others, by** WILHELM BEDWELL, **now Pastour there. London, Printed** 1631. **Reprinted by** W. Mears, J. Browne, **and** F. Clay, **without** Temple-Barr. 1718. 8vo.

nostræ regnum usque perdurasse monuerunt docti. Neque aliunde est quod in Cantilena quadam [1] inscripta, A lamentable Ditty, composed upon the Death of Robert Lord Devereux, late Earle of Essex, who was beheaded in the Tower of London, on Ashwednesday in the morning, 1600. To the tune of Welladay, hæc verba legamus :

At Tilt he did surpasse,
  gallantly, gallantly,
All men that is and was,
  evermore still :
One day as it was seen,
  In honour of his Queen,
Such deeds hath seldome been
  as he did doe.

Quibus sane & verba sequentia sunt consentanea, è libello [2] perquam raro, regnante Eliza-

1. In Muséo Ashmoliano inter libros impressos à V. cl. Antonio à Wood donatos. 2. Pag. 25, 26. Titulus autem hujus libelli hunc in modum se habet : The Copie of a Letter sent out of England to Don Bernardin Mendoza Ambassadour in France for the King of Spaine, declaring the state of England, contrary to the opinion of Don Bernardin, and of all his partizans Spaniardes and others. This Letter, although it was sent to Don Bernardin Mendoza, yet, by good hap, the Copies therof aswell in English as in French, were found in the Chamber of one Richard Leigh a Seminarie Priest, who was lately executed for high treason committed in the time that the Spanish Armada was on the seas. Whereunto are adioyned certaine late Aduertisements, concerning the losses and distresses happened to the Spanish Nauie, aswell in fight with the English Nauie in the narrow seas of England, as also by tempests, and contrarie winds, upon the West, and North coasts of Ireland, in their returne from the Northerne Isles beyond Scotland. Imprinted at London by I. Vautrollier for Richard Field. 1588. 4to.

betha

betha typis excuſo, mihi dono dato ab egregio Juvene Edvardo Burtono, è medio Templo Londini, Armigero, deſcripta: And within two daies after that, the Earle of Essex being Master of the Queenes horse, with certaine principall Gentlemen his seruants, friends and followers, shewed afore the Queene [at St. James's] aboue three hundred horses of al seruice, and a great number of Carabins, and a faire Band of footmen all Musketiers. This shew exceeded in number any other particular Band, and the Earle himselfe with a great number of Launces, horsed and armed, did run very many courses, and specially with the Earle of Cumberland (as they cal it) the Course of the field which I had neuer seene before: and did also him selfe, and his company Tourney on horsebacke a very long time, and caused also his Carabines, and his footemen to make many skirmishes there, to the great liking of the Queene, and of the multitude of people, which were many thousands. Imo non deſunt Hiſtorici qui doceant Haſtiludia etiam regnante Jacobo primo in uſu fuiſſe. Eiſdem certe maxime delectabatur Henricus Fredericus Walliæ ſive Cambriæ Princeps, amor & deliciæ Britannicæ gentis. Neque mirum, quum ut iiſdem ſeſe exerceret hortaretur ipſe Pater ſapientiſſimus [1]. Quamvis autem pugna quædam (id quod obiter notandum eſſe duxi) Ruſticorum de **Tottenham-Highcrosse** in agro Middleſexiano, cujus Deſcriptionem edidit clariſſimus Bedwellus, ut jam in margine indicavimus, Tornea-

1. V. Jacobi primi Βασ. Δῶρ. p. 125. ed. Lond. 1603. 8vo.

menti nomine insigniatur, in numero tamen Torneamentorum non esse re vera habendam ipse plane censuerim. Nam ipsa ratio pugnandi non convenit cum legibus sive regulis illis quas in Torneamentis servarunt heroës: mihique videtur ludos etiam alios quibus sese exercere solent rustici non minus absurde Torneamenta etiam posse vocari. Quod si perpendisset cl. Bedwellus pugnam ipsam Henrico quinto, vel sexto, vel etiam Edvardo quarto, jam regnante contigisse forsitan conjecisset, recentioremque proinde fuisse quam ipse in Præfatione voluit. Non tamen inficias ibo fortitudinem summam in hac pugna præ se tulisse rusticos. Et quidem alias itidem satis fortes sunt rustici quotiescunque de puellis decertant. Tantum abest ut *puerorum* non *virorum* hanc pugnam quam diximus fuisse existimâris. Nam sic Auctor Descriptionis [1]:

I wot it was no childrens game, when they tegither [meete
When ilk a freke in the field, on his fellow bette
And layd on stifly, for nothing would they lette
And fought ferly fast, till there horse swette.
And few wordes were spoken.
There were flailes [2] all to flatterd,

1. Pag. 154. 2. Quibus sane potissimum instrumentis, hastarum vice, usi sunt. Idque etiam ex decreto ipsius *Randilli*, cujus filiam deperibant:

Then sayd Randill the refe, every be he waryd
That about this carping lenger would betaryd
I would not my daughter that she were miskaryd
But at her most worship, I would she were maryd.

For

There were shields all to clatterd,
Bowles and dishes all to batterd
And many heads there were broken.

There was clenking of cart-saddles, and clattering
[of canes,
Of fell-frekes in the field: broken were their fannes:
Of some were the heads broken, of some the braine
[pannes
And euill were they be sene, ere they went thance,
With swipping of swipples
The ladd's were so weary for fought,
That they might fight no more on loft,
But creeped about in the croft,
As they were crooked cripples.

Deinde de Perkin illo, quem victorem tandem evasisse, cuique proinde puellam (Tibbe nominatam) cujus caussa pugnabant non tantum traditam sed & nuptam fuisse declaravit, hanc in sententiam [1]:

Perkin [2] turned him about, in the ilk throng,

For the Turnament shall beginne
This day seaun'-night,
With a flayle for to fight,
And he that is most of might
Shall brok her with winne. Pag. 147.

1. Pag. 156. 2. Qui quidem Figulus erat. Nam hoc modo Descriptio: Perkin the potter into the presse past,
And sayd, Randill the reue, a daughter thou hast,
Tibbe thy deare
Therefore faine weet would I
Whether these fellowes or I,
Or which of all this batchelery,
Were the best worthy,
To wed her in his fere. Pag. 146.

He

He fought freshly, for he had rest him long,
He was ware of Tirry take Tib by the hond
And would haue led her away with a loue song.
And Perkin after ran,
And off his capull he him drowe,
And gave him of his flayle inowe,
Then tehe, quoth Tib, and lowe
Ye are a doughty man.

Thus they tuged, and they rugged till it was nigh night:
All the wiues of Tottenham come to see that sight.
To fetch hom their husbands, that were them trough [plight
With wispes and kixes, that was a rich sight,
Her husbands home to fetch.
And some they had in armes
That were feeble wretches,
And some on wheele-barrowes
And some on crithes.

They gather'd Perkin about on euery side
And grant him there the gree, the more was his pride.
Tib [1] and Hee, with great mirth hameward can ride
And were all night togither, till the morrow tide.

---

1. Nam & ipsa quoque in pugna præsto erat, prout tam è superioribus quam & ex hisce etiam carminibus colligi queat :
Sich another clothing haue I not seene oft,
When all the great company riding to the croft,
Tibbe on a gray mare was sette upon loft.
Upon a sacke-full of fenny, for she should sit soft,
And led till the gappe :
Forther would she not than,
For the loue of no man,
Till copple her brood hen
Wer brought into her lappe.

A gay

And to Church they went.
So well his need's he has sped,
That deare Tibbe he shall wed.
The cheefe men that her hither lead
Were of the Turnament.

To the rich Feast come many for the nonce:
Some come hop-halte, and some tripping on thither on
[the stones:
Some with a staffe in his hand: and some two at once:
Of some were the heads broken; Of some the shoulder
With sorrow come they thither. [bones:
Wo was Hawkin: wo was Harry:
Wo was Tymkin: wo was Tirry:
And so was all the company.
But yet they come togither.

At that Feast were they serued in rich aray:
Euery fiue and fiue had a cockeny.
And so they sat in iollity, all the long day.
Tibbbe at night, I trowe, had a simple aray:
Mickle mirth was them a mong.
In euery corner of the house
was melody delicious,
For to heare precious
Of six mens song.

A gay girdle Tibbe had borrowed for the nonce:
And a garland on her head full of ruell bones
And a brouch on her brest full of saphyre stones,
The holy roode tokening was written for the nonce
For no spendings would they spare.
When iolly Jenkin wist her thare.
He gurd so fast his gray mare
That she let a fowkin fare,
At the rere-ward. Pag. 149.

§. XI. In

Codex noſter mutilatus, ideoque ex alio in Bibliotheca Lambethana ſuppletus. Neutiquam mirandum Auctoris noſtri non exſtare effigiem.

§. XI. In quibuſdam veterum Codicibus Picturas invenimus, tam auctorum quam virorum quos laudant illuſtrium. Sed nihil id genus in noſtro occurrit Codice, qui tamen in quibuſdam ad Hiſtoriam pertinentibus deficit, è Lambethano proinde vetere à cl. Twyſdeno [1] ſuppletus, uti & alia, ut jam ſupra innuimus, alio ſpectantia ex eodem nuperrime ſupplevit amiciſſimus Juvenis Edvardus Burtonus. Sed nec effigies Auctoris exſpectanda erat, quantumvis aliorum effigies exhibuiſſet, quippe qui permodeſtus, ut innuimus, erat. Neque his diebus ſtatuas eruditis ponere ſolenne erat. Quæ tamen conſuetudo valuit apud Romanos pariter atque Græcos. Qui & numiſmata quoque in

1. Hoc liquet tam ex obſervationibus noſtris ad imum p. 269, 378. quam è nota ſequenti ab ipſo Twyſdeno ad initium exemplaris Editionis Picardianæ, mihi mutuo dati ab amico prænobili D. Thoma Sebright, ſcripta: "Hunc librum contuli cum "optimo Codice in membranis, qui fuit olim liber Sanctæ "Mariæ de Novoburgo, quæ [*l.* qui] jam penes me eſt. 13. die "Junii 1635. Ubi vero Codex iſte mancus ſive mutilus erat, uti à "pag. 285. ad pag. 325. & à pag. 415. ad pag. 424. reſtituimus ex "optimo Codice in Membranis quem inter manus meas habui 23. "die Aprilis 1647. ex libris Archiepiſcopi Cant. Lambethæ, mihi "à D. Simondz D' Eux accommodato." Similia fere notavit idem cl. Twyſdenus ad finem Apographi eorum, quæ in Cod. noſtro deſiderantur, quod à viro eruditiſſimo Thoma Bretto, LL.D. beneficio amiciſſimi doctiſſimique juvenis Thomæ Wagſtaffe, Thomæ τοῦ μακαρίτου filii, mutuo accepi; unde etiam exploratum habeo, Codicem noſtrum priuſquam ſibi comparaverit Twyſdenus fuiſſe peculium celeberrimi Antiquarii D. Henrici Spelmanni, Equitis aurati, qui Twyſdeno fortaſſis dono dedit.

erudi-

eruditorum memoriam ſæpe ſignabant. Abſit autem ut Salluſtii genuinum eſſe numiſma exiſtimem quod in Archivis Frekianis Oxoniæ adſervatur. Quid vero de illò dices numiſmate Salluſtii quod apud Fulvium Urſinum habemus? Certe verum eſſe puto, & ab Amiterninis ſignatum; licet è litterarum numiſmatiſque forma ſatis manifeſtum eſſe videatur aliquot poſt Salluſtium ſeculis percuſſum fuiſſe, id quod de aliis aliquammultis numiſmatibus (in quibus & illa numeranda quæ Homeri effigiem exhibent) plane eſt animadvertendum. Porro exſtant Hermæ ſive ſtatuæ quadratæ viris eximiis dicatæ multis ſeculis poſtquam mortem obierant. Qui quidem Hermæ Græcis dicebantur τετράγωνοι. Similes etiam (ni fallor) habemus inter monumenta [1] quædam Arundeliana in Hortis prope Lambetham, μὴ χεῖρας ſc. ἔχοντας μηδὲ πόδας, ἀκώλους proinde ἑρμᾶς cum Pauſania appellandos, qui nempe non in pedes, ſed epiſtylium quadrangulare deſinebant. Τετράγωνος & ipſe Mercurius, viarum Præſes, ideoque inter Lares viales jure merito cultus, (quo nomine ὅδιος, ἐνόδιος ſive εὐόδιος, ἡγεμόνιος & πομπεὺς etiam audiebat) vocabatur. Verum neque Hermæ hujuſmodi in uſu erant apud anteceſſores noſtros.

1. Vide ſis pag. 282. Voluminis quinti libri inſcripti: **The Natural History and Antiquities of the County of** Surrey. **Begun in the Year** 1673, **by** John Aubrey, Eſq; **F. R. S. and continued to the preſent Time. Illuſtrated with proper Sculptures.** Lond. M.DCC.XIX. 8vo.

Deerant enim artifices qui fingerent. Et tamen non diſſimulandum eſt eorum loco laminas fuiſſe ſepulchrales. Exſtant in multis eccleſiis. In quibus & nonnunquam reperiuntur figuræ ſeu è lapidibus ſeu è calce heroum effigies integras repræſentantes. Ejuſmodi cernuntur in eccleſia de Aldworth in agro Bercherienſi. Atqui iſtæ figuræ pro Hermis neutiquam habendæ. Quorſum hæc? Nimirum ut ſcias, noſtri ſimulachrum fruſtra eſſe quærendum tam in libris quam & in eccleſiis periſtyliiſque & impluviis. Nedum inter ſigna illa vetera ad columnas, intercolumniis etiam, in ſilvis denique diſpoſita ſub dio videbis. Imo neque reperies in iis partibus domorum veterum (ſi quæ reſtent) quæ ἐνωπίοις χόρτων (in quibus collocabant imagines majorum) reſpondebant. Nam ſi quid in ipſius memoriam poneretur, haud aliud erat à lamina ſepulchrali, quæ una cum cœnobio Novoburgenſi penitus intercidit; niſi forſitan conjicias in libris aliquot, qui temporis injuria perierint, effigiem depictam fuiſſe. Vereor autem ne vana ſit ejuſmodi conjectura. Non tamen diffitendum eſt plures libros de Pictura veterum deperditos eſſe. Duo fragmenta ad eandem pertinentia jam penes me habeo ex dono Thomæ Rawlinſoni, V. cl. & amici noſtri eximii. Utinam totius operis partes reliquas nanciſci potuerim. Fruſtra itidem inter textilia opera noſtri quæres effigiem. Quamvis enim textores poly-

polymitarii liciorum varietate hominum illustrium effigies ad vivum sæpissime repræsentarint, id quod & ipsæ fecerunt moniales, illæ præcipue quæ parentibus nobilissimis oriundæ Venereque fere ipsa formosiores delicate vixerint ingeniique famam augere in votis habuerint, diu tamen est ex quo omnia id genus apud nos opera tanquam superstitionis Papisticæ nugæ perdita fuerunt, ne quidem exceptis tabulis aliquot celeberrimis, quas revulsas esse homines multi plorarunt, plurimis maximisque in rebus probatissimi, & omnium existimatione ornatissimi.

§. XII. Verum enimvero licet id genus figuræ pro Hermis non sint re vera habendæ, confitendum tamen est in quibusdam cœmeteriis inveniri monumenta veterum Hermarum speciem quandam præ se ferentia. Talia sunt illa in cœmeterio ecclesiæ de Checkley in agro Staffordiensi. De quibus in Collectaneis cl. Ashmolius, is qui Fecialis appellatur. Lapides isti Checkleyani admodum sunt vetusti. Præter vero humanas exhibent etiam figuras tessellatas, à quibus, ni fallor, ipsum loci nomen. Ejusmodi enim figuras Checkywork appellant Angli. Quod si verum, fateamur & illud necesse est de hisce figuris, quarum origo vel oblivione, vel vetustate deletur, mira olim narrasse vulgum.

Figuræ in Ecclesiis nostris Hermas veterum non referunt. Crucis forma lapides sepulchrales signandi consuetudo. Regum uxores ob oculos olim habuerunt in imaginibus B. Virginis pictores. Reginarum itidem effigies in cantilenis cernuntur, quantumvis feminæ in iisdem descriptæ sortis essent inferioris.

Dignaque plane ſunt ejuſmodi monumenta quæ omnibus monſtrentur, ipſo Tullio judice, qui Archimedis ſepulchrum, ſeptum undique & veſtitum vepribus & dumetis, ignaris Syracuſanis, & omnino eſſe negantibus, oſtendiſſe ſe gloriatur [1]. *Ita nobiliſſima Græciæ civitas, quondam vero etiam doctiſſima, ſui civis unius acutiſſimi monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet.* Ceterum antequam erigerentur hi lapides aliud, ni fallor, loci erat nomen. Nec quidem inuſitatum à rebus novis nova ponere nomina locis. At ab illis figuris non eſt quod vel compoſitionem membrorum, vel conformationem lineamentorum pulcherrimam exſpectes. Inelegantes enim plane ſunt, quæque ſeculi quo ſculpebantur ignorantiam manifeſte prodant. Quum vero loculis ſepulchralibus ſint perquam ſimiles, Guilielmo Conqueſtore non eſſe antiquiores puto. Conſuetudo enim ejuſmodi loculorum forma lapides ſepulchrales fingendi tum demum invaluiſſe videtur quum Angli in terram ſanctam ad Sarracenos alioſque Crucis Sacræ hoſtes debellandos itinera facerent. Quo tempore & crucibus ornandi valuit itidem conſuetudo. Eaſdem nimirum formas in terra ſancta viderant, ipſiſque in mentem venerat argumentum eſſe pietatis. Itaque qui cærimonias religioneſque publicas ſanctiſſime tuendas arbitrabantur, mirum non eſt illos diligentiſſime

1. Quæſt. Tuſc. l. v. c. 23.

docuiſſe

docuiſſe crucis formam in lapidibus magni eſſe momenti, & neutiquam negligendam. Nec proinde quiſquam mirabitur tot conſpici ejuſdem figuras in monumentis veteribus; præcipue quum & ipſæ eccleſiæ itidem, jam ab Edvardo Confeſſore forma crucis reædificata eccleſia Weſtmonaſterienſi, eadem forma fingi cœperint. A quo tempore & beatiſſimæ Virginis Θεοτόκȣ imagines frequentius quam antehac in eccleſiis collocari ſolebant. Nec tantum in eccleſiis ſed & in ipſis partibus exterioribus eccleſiarum ponere ſolenne erat artificibus, qui in iiſdem fingendis ob oculos plerumque habebant regum uxores qui tunc rerum potiebantur. Quod ni ita eſſet, cur non omnes Virginis Beatæ effigies, ſimiles eſſent? Scio me difficili in loco verſari. Dico tamen ut ſentio. Quid quod & exploratiſſimum habeo mecum rerum antiquarum peritos ſentire, qui libenter agnoſcunt poëtas, pictores, opifices ingenio ſuo in ſimulachris fingendis atque deſcribendis indulgere. Neque minus indulſerunt cantilenarum vulgarium ſcriptores, illi potiſſimum qui de amoribus egerunt. Inde certe eſt quod in quibuſdam reginarum videamus effigies, quantumvis puellæ eſſent ruſticæ de quibus tractaverint auctores. Elizabethæ reginæ effigiem conſpicimus in aliquot cantilenis in quibus laudes deſcribuntur feminarum familiis nullius quaſi notæ oriundarum. Non alio conſilio quam ut partim

ipſi

ipsi Reginæ placerent auctores, partim ut feminarum pulchritudo manifestior esset. Ejusmodi effigiem habemus in aliquibus Impressionibus cantilenæ cui titulus: The beautifull Shepherdesse of Arcadia. A new pastarell song of a courteous young Knight, and a supposed Shepheard's Daughter. To a gallant tune, called the Shepheard's Delight. Quæ quidem cantilena hunc in modum incipit:

There was a Shepherds daughter,
came triping on the way,
And there she met a courteous Knight
which caused her to stay.
Sing trang dil do lee.

Ne quis vero dubitet Elizabetham Reginam designasse auctores, in aliquibus id genus cantilenis exhibetur cum sceptro atque globo. In qua re quid faciendum erat sculptores consulebant seu auctores seu forsitan exscriptores & typographi.

Rogorum veterum forma Pyramidibus Ægyptiacis non absimilis. Eorundem materia. Pyræ, quas vulgo **Bonefires** appellamus, ex ossibus olim constabant.

§. XIII. Quoniam de lapidibus sepulchralibus mentionem fecimus, visum est etiam hîc loci breviter loqui de veterum Rogis. Hi sane Pyramidibus Ægyptiacis simillimi erant. Eorum formas in nummis videmus Romanis. Neque dubito quin à Pyramidibus hæc forma Rogorum duxerit originem. Pyramides non alio fine condebantur quam ut in iisdem sepelirentur Ægypti reges. Qui tamen in locis privatis jacere petebant, ne ab hostibus è domiciliis

liis magnificis ſurriperentur corpora metuentes. Hoc enim nonnunquam accidiſſe monuit Diodorus Siculus. Aliarum etiam conſuetudinum origo Ægyptiis eſt tribuenda. Imo planum facere multis teſtibus licet ſignorum bellicorum eoſdem fuiſſe Auctores. Adeo ut ſecum præclare agi exiſtimare debeant omnes nationes, quibuſcunque demum objicitur ſe ſcientiam omnem ab Ægyptiis accepiſſe. Haud ſecus ſane Græci, qui de Ægyptiorum doctrina optimam opinionem animo imbiberant. Rogi è ſtrue lignorum fiſſorum conſtabant. In ſuperiori eorundem parte poni ſolebant corpora. Priuſquam vero ignis accenderetur, Dii Manes *rogabantur*. Solenni ſcilicet more. Neque aliter fiebat in corpore accendendo Septimii Severi, qui Eboraci obiit. De ipſius morte accuratiſſime ſcripſit Herodianus. Tantam in placandis Manibus curam adhibebant ne injuriam ſibi inferrent Dii Inferi. Eo modo quo & compitalibus effigies virileſque & muliebres ex lana ſuſpendebant Laribus ſive Manibus, qui pro iiſdem ab antiquis colebantur. Nam exiſtimabant ea ratione ſe impediiſſe quo minus Dii Inferi ejuſmodi laneis capitibus contenti familias violarent, aut morte alicujus familiarium & amicorum vacuam aut funeſtam domum redderent. Quæ plane conſuetudo ante unum & alterum ſeculum etiam apud vulgum Anglorum increbruit, tales conſuetudines plaudentibus Ponti-

ficiis.

ficiis. Inde, ut mea fert ſententia, tot fabulæ aniles de **Robin Good-Fellow**, quæ riſum non poſſunt non elicere. Neque alio retulerim conſuetudinem Athenienſium, qui in amicorum funere poſtquam ædes luſtraſſent, teſtam odoribus refertam, averſo vultu & non reſpectantes [1] in viam mediam abjicere ſolebant. Æſchylus, *Χοηφόροις*·

Στείχω, καθάρμαθ' ὥς τις ἐκπέμψας, πάλιν,
Δικοῦσα τεῦχος, ἀστρόφοισιν ὄμμασιν.

Ad quem locum Scholiaſtes: *τοῦτο πρὸς τὸ παρ' Ἀθηναίοις ἔθος· ὅτι καθαίροντες οἰκίαν ὀστρακίνῳ θυμιατηρίῳ, ῥίψαντες ἐν ταῖς τριόδοις τὸ ὄστρακον, ἀμεταστρεπτεὶ ἀνεχώρουν.* Me tamen non fugit Mercurii gratia hæc potiſſimum eos præſtitiſſe, qui ſomnorum pariter atque viarum præſes erat. Unde & *Ἑρμῖνα* lecti pedem nuncupabant, qui parvos Mercuriolos tanquam ſomni præſides inſculptos gerebat, ſicut etiam Hermulas commemorant Scriptores Gromatici, quæ Mercurio viarum Præſidi ſacræ rectiſſime pro terminis agrorum haberi potuerunt. Hæc de Rogis vetuſtiſſimis. Poſtea eorundem materia è beſtiarum oſſibus conſtabat. Imo nonnunquam ex oſſibus etiam humanis. Inde eſt quod Gloſſographi notaverint Rogum idem etiam aliquando valere quod **Bonefire**. Ita nimirum pyras ſive ignes illos vocant Angli exultationibus publicis acclamante vulgo accenſos. Vocem autem ab oſſibus ori-

1. Vide Dan. Heinſii Not. in l. III. Silii It.

ginem

ginem duxiſſe docuit cl. Bagfordius in Epiſtola de Antiquitatibus Londinenſibus ad initium Lelandi Collectaneorum. Id quod liquido conſtare etiam arbitror è *litteris*, quas vocant, *patentibus* in Turri Londinenſi, de quibus ſane me certiorem fecit vir egregius Joannes Sothebeius (Junior) Londinenſis, de cujus proinde epiſtola litteras ipſas recitabo.

Pat. 35. *E.* 1. *M.* 6. *dorſo.*

"Rex Majori & Vicecomitibus London ſa-
"lutem. Quia Margareta Regina Angliæ Con-
"ſors noſtra cariſſima uſque ad Turrim noſtram
"London in brevi eſt acceſſura, & ibidem per
"tempus aliquod moratura, Nos periculis, quæ
"ei Conſorti noſtræ, & aliis Magnatibus quæ
"ad ipſam ibidem ſunt venturæ, ex infectione
"& corruptione aëris per accenſionem Rogo-
"rum in civitate prædicta, & aliis locis eidem
"Turri vicinis, dum prædicta Conſors noſtra a-
"pud dictam Turrim moram fecerit, poſſent,
"quod abſit, de facili evenire, occurrere volen-
"tes, Vobis mandamus quod in eadem civitate
"publice proclamari, & ex parte noſtra ſub
"gravi foriſfactura firmiter inhiberi faciatis, ne
"qui Rogos illos præſumant accendere, ſeu alias
"miniſterium hujuſmodi, dum dicta Conſors
"noſtra ibidem moram fecerit, exercere, per
"quod aër quoquo modo infici valeat ſeu cor-
"rumpi. Et hoc nullo modo omittatis. Teſte
"meipſo apud Karl̄ 28. die Junii."

Rogorum tempore E. I. accensio pesti qua pecora inficiebantur pro quorundam opinione tribuenda. Opus hoc non alio consilio quam reipublicæ litterariæ caussa à nobis susceptum.

§. XIV. Jam, quæso, redi in memoriam, lector, quæ de Rogo quodam dixerit noster capitulo XXIV. Libri Quinti. Nam ea potissimum mihi ansam præbuerunt de Rogis breviter differendi. Illius autem Rogi tanta vis erat, ut ejusdem accensione pestilentia, quæ grassabatur in populo, conquieverit. Quinetiam arbitrantur quidam Rogos accensos fuisse, eo tempore quo Edvardi Regis uxor Londinum esset accessura, ob pestem qua pecora inficiebantur, quorum proinde magnus numerus flammis mandabatur, haud secus atque Londini paucis abhinc annis contigisse scimus. Verum hanc sententiam nondum amplector. Nulli enim, quod quidem sciam, exstant Historici qui confirment. Quod si aliqui lateant, da operam ut in lucem prodeant. Quo facto, amplius deliberandum erit. Interim tacebo. Neque mihi succensebis quod negotium hoc verbo expedierim. Ceterum priusquam te dimittam, sciendum est, me huncce qualemcunque laborem ideo suscepisse ut ad studia tua aliquid adjumenti adferrem. Imo quicquid in hoc opere præstitum est, lector benevole, id omne me reipublicæ litterariæ caussa præstitisse confirmo, cujus dignitatem meis omnibus commodis & rationibus (neque vanus hæc scribo) præferendam esse intellexi. Si vero dicas me id quod studui neutiquam esse consecutum, tibi responsum hoc habeto,

mihi

mihi non voluntatem perficiendi, ſed facultatem defuiſſe: imo nonnulla quominus illa etiam facerem quæ potui obſtitiſſe. Tu conjicito cetera, ac valeto. Scribebam Oxoniæ in Aula Edmundi ipſis Idibus Maii *A. D.* M.DCC.XIX.

THOMÆ HEARNII
Ad Præfationem ſuam
APPENDIX.

Num. I. Vide pag. XVIII.

Ex Adverſariis quibuſdam MSS. doctiſſimi Uſſerii Armachani penes me, ex dono V. cl. Jacobi Tyrelli, Armigeri.

In Ptolemæi Geograph. (Græce edit. Baſil. ann. 1533. 4to.) lib. 2.ubi de Hibernia agitur, Thomæ Savilli notulæ.

Pag. 70. Οὐενίκνιον.] al. Οὐεννίκνιον.
71. Λιβοίȣ] al. Λιβνίȣ.
Οὐελίβοροι.] al. Οὐελλάβοροι. quod rectius videtur.
Οὐεργίνιος.] al. Οὐεργιίȣιος.
Βίργȣ.] quid ſi Βρίγȣ ? ejus enim ἑκατέρωθεν accolæ Brigantes.
Οὔτερνοι.] Iberni apud Mar. Nigrum. & fieri poteſt ut ſcripſerit Ptolemæus Ἰȣερνοί.
72. Ὀβόκα.] Eſt & Nigro ad Obocam πόλις ὁμώνυμος.
Δάρνιοι.] Niger Darnios, quos ille Darinos vocat, ad Obocam ponit, ubi Ptolemæus Caucos; ipſos autem Caucos ubi Ptol. Δαρνίȣς.
73. Ἐπίδιον] à cognomine promontorio. Ergo non ita in ortum tendenda Brit.
Ἔδρȣ.] lege Ἄδρȣ. Nigro Adros inſula. & Britt. hodie Vnis adar; quod inſulam ſonat deſertam, avibuſque relictam.

Num.

E Coll. nostris MSS Vol. XIII. p. 124.

Alphabetum Britannicum (è Cod. MS. perveteri in membranis) cui præfigitur hæc rubrica:

[a] Nemnivus istas reperit literas vituperante [b] quidam scolastico saxonici generis quia brittones non haberent rudimentum at ipse subito ex machinatione mentis suae formavit eas ut vituperationem et hebitudinem deprimeret gentis suae: de figuris et de nominibus ductis

Figura	Nomen	Potestas	Figura	Nomen	Potestas	Figura	Nomen	Potestas
K	alar	a		mum	m	Z	zeirc	z
	braut	b		nihn	n		aiun	ae
	curi	c		or	o		ersiaul	et
	dexu	d		parth	p		egui	eu
	egin	e		quith	q		aur	au
	fich	f		rat	r		emc	ei
	guidir	g		sung	s		hinc	hinc
	hiul	h		traus	t		henc	ego
	iechuit	i		uir	u		elau	ecce
	kam	k		ieil	x		uzl	uult
	louber	l		ofr	fy		orn	oe

(a) Forte, Nennius
(b) Forte, quodam

Impensis Viri cl. JOANNIS BRIDGES, de Bartun juxta Keteringes, sive Kyteringas, in agro Northamptoniensi, Armigeri.

Num. III. Vide pag. XXIII.

A Vindication of Jeffery of Monmouth.

E Cod. MS. Smithiano (n. IV. p. 133.) penes Editorem, cui tit. A Folio Book written by Mr. Camden's own Hand, and containing many curious Remarks and Observations.

There is a great complainct among some of the most learned against Galfridus Arthurius, or Galfridus Monumethensis, for wante of truthe, and modestie, as creating a Brute unto us for the founder of our Britaine. But who is hee that proving itt to bee a fiction can prove it withall to be his? If that worke be quite abolished, there is a vast blancke upon the times of our countrie, from the Creation of the World till the comming of Julius Cæsar, not terra incognita itt selfe being lesse to be knowne then ours. The things of which ages, as wee understand not the more for Monmouth's Historie, unlesse the same be true; soe neither seeme they (as being those times which our Criticks mark with their [1] Ἄδηλον and their Μυθικὸν, their Ignotum and Fabulosum) much to be stoode upon. Nevertheless out of that very storie (lett it bee what it will) have titles been framed in open Parlament, both in [2] England and Ireland for the rights of the Crowne of England, even to entire Kingdomes. And though noe Parlament can make that to be a truthe, which is not such in the proper nature thereof, nor that much authoritie is added thereby to that traditional monument, because Parlament-men are not alwayes Antiquaries, yet are wee somewhat the more, and rather tide to looke with favour on the Case. Therefore it pleased me well, what once I did read in a great Divine, that in Apocryphis non omnia esse Apocrypha. And that very much of Monmouth's booke, or pretended translation De Origine & gestis Britannorum be graunted to be fabulous, yett many truthes [3] as mixed.

1. Apud Matth. Westm. Epist. Edw. I. Regis A. ad Bonifacium P.M. 1301. Et Epist. Procerum Angl. anno eod. 2. 11. Elizab. ap. Dubl. 23. Febru. Sir Hen. Sidney L. Deputie. 3. *F.* are. *H.*

The

The maine controversie concerning that work is, whither it be an antiquitie, or an imposture? That it is full of fables or discohærencies, noe man denyeth, and Giraldus Cambrensis himselfe, though being his countrieman, and living in that age angerly [1] taxeth it for such, albeit hee graunts a Brute and much of the principall substance to be true and followes it. The adversaries are both many and many of special account, as Nubrigensis, Whethamsted, &c. amonge the ancient, and amonge the modern (whome also Camden citeth) Vives, Junius, Buchanon, Polidor, Bodin, &c. but all of them strangers. On th' other side freinds alleage Malmesburie (the worthiest writer of all our Historians) for the being of Arthur, Huntingdon, Aluredus, Hoveden, Cestrensis, Gervasius Tilburiensis, &c. among our older Authors; and of the same later times the muster of names is not thinn, Leland most famouse, Sir John Prise Knight, Humphrey Lhuid &c. men singularly skilled in our antiquities, and Britains of race, Doctor Keys founder of Keys Colledge in Cambridge, Mr. Lambert of Lincoln's Inn (whoe for freeing Monmouth from the suspicion of forgerie [2], voucheth his possession of a Welch copie older in his opinion then Monmouths translation) Doctor Powell, Mr. Lewis and all Welsh Bards and Genealogists, Doctor White of Basingstoke in his Latine Histories, Stowe, Holingshead &c. Soe that if the cause weare to be tride or carried by voyces, the affirmative would have the fuller crye. And by that which Monmouth himselfe [3] in his Epistle dedicatorie to that learned, brave and warlike Prince Robert Earle of Glocester naturall sonne to King Henry the first, concerning the stile of the Welsh originall by him translated (and perhaps interpolated) wherein abounded phalerata verba & ampullosæ dictiones, pompous words (as he saith) and swelling phrases, it seemes nothing else but a mere Satyra, Rhapsodie or Cento, peiced together out of their Bards, songs, or ballads. which may well be soe. For Amianus

1. Sicut fabulosa Gaufredi Arthuri mentitur Historia. These are words of Giraldus, cited by Sir John Prise out of Giraldus de Cambriæ Descriptione, where Giraldus denies, and truly denies, that Wales was so called either of Duke Wallo, or of Queene Wendolena. 2. Perambula. of Kent. 3. Deest forte, writes. H.

Marcel-

Marcellinus writes that it was the office of the Britann Bards, Fortia facta virorum illustrium heroicis composita versibus, cum dulcibus Lyræ modulis cantitare: and Lucan long before his dayes hath recorded the same.

Our Historians office concerning the use of such a booke as this of Monmouth's, for defense whereof not only a great partie of learned writers stand, but an whole noble nation (antienly Lords of this Island) hath not an easie description. Certainly much is attributed, and much is to be attributed in this case unto domestick monuments, how barbarous soever, specially touching the Originalls of people. For Myrsilus of Lesbos is said to owe this sentence, that in searches of such nature magis creditur ipsi genti, atque vicinis, quam remotis & exteris. Which had noe Myrsilus ever said, yet had it not been the less true, or the more needing authoritie, because it is meerly a dictate of common sense, and all principall authors allowe thereof. Salust himself made use of King Hiempsal his librarie in the Carthagenian or Punick tongue (which was a kind of Syriack, shewing their origenall to be from Tyre and other townes in Phœnicia) to write his Jugurtha the more exactly. What shall we say of Polidor Virgil's way in this very matter? Though he utterly misliked Monmouth's narrations as fabulous, yet did hee breif them into his volumes with special protestation by name against a litle booke of like argument passing for Gildas the Historiographer's. Sigebertus Gemblacensis, living in Monmouth's time, where his Chronicle tenders the occasion, saith of that storie thus: Nec dubia pro veris affirmamus, nec historicam narrationem, quæ nuper de Britannico sermone in Latinam translata est, lectori subtrahimus. And this course carryes the showe of Justice and reason. Neverthelesse each may doe as himself thinks best, though that perhaps be not best. For Salust in the like case reportes what he finds, but taking nothing therein upon himselfe, plainely tells us: that fides ejus rei penes authores erit. Tacitus alsoe (his admirer, and next him to be admired for his art) when he hath simplie sett downe what he had heard concerning the Germans first ancestri (a tale of a father and his three sonnes, as that is in Monmouth of Brute and his three sonns) concludeth: Quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est. Lett therefore our Histo-rian

rian looke well about him, and examine whither this proceeding doe not properlie concerne his dutie. Sure I am that if Cornelius Tacitus had houlden the course of every where following the ancient Histories, or Historicall traditions of countries, he had not in the Jewes antiquities been so ridiculous, idle and injurious, as he is in the fift booke, a fragment of his Histories.

Howsoever, it is the least care, or among the least cares of famous old Historians, whoe are th' only examples of Historie, to spend much time in the learning or etymologies of nations, or countryes names. For as St. [1] Augustine saith, they are many times so changed temporis vetustate, ut vix homines doctissimi antiquissimas historias perscrutantes, origines potuerunt reperire: and S. [2] Hierom (of all the Latine Fathers most learned) hath words to like purpose, where he speakes of such nations as descended out of Joctan. And bee it that the names are never soe well to be known, yett what is itt to the purpose of an Historie (the glasse of actions) to understand the reason (or conjectures rather) why, or how Britaine was called Britain, Rome Rome, or Troy Troy? Certainely to perplex in this case our reader with long disputes or long rehersals of names, and their etymologies, with which some late Antiquaries have cloy'd and pestred us, falls into that rule which Ammianus [3] hath upon the like occasion, where he reciteth divers opinions concerning the originalls of the ancient Galls. Therefore with him I say for that poinct, declinanda varietas sæpe satietati conjuncta. If any thing bee cleare in such a case, or vehemently probable, it is both enough, and all which an Historian's office doth permitt, breifly to mention the same. As for the cause of the name of Britain, only two conjectures among soe many which have of late beene brought seeme worth the remembring: the one is Camden's, who derives it out of the word Brith, which signifide (as he saith) in the ancient tongue of Britain, that [4] Herb with which the Britains are reported to have painted and decoloured their bodies. Which his conje-

1. De civitate Dei libr. 16 cap. 11. 2 De trad. Hebr. in Genes. 3. Hist. libr. 15. cap. 23. 4 Correct. For Mr. Camden saith not that it was the herb, but the very being painted, smeard or colourd (with an herb) which the word Brith signifide.

cture

ture he upholds with singular diligence, and great varietie of learned probabilities. The other opinion or rather Historicall affirmation is, that Britain was denominated of a man, as also the herb Britannica. Plinie's [1] words are: —— Miror nominis causam —— Fuit quidem & hic quondam ambitus, nominibus suis eas adeptandi, quod docebimus fecisse Reges, ut res tanta iis debeatur, herbam invenire, vitam juvare. —— By which words it is plaine that Plinie thincks there was some King or other whose name had Brit therein, and that the Herb Britannica was perhaps consecrated by him to the preservation of his name and memorie to all posterities. But Monmouth and his followers directly drawe us Britain out of Brutus, whoe according to their narration was great grand-child to Æneas father of Ascanius, father of Silvius, father of Brutus. This derivation of our Island's name is wondrously esteamed by the Welsh now long since incorporated with us. Therefore it behoves our Historian to be well advised before he enter into any kind of unkind diligence against the same. For if in some cases communis error facit jus, error certaynely in such cases as this, as it bindeth noe man, so neither is itt singular to Britain, because the licence of deriving nations from supposed Gods and puissant Worthies is universall. Arrianus and other authors testifie that Alexander the Great said he found it available in his actions, quod Ammonis filius habitus sit, cum certò teneret se filium Philippi, which are Alexander's words in Lucian. Varro also, as he is cited by St. Augustine, professeth, utile esse civitatibus, ut se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex Diis genitos esse credant, ut eo modo animus humanus velut divinæ stirpis fiduciam gerens res magnas præsumat audacius, agat vehementius, & ab hoc impleat ipsa securitate felicius. This sentence notwithstanding delivered by Marcus Varro (the most learned man which ever Rome heathen had) stands specially condemned by that holy Bishop as setting open a wide gate to falshoode and abusion. Now therefore if Geffrey of Monmouth's work be concluded on all hands for untrue, the noble Historian must prefer veritie before politick respects; but because it is not (as the world sees) he may remember the temper of Gemblacensis, and of the other

1. Natur. Hist. libr. 25. cap. 3.

Authors cited above in this Addresse. For my part as I say with Camden, in hac re suum cuique liberum esto per me judicium, so neverthelesse I incline very strongly to have soe much of every Historicall monument, or Historicall tradition maintained, as may well be houlden without open absurditie. My Histories notwithstanding beginn at Julius Cæsar.

Num. IV. Vide pag. XXXIV.

The Battle of Otterburn, commonly called Chevy-Chace, written by R. Sheale, and is different from the common one.

E Collectaneis nostris MSS. Vol. LXXXII. pag. 7.

Out of an old MS. communicated to me by a learned Friend. H.

THE Perse owt off Northombarlande and a vowe to God mayd he
That he wold hunte in the mountayns off Chyviat within days iii
In the magger of doughte Dogles and all that ever with him be
The fattiste hartes in all Cheviat he sayd he wold kyll and cary them a way
Be my feth sayd the dougheti Doglas a gayn I wyll let that hontyng yf that I may
The the Perse owt of Banborowe cam with him a myghtee meany
With xv C archardes bold off blood and bone the wear chosen owt of shyars iij
This begane on a monday at morn in Cheviat the hillys so he
The chyld may rue that ys un born it was the mor pitte
The dryvars throrowe the woodes went for to reas the dear
Bomen byckarte uppone the bent with ther browd aras cleare
Then the wyld thorowe the woodes went on every syde shear
Grea hondes thorowe the grevis glent for to kyll thear dear
The begane in Chyviat the hyls a bove yerly on a Monnyn day

Be

Be that it drewe to the oware off none a hondrith fat hartes ded ther lay
The blwe a mot uppone the bent the ſemblyd on ſydis ſhear
To the quyrry then the Perſe went to ſe the bryttlynge off the deare
He ſayd it was the Duglas promys this day to met me hear
But I wyſte he wold faylle verament a great oth the Perſe ſwear
At the laſte a ſquyar off Northombelonde lokyde at his hand full ny
He was war ath the doughetie Doglas cōmynge with him a myghtte meany
Both with ſpear brylly & brande yt was a myghti ſight to ſe
Hardyar men both off hart nar hande wear not in Criſtiante
The wear xx C ſpear men good withoute any feale
The wear borne a long be the watter a Twyde yth bowndes of Tividale
Leave of the brytlyng of the dear he ſayde and to your boys lock ye tayk good heed
For never ſithe ye wear on your mothars borne had ye never ſo mickle ned
The dougheti Dogglas on a ſtede he rode att his men beforne
His armor glytteryde as dyd a glede a bolder barne was never born
Tell me whos men ye ar he ſays or whos men that ye be
Who gave youe leave to hunte in this Chyviat chays in the ſpyt of me
The firſt mane that ever him an anſwear mayd yt was the good lord Perſe
We wyll not tell the whoys men we ar he ſays nor whos men that we be
But we wyll hount hear in this chays in the ſpyt of thyne and of the
The fattiſte hartes in all Chyviat we have kyld and caſt to carry them a way
Be my troth ſayd the doughte Dogglas agay ther for the tou of us ſhall de this day
Then ſayd the doughte Doglas unto the lord Perſe
To kyll all thes giltles men a las it wear great pitte
But Perſe thowe art a lord of lande I am a yerle callyd within my contre

Let all our men uppone a parti stande and do the battell off the and of me
Nowe Cristes cors on his crowne sayd the the lorde Perse who soeuez thez to says nay
Be my troth doughtte Doglas he says thow shalt neuez se that day
Nethaz in Ynglonde Skottlonde nar France noz foz no man of a woman born
But and fortune be my chance I dar met him on man foz on
Then bespayke a squyar off Northombarlonde Ric̄ Wythar-ryngton was his nam
It shall neuer be told in Sothe Ynglonde he says to kyng Herry the iiij for sham
I wat youe byn great lordes twaw I am a poor Squyar of lande
I wyll neuer se my captayne fyght on a fylde and stande my selffe and loocke on
But whyll I may my weppone welde I wyll not both hart and hande
That day that day that dredfull day the first fit here I fynde
And youe wyll here any mor athe hountyng athe Chyviat yet ys ther mor be hynd
The Yngglyshe men hade thez bowys ye bent ther hartes were good ye noughe
The first off arros that the shote off seven skore speaz men the sloughe
Yet byddys the Yerle Doglas uppon the bent a captayne good ye noughe
And that was sene verament for he wrought hō both woo and wouche
The Dogglas pertyd his ost in iij lyk a cheffe chesten off pryde
With suar speirs off myghtte tre the cum in on euery syde
Thrughe our ynglyshe archery gave many a wounde full wyde
Many a doughete the garde to dy which ganyde them no pryde
The ynglyshe men let thear boys be and pulde owt brandes that wer briggt
It was a hevy syght to se bryght swordes on basnites lyght
Throrowe ryche male and myne ye ple many sterne the stroke done streght

Many

Many a freyke that was full fre ther undar foot dyd lyght
At last the Duglas and the Perse met lyk to captayns of
mygh and of mayne
The swapte togethar tyll the both swat with swordes that
wear of fyn myllan
Thes worthe freekys for to fyght ther to the wear full fayne
Tyll the bloode owte off thear basnetes sprente as euer dyd
heal or ran
Helde the Perse sayde the Doglas and I feth I shall the
brynge
Wher thowe shalte haue a yerls wagis of Jamy our Scot-
tish kynge
Thoue shalte haue thy Ransom fre I hight the hear this
thinge
For the manfullyste man yet art thowe that euer I con-
queryd in filde fightyng
Nay sayd the lorde Perse I tolde it the beforne
That I wolde neuer yeldyde be to no man of a woman born
With that ther cam a narrowe hastely forthe off a myghtte
wane
Hit hathe strekene the yerle Duglas in at the brest bane
Throroue lyvar and longs bathe the sharpe arroweys gane
That neuer after in all his lyffe days he spayke mo
wordes but ane
That was fyghte ye my myrry men whyllys ye may for
my lyff days ben gan
The Perse leanyde on his brande and sawe the Duglas de
He tooke the dede mane be the hande and sayd wo ys me
for the
To haue sabyde thy lyffe I wolde haue pertyde with my
landes for years iij
For a better man of hart nare of hande was not in all the
north contre
Off all that se a Skottishe knyght was callyd Sir Hewe
the Monggon byrry
He sawe the Duglas to the deth was dyght he spendyd a
spear a trusti tre
He rod uppon a corsiare throughe a hondrith archery
He neuer styntyde nar neuer blaue tyll he cam to the good
lord Perse
He set uppone the lorde Perse a dynte that was full soare
With a suar spear of a myghtte tre clean thorow the body
he the Perse ber

Athe

Athe to thar syde that a man myght se a large cloth yard and mare
Towe bettar captayns wear nat in cristiante then that day slain wear ther
An archar off Northomberlonde say slean was the lord Perse
He bar a bende bowe in his hand was made off trusti tre
A narow that a cloth yarde was lang toth harde stele haylde he
A dynt that was both sad and soar he sat on Sir Hewe the Monggon byrry
The dynt yt was both sad and sar that he of Monggon berry sete
The swane fethars that his arrowe bar with his hart blood the wear wete
Ther was neuer a freake wone foot wolde fle but still in stour dyd stand
Heawyng on yche othar whyll the myght dre with many a balfull brande
This battell begane in Chyviat a nowar befor the none
And when even song bell was rang the battell was nat half done
The tooke on ethar hand be the lyght off the mone
Many hade no strenght for to stande in Chyviat the hillys abou
Of xv C archars of Ynglonde went a way but fifti and thre
Of xx C spear men of Skotlonde but even five and fifti
But all wear slayne Cheviat within the hade no strenge to stand on hy
The chylde may rue that ys un borne it was the mor pitte
Thear was slayne withe the lord Perse Sir John of Agerstone
Sir Rogar the hinde hartly Sir Wyllyam the bolde hearone
Sir Jorg the worthe loūle a knyght of great Renowen
Sir Raff the ryche Rugbe with dyntes wear beaten dowene
For Wetharryngton my harte was wo that euer he slayne shulde be
For when both his leggis wear hewyne in to yet he knyled and fought on his kny
Ther was slayne with the dougheti Duglas Sir Hewe the Monggon byrry
Sir Davy Lwdale that worthe was his sistars son was he
Sir Charls a Murre in that place that neuer a foot wolde fle

Sir

Sir Hewe Maxwell a lorde he was with the Doglas dyd
he dey
So on the morrowe the mayde them byears off birch and
hasell so gay
Many wedous with wepyng tears cam to fach ther makys
a way
Tivydale may carpe off care Northombarlond may mayk
grat mon
For towe such captayns as slayne wear thear on the march
perti shall neuer be non
Word ys commen to Edden burrowe to Jamy the Skot-
tishe kyng
That dougheti Duglas lyff tenant of the Merches he lay
slean Chyviot with in
His handdes dyd he weal and wryng he sayd alas and
woe ys me
Such a nothar captayn Skotland with in he sayd ye feth
shuld neuer be
Worde ys commyn to lovly Londone till the iiii Harry
our kyng
That lord Perse cheyff tenante of the Merchis he lay slayne
Chyviat within
God haue merci on his soll sayd kyng Harry good lord yf
thy will it be
I haue a C captayns in Ynglonde he sayd as good as euer
was he
But Perse and I brook my lyffe thy deth well quyte shall be
As our noble kyng mayde his a vowe lyke a noble prince
of renowen
For the deth of the lord Perse he dyde the battell of hom-
byll down
Wher syx and thritte Skottishe knyghtes on a day wear
beaten down
Glendale glytteryde on ther armor bryght over castill
towar and town
This was the hontynge off the Chevíat that tear begane
this spurn
Old men that knowen the grownde well ye noughe call it
the battell of Otterburn
At Otterburn began this spurne uppon a [1] Monnyn day

1. Sic, pro Monnyn day.

Ther

Ther was the dougghte Doglas slean the Perse neuer went a way
Ther was neuer a tym on the march partes sen the Doglas and the Perse met
But yt was merbele and the rede blude ronne not as the Reane doys in the stret
Jhesue crist our ballys bete and to the blys us brynge
Thus was the hountynge of the Chibyat god send us all good endyng

Expliceth quoth [1] Rychard Sheale.

Num. V. Vide pag. xxxv.

Nummus Haroldi Regis, Comitis Godwini filii, è Muséo Amici nostri Joannis Bridges, Armigeri, Viri & ornatissimi & spectatissimi.

Num. VII. Vide pag. XLIII.

A Note about the MS. of Vettius Valens among Mr. Selden's Books in the Bodlejan Library; written by me on Friday Octob. 8th. in 1708.

E Coll. nostris MSS. Vol. XVII p. 192.

In the Bodlejan Library, amongst Mr. Selden's MSSts. [Arch. Seld. B. 35.] is a fair Copy in paper of Vettius Valens's Anthologia. 'Tis a folio Book, containing 292. Leaves, and it appears from Archbp. Usher's

1. I find that this Rychard Sheale was living in the Year 1588. and that he was Author of many other Poetical Things.

Letters,

CONSPECTUS QUADRUPLEX CASTRI SIVE ARCIS OXONIENSIS.

Conspectus recens Castri à ponte australi, per quem intramus, ubi muri visuntur admodum crassi.

Num. VI. Vide pag. 38.

Conspectus antiquus Castri, è tabula Radulphi Agasi A.D. 1578. edita



Conspectus antiquus Castri, è tabula Danielis King bello nupero civili grassante delineata.



Conspectus recens Castri à ripa quadam juxta pontem australem qui ad Ergastulum ducit.



(a) Turris quædam integra & antiqua, quæ unica nunc manet, (reliquis nimirum dirutis,) & in Comitatûs ergastulum convertitur. Prope hanc turrim, ut opinor, Matildis virago illa Anglica, Henrici IIdi mater, albis vestibus induta, ut specie nivei coloris hostes falleret, noctis silentio egressa est oppido Oxoniensi, à Stephano rege arctissime obsesso, & scapha per Thamesim vecta ad arcem Wallingfordiensem pervenit, atq; ibi à suis in arcem accepta est.

(b.) Collis quidam editior, quem vulgo vocant the Kepe of the Castle.

(c) Reliquiæ domûs in qua Assizæ olim tenebantur, donec ob pestem subitaneam ac fatalem ad alium civitatis locum regnante Elizabetha transferre placuit.

Impensis egregii Antiquarii pariter atque Amici nostri eximii RICHARDI GRAVES, *de* MICKLETON *in Agro* GLOUCESTRIENSI, *Armigeri.*

delin. M Burghers sculpt Univ. Ox.

Letters, p. 322. and from ſome Notes of Mr. Selden in his Book De Diis Syris and his Edition of the Arundelian Marbles, that it formerly belong'd to the famous Mathematician, John Dee; to whom it came, I believe, after the Death of Chriſtopher Longolius, who was the perſon that got it tranſcribed for the Charge of about 6. pounds 10. ſhillings, as appears from the following Memorandum written at the beginning of this Book: "Curavit hunc Librum deſcribendum Chriſtophorus Longolius precio octingentorum ſeſtertiorum nummum, hoc eſt, vicenis aureis ducatis. "*De Longueil.*" 'Tis thought by ſome that this is the only Copy of this valuable Collection that is now extant, and that the other more antient Copy, which belong'd to Aldus, from which Longolius got this to be tranſcrib'd, is now unfortunately loſt. I remember Joſeph Scaliger more than once mentions a Copy of Vettius in his Epiſtles, but it does not appear whether 'twas the ſame with this of Longolius, or that of Aldus, or whether 'twas different from either. 'Tis certain from the ſaid Epiſtles [l i n. [illegible] i.] that Scaliger intended to have ſet out Vettius Valens; but dying before he could accompliſh what he had reſolved upon, ſome Years ſince Huetius (as Sir Edward Sherbourne obſerves) had a deſigne of printing him at Paris, and Dr. Edward Bernard ſent him a Specimen for that intent: but what hinder'd him is uncertain. Mr. Selden has given us two or three Fragments in the Books mention'd above, and ſo has Salmaſius in his Book de annis climactericis; and ſince that Mr. Dodwell has publiſh'd an extract out of him in his Epiſtolary Diſcourſe conc. the Immortality of the Soul. And I think ſome other learned Men have mention'd him as an Author worth publiſhing, as he moſt certainly is, if at the ſame time Julius Firmicus Maternus's libri Matheſeos, or Books of the Power and Influence of the ſtarrs according to the Doctrine of the Ægyptians and Babylonians, (for without doubt one would illuſtrate the other) were publiſhed with him; for the illuſtration of which much might be alſo collected from the three MSS. now in the Bodlejan Library which Dr. Huntington procured from Baſſora, written in the Chaldean Language and Character. But then as this great Work would be of ſignal ſervice to Religion and Learning, by conducing in an eminent manner to expoſe the folly, the vanity, and the madneſs of both the old and

m modern

modern Pretenders to Judiciary Astrology, so it is most certain that the Person who hath the courage to undertake it ought to be throughly versed, not only in the Chaldaic, but also in the Ægyptian Astrology; because Vettius himself acquaints us that during his Travells in Ægypt, he was at a great expence, before he could learn the Secrets of this Art from his covetous Masters and Instructors, the Hierophantæ it may be, who made a Prey of him, to which he submitted out of love to it. Immediately after the Note above mentioned concerning the Sum of Money Longolius gave for having the MS. transcrib'd, is added an Explication of the several Notes made use of in the Book, in which are some different from those publish'd by Du Fresne in his Greek Glossary. Mr. Selden and others have vary'd about the time when this Author liv'd; but it appears from divers Notes in this MS. (which I have several times perus'd with much Delight) that he liv'd after the time of Antoninus. He mentions Indictions in some Places, the use of which did not begin 'till about the time of Maxentius. There is another Note which brings him as low as Severus, he mentioning a person whose Nativity he accounts for in the Year 200. after Christ or thereabouts. And this is the proper Valens cited by Mr. Selden and others; for the latter Part of the Work seems to have been done by another Valens, one of the Books in fol. 181. b. being called βιβλίον δεύτερον, whereas before the sixth and seventh if not more are mention'd in due order. There are two considerable Notes concerning the Age of this latter Valens, viz. Ὑπόδειγμα β'. Διοκλητιανοῦ ἔτος ρμζ (or 147.) Τυβὶ ιδ' εἰς ὥρ. γ. [in fol. 177. b.] which brings him as low as an. Christi 431. And in fol. 178. a. he mentions the Death of Valentinian the Second, in the 36th. Year of his Age, by which he is brought down to about the Year 391.

GUI-

GUILIELMI SILVII

EPISTOLA,

Editioni Antverpiensi præmissa.

D. ELISABETHÆ

SERENISS. ANGLIÆ,

FRANCIÆ, HYBERNIÆ REGINÆ.



UCTOREM hunc ab amico nactus primum ipſe paginas aliquot percurrens, lectione devoravi: mox opere nonnihil deguſtato illud uni & alteri ex familiaribus meis viris ſane prudentibus & inſigniter eruditis, meo more expendendum, & diligenter examinandum dedi, magno ab ipſis ſtudio contendens, ne ſuum me de hoc Chronico judicium celare vellent. nam temere quidquid obtruditur, in lucem dare, eſſet non ſolum te-

merarii & inconſiderati hominis, verum etiam in promovenda re litteraria parum diligentis & officioſi. Poſtea vero illi ipſi, quibus hanc provinciam demandâram, ita mihi pro voto reſponderunt, ſic opus commendarunt, ut vix aliud magis unquam, cum propter doctrinam, prudentiam & gravitatem, tum vero maxime, quod plurima deprehenderent his temporibus ſcitu digniſſ. quæ præcipue in hoc auctore commendanda ſummiſque laudibus extollenda cenſerent, & in primis quod aperte, ingenue citraque omnem fucum aut adulationem hiſtoriam ſuam proſequeretur, nunc hos, nunc illos pro merito, ſine ullo reſpectu aut laudans aut vituperans. Itaque cum in hoc libro plurima eſſent, quæ in hunc uſque diem veluti altiſſ. tenebris obruta delituerunt, viſus ſum mihi officium & regno & Majeſtate tua non indignum facturus, ſi opus hoc prima occaſione in lucem ederem, omnibuſque legendum exponerem, ut, ſi forte ipſorum fortitudinem in ſuſcipienda adverſus perpetuos Chriſtiani nominis hoſteis expeditione imitari recuſarent, ſaltem admirarentur ac juſtis laudarent encomiis tantos principes, qui relictis Regnis ampliſſimis & Imperiis, minime veriti ſunt vel ob ſumtuum magnitudinem, vel etiam ob periculoſi itineris difficultatem graviſſ. bella ſuſcipere, ut quoquo modo regnum Hieroſolymitanum cum vicinis provinciis Euangelicæ redderent libertati, ac tanta mala

mala perpeſſos Chriſtianos à contemtu vindicarent. His ergo & ejuſmodi reb. gerendis cum præ ceteris omnibus & ſplendore, & animi magnitudine, cum in adeundis, tum etiam in contemnendis periculis Anglorum Reges excelluerint, non immerito tuæ Regiæ Majeſtati inſcribendum opus duxi, quæ non ſolum regni hujus ampliſſ. ſed etiam omnium virtutum præclariſſ. heres exſtitiſti, ita ut parem noſtro in orbe Reginam invenire difficile judicemus, ſive linguarum peritiam, ſive animi dotes, aut recte gubernandi ſcientiam, quis ſpectare velit. neque dubitandum eſt quin tanta Patrona fultus noſter NEUBRIGENSIS magno cum applauſu, & alacritate in lucem ſit proditurus. Deum Opt. Max. oro ut veſtram Ma[tem]. Regnumque illud ampliſſ. multa perpetuaque felicitate decorare dignetur. Antuerpiæ IIII. Idus Mart. M.D.LXVII.

S[mæ]. V[æ]. M[ti].

deditiſſ.

Gulielmus Silvius.

JO-

JOANNIS PICARDI PROLOQUIUM,
Editioni Parisiensi præfixum.

AD

POTENTISSIMVM, ILLVSTRISSIMVMQVE

D.D. CAROLVM GONZAGAM

Et CLEUENSEM,

Franciæ Patricium, Niuerni Rheteli-que Ducem, Mantuanum & Porci-anum Principem, nec non Campa-niæ Gallicæ Brigiæque Regium Præfectum, &c.

In Guillelmi Neubrigensis Historiam, Proloquium J. Picardi.

EL tandem liceat, quia necesse, hunc offerre Auctorem, ut gratissimo tuo erga nos animo qualitercunque respondeamus, & beneficium priva-

privatum publica teſtemur gratulatione. Serius quidem pro officio, gratiæque collatæ magnitudine: ita ut vereamur ne noſtra χάρις ἁ βραδύπους ſit ἄχαρις χάρις, quanquam æquiſſimi rerum æſtimatores nihil unquam duxere, vel dixere ſerum, ſi ſerium. Quam vero ſerium, ſi ex voto Momi feneſtrata nobis ineſſent pectora, etiam talpæ penitius viderent. Interim, ſi juvat Angliam renavigare hujus hiſtoriæ foliis, ceu velis, licet. Quidni? Cum & Princeps Mauricius tibi ex ea advolanti (redeunti *enim dixiße, tuam minueret celeritatem) cenſuerit inter viſenda, velivolum oſtentare currum: qui tamen nec te vel ad Geſſoriacum Morinorum portum vehat, tantum abeſt, ut ſuo perbrevi tractu revehat*

hat Doverium: indeque remigres Londinum urbium Anglicarum urbem, quam hoc in libro ſpectabis non ſplendidis illis, quæ jubente ſereniſſima Regina Eliſabeta licuit videre, quantum libuit, inſignem: ſed [1] *conciliis habitis, Regibus Stephano, Henrico* II. *Richardique Regis* [2] *coronatione, ſpumantem noxio Judæorum perfidorum cruore, turbatam Guillelmi Londinenſis indigenæ factione. At moræ ſatis in Anglia: loci varietas tollat faſtidium, præterquam quod feſtinas ad graviora, ut luſtratis Zelandiæ celeberrimis urbibus applices in Hollandiam, priſcis, Bataviam: & ſalutato Mauricio Principe, nec non ejus germanis, Lugdunum Batavorum*

1. De quibus l. 1. c. 10, 30. & l. 3. c. 1. 2. L. 4. c. 1.

per-

pervenias: Scaligerumque nostratem, reipublicæ litterariæ præcipuum columen & lumen invisas. Conduxerit enim plurimum tanti viri aspectus non injucundus, ad detergendum, si quod haurias, tædium [1] *ex ejusdem Hollandiæ inundatione ab Auctore nostro recensita utpote suo ævo facta: & certe sic damnose, crudeliterque, ut ne ipsis quidem jumentis parcitum. Quid mitius speretur de heris, scilicet hominibus, si vel servi innoxii luant capite? Delatus Hollandia Northolandiam, stupuisti insolitos populi mores & feminæ marinæ nuper comprehensæ, aliquandiuque cum indigenis versatæ: cujus haud dispares intueberis in Guillelmi nostri Anglia,* [2] *pueros*

1. De qua l. 3. c. 1. 2. L. 1. c. 27. cui jungantur notæ.

toto corpore virides. Daniam tamen appulſus & à Rege perhumano exceptus magnifice, cernes aliud his longe mirabilius, ſcilicet[1] *Nicholaum Brekſpearium Anglum, patris Codro pauperioris filium, ſic provectum, ut pontificias Albanenſis Eccleſiæ meritus infulas, Apoſtolicus Legatus id obierit regni, paulo poſt Romanus pontifex inaugurandus. Huc uſque pacifica. Magnanimum enim pectus tuum ſpirans belli vere belli avet caſtra & hoſtes illos, cum quibus majores tui pugnavere gladiis non volſellis: aut, ut pugnaretur, effecerunt: nominatimque S. Bernardi, æqualis Guillelmus Niuernenſis Comes (nulla enim tum Ducis mentio vel titulus) juſtitiæ*

1. De quo l. 2. c. 6.

ſan-

ſanctitatiſque nomine celeberrimus in hiſtoriis: qui anno incarnati Chriſti MCXXVIII. *venit ad Trecenſe* [1] *Concilium à Mathæo S. R. E. Legato coactum, una cum Archiepiſcopis & comprovincialibus Remenſis Senonenſiſque diœceſeωn, ad præſcribendas leges militibus Templariis: quos Auctor noſter appellat mortis contemptores, & ſuis locis nonnulla eorum fortia denarrat geſta. Sed ubi in actis* [2] *Lateranenſis Concilii, nominatim legi Albigenſes hæreticos, aqua ignique interdictos: venit in mentem* [3] *Odo Niuernenſis Comes anno* MCCIX. *profectus ad eandem hæreſeωn excetram debellandam non Herculis, ſed fidei Catholicæ clava:*

1. Hoc de Concilio lege notas ad epiſt. 39. S. Bernar. poſter. edit. 2. L. 3. c. 3, 3. De quo Petr. Vallis Sernaiæ c. 15. & 21. Hiſt. Albig.

ubi expugnatæ Carcaſſonæ regimen oblatum refutavit modeſte: &, ut Simon Monfortius ſuſciperet obteſtati ſunt ille Duxque Burgundiæ. Hæc quidem in Occidente: Oriens autem longe clarior apparet expeditione Philippi Francorum (qui Petri Comitis Niuernenſis filiam dedit conjugem Herveo à Gierno, & cum ea Comitatum Niuernenſem, [1] *inquit Altiſſiod. Monachus) & Richardi Anglorum Regis: quos inſequebantur Henricus Campanus, Stephanus Bleſenſis, Rainaldus, Herveus Giernius* [2] *Erixque Niuernenſes Comites, & alii complures Dynaſtæ interpoſitis annis pauculis ad idem bellum accincti: qui licet pro virili*

1. In Chronol. anno 1199. 2. Ejus mentio apud Joan. Herold. l. 2. Belli ſacri c. 2. l. 3.

de-

desudarint, haud tamen coërceri ha-ctenus valuit illis ipsis Orientis finibus ceu rapidus torrens Mahumetes ille Christianissimi perduellis. Ea de caussa plerique Gallorum principum, ut illustrem bellis superioribus coronidem imponerent, mox Christianæ fidei clypeo plusquam septemplici muniti ruerunt in idololatras, pulchramque petierunt per vulnera mortem: qua & tu, Serenissime Princeps, stimulatus, simulque Hierosolymitanis majorum prœliis excitatus acrius, quam Themistocles Miltiadis trophæis, pervenisti tandem Viennam Austriacam, salutasti Mathiam Archiducem Imperatoris Germanum, & comparatis militiæ necessariis, ocyor Euro te applicasti ad Toparcham Russevormium ca-

strorum

ſtrorum præfectum: à quo fuiſti honorifice in conſilium aſſumptus, agnituſque velut ab Uliſſe, alter Achilles, excelſi animi ardore: quem mox explicuiſti, certior factus [1] *de duobus Turcarum millibus ſtationem agentibus intra ſecundum ab exercitu Chriſtiano milliarium: illos haud minus prudenter quam feliciter inducens ſilvæ, ut guſtarent de inſidiatoribus. Quumque Polemarcha reſciſſet Peſto conſulendum: haud mora copias immittit militares. Tu vero ſimul ruis inter confertas acies ac ad Comitem Martinengum faucibus gladiorum eruendum: at ſenſiſti prius, quam videris occumbentem. Pugnis ſingulis aderas propugnator oppugnatorque, &*

1. Hæc & inſequentia ex itinerario ejuſdem Ducis edito Viennæ Auſtriacæ.

Nulla

Nulla dies aberat, quin linea ducta superesset

hostium depicta cruore, tuique ensis cuspide velut penicillo expressa. Ceteris tamen diebus præclarior ille, quo Præfectus Castrensis, hibernorum providus incommodorum indixerat tempus oppugnandi superiorem Budæ urbis regionem. Ruina muri licet angustiore facta, datur signum ad pugnam: à qua nullius precibus revocari potuisti, arbitrans dejectos militum animos exemplo tuæ magnanimitatis erigendos. Quod perquam necessarium fuerit, testabatur iter ad murum, cadaveribus saburratum, vulneratorum stagnans cruore, moribundorum personans suspiriis, plumbeis perspersum glandibus, quarum una ceteris audacior & cæcior,

cior, te conſtanti gradientem paſſu ad murum disjectum, in lævo perçutiens latere, penetravit thoracem, proxime cor & pulmonem: ſic tamen divinitus illapſa, ut ne vitalia quidem attigerit, ſed ad inferiora ſenſim delapſa ſteterit uno ab exitu ſemidigito: unde inciſionem dorſo factam poſtulans ſimul dedit tam ſtupendum tuæ patientiæ exemplum, ut nec Marius Ruſticanus, qui ſe vetuerat ligari dum ſecaretur: nec Anaxarchus, quum in pila lapidea tunderetur, invitans contuſorem: nec Joannes Aragoniæ Rex candens chirurgi ferrum tam conſtanter paſſus, ut ſupra quam oportebat ureretur, te ſuperiores aut debeant aut poſſint prædicari. Hiſce vero nec otioſe jungendum duxerim tuum cedro

dro dignissimum responsum ad eos qui te monebant de fluvio sanguinis ex vulnere manante: Sat, *dixisti*, mihi adhuc sanguinis in ejus bello, qui pro nostra reparatione vel novissimam profudit stillam. *Sic fervebat in exsangui pene corpore sanguis Christi: Sic*

Fortes [1] creantur fortibus & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Sic animabant recentia Ludovici carissimi genitoris vulnera inflicta à Protestantibus: quos ut Matiscone expulit, de puerperio conjugis amantissimæ certior factus, Niuernum contendit. Idque quum fama volans Protestantibus vel mage Detestantibus indicasset: ultionis via disquisita

1. Horat. l. 4. Car. Ode 4.

est fraudulenta, ut quem virtute non poterant, dolo perimerent. Longe tamen aliter cecidit. Ludovicus enim licet valde impar & quadraginta tantum stipatus nobilibus, irruit in hostes tam animose, ut coegerit Euro velociores, quasi vulpes in antrum Antrani fugere. Cujus victoriæ testis perstitit vulnus inflictum explosione sclopeti. Nostri vero animi tibi devotissimi si hæc historia, quasi perpetuus arrhabo tuis obversetur oculis, & aliquando teratur manibus: aut, si juvat, quanti Ilias Homeri ab Alexandro Magno, vel Pædia Cyri à Scipione Africano, tanti fiat à te: exsultabimus de beneficio pulchre fœnerato. Momentosa tamen si negotia invideant, non invidebimus, quin saltem gloriabimur de recepto nostro tuis manibus munusculo.

AU-

AUCTORIS VITA,

Conſcriptore JOANNE PICARDO Bellovaco, Canonico ad S. Victoris Pariſienſis.

GUILLELMI noſtri ſcripturus vitam: benigne præmonitum velim exoratumque lectorem, ne fucum ſibi factum cauſſetur, quod catenatam ſingularium narrationem non compoſuerim. Collacteorum, æquævorum, vel contubernalium debita faciliſque fuerit hæc opera: noſtra vero, inter legendam ejus hiſtoriam animadverſa, diſtincte ordinatimque diſponere. In quibus quum deſignaro patriam, nativitatis annum, pueritiæ, & virilis ætatis exactæ modum: reor me facturum ſatis & muneri & pollicitationi.

Nordhumbria, Septentrionalis pars Angliæ, regnique dum Eptarchia regeretur, inclyta titulo, fuit natale ſolum Guillelmi [1] in provincia

1. L. 1. c. 38.

Deirorum anno Christi MCXXXVI. (neque enim postremum anni MCXXXV. mensem digner nomine anni, quo Henricus I. decessit) Stephani [1] Regis Anglorum, primo. Bonis autem malisve parentibus num ortus: licet nec ipse subindicarit, datur tamen nosse, ut S. Basil. S. Gregorii Nazianzeni litteras videlicet: *ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐπιφαινομένης αὐτοῖς ὁμοιότητος πρὸς τοὺς τεκόντας.* Quam quidem similitudinem exprimemus, suisque distinguemus locis, inhærentes vestigiis naturæ, quæ sua sensim expolit, & imperfecta, tandem omnibus absolvit numeris.

Guillelmus igitur ut pueritiam, iniit & laudabili parentum cura Neuburgense cœnobium: quo ex eodem fonte simul hauriret saluberrimas sanctimoniæ & eruditionis aquas. Hinc ei postea cognomentum Neuburgensis, non Neubrigensis, ut hactenus falso prætulere libri excusi; quod tamen placuit relinquere ne mutata facies alterum hominem suaderet. Auctor vero ita: [2] *Bellelanda uno tantum milliario distat à Neuburgensi ecclesia, quæ me in Christo à puero aluit.* His accedit Anglicani Codicis membranei elogium istiusmodi: *Chronica* [3] *Willelmi de Novoburgo.* & Joannes Baleus Anglus centuria III. Scriptorum Angliæ, & XIII. in introductione pro formanda historia, cognominans Guillelmum, Novoburgensem: voce quidem commo-

1. Ex fine procemii ad hos libros. 2. L. 1. c. 15. 3. *Cronica canon̄ de Novo burgo* à manu veteri ad finem MS. nostri. *H.*

diori,

diori, semilatina tamen. Quod enim apud Vegetium [1] legimus, Burgum: non Vegetio, sed imperitæ plebi, Lector peritus dabit. Guillelmo tandem nostro maneat cognomen Neuburgensis vel Novoburgensis à cœnobio condito Novoburgi in dioecesi Eboracensi, pietate sumptibusque viri nobilis Rogerii Mulbraii Galli, oppidulo Gornaco ad Bellovacorum Normannorumque confinia oriundi. Agnomini vero fuisse Parvum vel Petite, auctorem habeo Joannem Baleum. Guillelmus igitur Novoburgi educatus puer, doctusque ea, propter quæ discenda,

Pueris dant crustula blandi Doctores,

sic Latinæ studuit linguæ, ut vix in eo deprehendas micam stribiliginis: qua plerique contemporanei scatent scriptores. Paullo post egressus pueritiam, suique seculi exhorrescens corruptos mores: canonicam victurus vitam, juravit in verba Augustinianæ regulæ. Hinc mox ad S. Patris Augustini sese componens exemplum divinis incubuit paginis: easque tandem improbo labore ita præ manibus habuit, ut passim lepideque ad rem suam verteret. Dicti mei sunt testes locupletissimi, creberrimæ earumdem notæ, in hac historia desideratæ hactenus, licet forsan pernecessariæ ad inhibendam aliquot delicatulorum nauseam: qui ut delibarunt quiddam minus Ciceronianum, tumidis expuunt buccis. Eam vero sanctarum littera-

1. L. 4. c. 10. rum

rum ſcientiam vel cæcis indicarent ſermones ab eo quidem relicti: ſed ab impiis trucibuſque blattis, aut ſectariis Anglis crudeliter depaſti. Hac eruditionis fama percrebeſcebat nomen Guillelmi, potiſſime in Eboracenſi tractu. Unde Rogerus Bellelandenſis abba tam improbe cum illo egit, ut Cantica Canticorum (quod volumen, judicio [1] S. Hieronymi quanto brevius, tanto difficilius) ſuſceperit explicanda. Interim, varia memoriæque non indigna gerebantur in Anglia, Scotia, Hibernia, Gallia, quin & in Oriente. Ælredus Rievallenſis Archimandrita volens poſteris conſultum: epiſtola ad Guillelmum data, ut hæc in hiſtoriam conferret, monuit. Paruit, ſed quam modeſte, patet ex reſponſo: quam veraciter, ex ipſa hiſtoria. Univerſa enim aut ſuis, aut alienis vidit oculis, aut à viris fide dignis accepit: qualia ſunt [2] de ſepultura Guillelmi nothi: de [3] Thoma Eboracenſi, Eudone, Wimundo Epiſcopo, pueris viridibus, vaſculo mirabili, Guillelmo Trenchevello: Godrico, Ketello: Henrico II. Anglorum Rege ad Sepulchrum S. Thomæ Cantuarienſis inſigniter publiceque abjecto, & ceteris quos advertet vigilans Lector. Horum autem nonnullos ſi videat illaudatis expreſſos coloribus, nempe Gerardum Eboracenſem, Hugonem Ceſtrenſem, Rogerium Salesberienſem, Alexandrum & Galterium Lincolnienſem tandemque

1. Ad cap. 1. Agg. 2. L. 1. c. 1. 3. Ib. c. iii. c. xix. c. xxiii. cc.

Roto-

Rotomagensem, & Guillelmum à longo Campo Eliensem, præsules, nec non profanos dynastas: Si inquam, videat deformatos: eodem vultu, iisdemque contueatur oculis, memor Strabonis l. 1. Geographiæ asserentis ἱστορίας ἀλήθειαν εἶναι τέλος· quem tamen constitutum finem excedet, imo non accedet rejiciens historiam, clericorum Regumque probris persperfam: quasi vero nec illi, nec hi fuerint homines: vitaque impurior divinas eorum attingat infulas (utrosque enim Deos vocari etiam sacris in chartis nemo non scit) & cœlestem solvat majestatem. Sic, inquies, huc alliduntur quorundam carinæ, ut ex naufragio ne tabula quidem supersit. fateor, quia nec integræ fidei anchora fundatæ fuerant: nec divino, sed humano afflatæ spiritu, merito ad varias hæreseωn alliduntur rupeculas. Basilius Macedo Imperator non historiæ tribuit hujus casus originem c. lvii. exhortationum, ad filium Leonem cognomento Philosophum, commendans historiæ studium his verbis: " ἱστορίας ἀρχαίας &c. Evol-
"vere ne unquam cesses historias antiquas: ibi
"enim reperies sine labore, quæ alii magno
"cum labore congesserunt: atque inde bono-
"rum virtutes, & improborum vitia cognosces,
"ut vitæ humanæ varias mutationes, & rerum
"conversiones: mundi hujus instabilitatem, &
"imperii ad cadendum pronitatem disces. Bre-
"viter malefactorum pœnas & bonorum præ-

"mia

"mia leges: quorum illa fugies, ne ultionis, quæ "inde sequitur, severitatem patiaris: hæc au-"tem amplectêris, ut præmia, quæ ex eis ma-"nant, consequi merearis."

Si quid igitur pravum in historiam legas relatum: non historiæ dederis, sed pravitati hominum, qui tam impudenter peccarunt, ut omnem dedecoris perpetui deposuerint metum: suamque impudentiam ad posteros transmitti, nec piguerit, nec puduerit, nec pœnituerit.

Qui consulunt abstinendum hodie ab evulgatione librorum alicubi referentium sordes Clericorum, ne infirmis noceant, & ad Calvinismum sternant iter: laudandi certe, quia maternæ gloriæ studiosi: laudabiliores, si id tantum educeret hujuscemodi perfidos transfugas, quin potius gigantea eorum superbia. Quicquid enim cogitant aut loquuntur, superbia est.

Revertor ad Guillelmum nostrum: qui ubi acerbum quiddam, & ad humanæ rationis lances injustum narravit: mox, ne lectoris judicium, futiles parumque Christianæ ratiocinationes occupent, educit Theologiæ penu, considerata responsa, & fidelium mentibus percommoda: quæ licet legere l. 4. c. 13. & 30. & alibi, hujus operis. Quod quidem lector, quia nunc habes auctius variis colis, periodis, & undecim capitulis hactenus desideratis, D. Rumetio in Senatu Parisiensi Advocato gratias age, imo si potis es refer. Perhumane commodavit

vetus

vetus exemplar, cujuſpiam Angloſaxonis deſcriptum manu: quam teſtantur paſſim characteres Saxonici admixti Latinis. De ceteris tandem lucubrationibus hacque hiſtoria accipe teſtimonium Joannis Balei Angli, centuria III. Catalogi Scriptorum Britanniæ, ſic omnino ſcribentis:

"Guillelmus Petyte vel Parvus, Bridlingtonæ "in terra Eboracenſi natus, Novoburgenſis mo-"naſterii prope Silvam Cuculinam Canonicus "Regularis ac doctor Theologus fuit. Is huma-"nis juxta ac divinis ſtudiis tantopere adhæ-"rebat, ut nullam fere horam recte collocatam "putaret, niſi in doctorum librorum lectione. "Is quidem à Lelando reprehenſus fuit, quod "Britannicarum ignarus antiquitatum cum Gal-"frido Monumethenſi tam acerbe decertarit "in prooemio ſuorum Chronicorum. Erat ta-"men Guillelmus, inquit Lelandus, vir ſua æta-"te, rerum temporibus recentioribus geſtarum "non ignarus: ſed multo in ſcripturarum in-"terpretatione, ut ex ejus facile apparet libris, "felicior. Scripſit enim ab Anno Domini "MLXVI. ad Annum MCXCVII. ſtilo ſatis ni-"tido hiſtoriam de geſtis Anglorum libros quin-"que: *Hiſtoriam gentis noſtræ.* De Anglorum "Regibus l. II. *Primum oſtendenda eſt origo cauſæ.* "In Cantica Canticorum l. 1. *Crebra petitionis* "*tuæ.* Commentarios alios l. 1. Sermones eru-"ditos l. 1. Rogero abbati Bellelandenſi dicavit

"opus ſuum in Cantica Canticorum. Claruit "anno MCC." Rurſuſque ad finem centuriæ decimæ tertiæ, in introductione pro formanda Hiſtoria: "G. Guillelmus Novoburgenſis, alias "Petitus Canonicus Regularis ſcripſit Hiſto-"riam de geſtis Anglorum in quinque libris à "Guillelmo Notho uſque ad Annum Domini "MCXCVIII." Huc uſque vita Guillelmi ad Annum ætatis ejus LXII. perducta: num longius producta, quia nuſquam apparuit, diligentiori diſquirendum relinquo. Sed & quia tantum vitam ſum pollicitus: inique alter poſtulet aut diem, aut annum mortis.

DA-

DAVIDIS POUELI *Cenſura* GUILIELMI NEUBRIGENSIS. *Ex Epiſtola ad* D. HENRICUM SYDNEIUM *quam Editioni ſuæ* PONTICI VIRUNNII *Hiſtoriæ Britannicæ A. D.* 1585. *præfixit* POUELUS.

REſtat alia gravior hujus hiſtoriæ [Britannicæ] accuſatio, illam nimirum quamplurimis erroribus & fabulis eſſe refertam, nec dignam eſſe cui fides haberi debeat. Adducitur etiam ad hujus aſſertionis confirmationem, Gulielmi Neubrigenſis authoritas, qui Galfridi hujus hiſtoriæ interpretis contemporaneus exiſtens, hanc controverſiam movit, & ipſam Britannorum hiſtoriam palam ſcriptis oppugnat. Primum, quod ad rem attinet, ſic ego reſpondeo, me nunquam errores aut fabulas defenſurum. convincantur errores, abjiciantur fabulæ, retineatur hiſtoriæ veritas. Si quæ ejus temporis verior & conteſtatior haberi poſſit hiſtoria, producatur in medium, admittatur, retineatur. Deinde ad Neubrigenſis authoritatem in contrarium adductam, hoc tantum dico: ejus fidem mihi hac in re non probari. Quoniam in Annalibus

libus nostris [1] ante annos trecentos conscriptis, literis proditum invenio, istum Guilielmum (qui ibi Gwilym bâch, i. Guilielmus Parvus, dicitur) post mortem prædicti Galfridi Arthuri episcopi Elguensis, eum episcopatum ambivisse circa annum Domini 1165. atque repulsam passum, & à Davide principis Oëni filio male tractatum, inde causam maledicendi arripuisse, & postea malitiæ suæ virus [2] universum in gentem Britannicam evomuisse, quod prudenti etiam lectori ex ejus scripti acrimonia & acerbitate facilè patebit.

FRANCISCI GODWINI, *primò Landavensis, deinde Herefordensis Episcopi, de Auctore nostro Opinio. Ex ipsius Commentario de Præsulibus Angliæ, Lond.* M.DC.XVI. *p. 656.*

POst Galfridi [Arthuri sive Monumethensis] abdicationem, Episcopatum hunc [Asaphensem] ambivit quidam, Cambris dictus Gwillim Bâch, hoc est, Gulielmus Parvus, vero nomine Gulielmus Petit appellandus, qui (vulgo Neubrigensis) historiam sui temporis conscripsit (ut illa ferebant tempora) elegantem sane; in cujus præfationem Galfridum insectatur acerrime, Arturum inde cognominatum perhibens, *quod fabulas de Arturo ex priscis Britonum figmentis sumptas, ex proprio auctas, per superdu-*

1. Utinam ipsa verba Annalium descripsisset Pouelus, indicassetque quonam in loco vel quanam in bibliotheca repererit. *H.*
2. *F.* universam. *H.*

ctum

ctum Latini ſermonis colorem, honeſto hiſtoriæ nomine palliarit, in qua petulanter & impudenter fere per omnia mentiri eum dicit, & partim ab ipſo, partim ab aliis conficta tradidiſſe, ſive effrenata mentiendi libidine, ſive etiam ut Britonibus ſuis placeret, &c. Hic, præterea quod repulſam tulit; à Davide Walliæ Principe, adeo parum amice ſuſceptus eſt, ut ſuſpicentur nonnulli, hominem univerſæ genti iratum, ejuſque gloriæ invidentem, cum hæc ſcriptitaſſe,tum alias à verbis non temperaſſe quæ exiſtimationi illius maculas inurerent indelebiles. Alii ſunt è contra qui arbitrentur ob hiſtoriam prius ab illo conſcriptam, ideo ab iratis Cambris rejectum & inhumanius tractatum. Undecunque id evenerit, præſulatu certe excidit expetito, ſubſtituto ſicuti antea retulimus Adamo quodam qui Oxoniæ deceſſit anno 1180. & in Oſneienſi Cœnobio ſepultus eſt.

JOANNIS PITSEI *Cenſura* GUILIELMI *noſtri. Ex ipſius Opere de illuſtribus Angliæ Scriptoribus, p.* 270.

GUilhelmus Litle, ſe Gallice Petit, & Latine Parvum cognominat. Qui etiam, à Cœnobio in quo Monaſticam egit vitam, Neuburgenſis communiter vocari ſolet. Natione Anglus, Patriâ Eboracenſis ex oppido Bridlingtono, & in Cœnobio Neuburgenſi juxta ſilvam quæ dicitur cuculina ſecundum inſtitutum S. Au-

Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Canonicus Regularis. Sacræ Theologiæ Doctor, in prophanis etiam litteris bene verſatus. Vir ingenii, ut videtur, vafri [1] & aſtuti, nonnihil item ambitioſi. Magnatum adulator, & Secularis potentiæ nimius fautor. Unde mihi de veritate in hiſtoricis narrationibus non parum ſuſpectus. A Lelando certe nec immerito reprehenditur, quod Hiſtoriam Galfridi Monimitenſis tam rigidâ cenſurâ notaverit. Erat tamen in ſacris ſcientiis eruditus, & in ſuis ſcriptis ubique ſatis politus. *Hiſtoriam incepit à Normannorum in Angliam ingreſſu, & deduxit ad annum Domini* 1197. Scripſit ad Rogerum Abbatem Bellandenſem

In Cantica Canticorum, Librum unum. Crebra petitionis tuæ poſtulatio.

De geſtis Anglorum, Libros quinque. Hiſtoriam Gentis noſtræ, id eſt, Angliæ. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De Regibus Anglorum, Libros duos. Primum oſtendenda eſt origo cauſæ.

Commentariorum Librum unum.

Sermonum [2] *Librum unum.* Et alia quædam. Cla-

1. Hæc nimis acerbe Pitſeus, qui & alibi jure merito à viris eruditiſſimis reprehenditur. Certe longe aliter de Auctore noſtro judicavit doctiſſimus Baronius, Cardinalis ille illuſtriſſimus. *Willielmus* (inquit) *Neubrigenſis hujus temporis ſcriptor fidelis & accuratus.* Baron. An 1160. n. 1. Et: *Neubrigenſis ſcriptor nobilis.* An. 1187. n. 12. Sed illud forſitan diſplicuit Pitſeo, quod tam Becketti errores quam & monachorum lapſus detexerit. Quod tamen modeſte fecit, & ut virum probum decuit. *H.* 2. Quos nunc primùm in lucem publicam edidimus. *H.*

ruit

ruit anno Domini 1200. Joanne in Anglia Regni clavum accipiente.

GERARDI JOANNIS VOSSII *de Auctore nostro Judicium. E lib.* II. *de Historicis Latinis, p.* 423. *Lugd. Bat.* M. DC. XXVII.

SUB Richardo rege, ac Joanne, etiam claruit GUILIELMUS LITLE, qui & PARVUS, sive Gallico cognomento PETIT. Imo nec alius est GUILIELMUS NEUBRIGENSIS; quomodo vocatus, quia Novoburgensis monasterii prope Sylvam Cuculinam canonicus, ac doctor Theologus, fuerit. Hic, præter alia, edolavit libros duos de regibus Anglorum: item historiam de gestis Anglorum libris quinque. Qui MSS. supersunt Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. At primus eos in lucem protulit Guilielmus Sylvius [1]. Orditur ab anno CIƆLXVI; quo Guilielmus, cognomento Nothus, dux Normanniæ, Haraldo, regi Anglorum, bellum intulit: hinc autem paucis omnia perstringit, usque ad annum CIƆCXXXV, quo se natum fuisse scribit: inde vero fuse omnia persequitur, usque ad annum CIƆCXCVII. Polydoro Virgilio *veridicus auctor* nuncupatur. At à Guilielmo [*l.* Joanne] Lelando non injuriâ reprehenditur, quod modum non tenuerit in culpando Galfredo Monæmuthensi. Nam etsi multa fabulosa in eo

1. Typographus Regius. *H.*

sint:

ſint: tamen non tam multa, quam ille videri vult. Nec ipſe effugere potuit Neubrigenſis, quin fabulas multas hiſtoriæ ſuæ inferciret. Interea diſſimulare non poſſumus, longe majori judicio, ac delectu, in ſcribenda hiſtoria Neubrigenſem uſum eſſe, quam Galfredum.

GUILIELMI CAVEI *de* GUILIELMO *noſtro* NEUBRIGENSI *Judicium. Ex Hiſtoria ejus Literaria Vol.* I *p.* 691.

G*Ulielmus*, *Parvus* cognomento dictus, natione patria Eboracenſis, Bridlingtonæ natus anno 1136. Poſt peractam domeſticæ educationis curam, ad Monaſterium Neuburgenſe prope Sylvam Cuculinam (inde *Neuburgenſis* ſeu *Neubrigenſis* dictus) à parentibus mittitur, ut religionis ſimul ac eruditionis elementa inde hauriret; atque ita Canonicus Regularis Ordinis Auguſtiniani in eodem Cœnobio factus eſt. Claruit anno 1195. Obiit, ut volunt nonnulli, anno 1208. ætatis 72. Stylus eſt Gulielmo ſatis Latinus, ſatis nitidus, longe purior quam quo Scriptores noſtri coætanei uti ſolebant. Ad Hiſtoriæ ejus fidem non parum facit, quod quæ tradit, aut ipſe ſuis vidit oculis, aut à viris fide dignis accepit. Scripſit *de rebus Anglicis ſui* [1] *tem-*

1. *Hunc titulum è Picardi Editione (quam mox jure optimo laudat) deſcripſit Caveus, qui ita ſe habet:* Guillelmi Neubrigenſis Angli, Canonici ad Regulam S. Auguſtini, de rebus Anglicis ſui temporis, libri quinque. Nunc primum auctiores XI. capitulis hactenus deſideratis, & Notis Joannis Picardi Bellovaci æque Canonici ad S. Victoris Pariſienſis. *H.*

poris

poris libros V. ab anno 1066. usque ad an. 1197. Prodiit *Historia* ista *Antverp.* 1567. 8vo. *Heidelberg.* 1587. multis vero periodis, & integris xi. Capitulis auctior, optimisque Joannis Picardi Notis illustrata *Paris.* 1610. 8vo.

Cl. Præsulis GUILIELMI NICOLSONI *de Auctore nostro Narratio. E Bibliotheca Historica Anglicana, Ed.* II. *p.* 59.

WILLIAM of Newburg was so call'd from a Monastery in Yorkshire, of that name, whereof he was a Member, though his true Sir-name was Little, whence he sometimes stiles himself Petit or Parvus [1]. His History ends at the Year 1197, and therefore (though he is said to be alive [2] A. D. 1220.) he ought to be reckon'd among the Historians of this Age. John Pits [3] thinks he appears too much a flatterer of the Grandees at Court to write a true History: But, by the Account he gives of the beginning of it, a Man would be tempted [4] to believe he never read it. He was a most violent Persecutor of Jeoffrey of Monmouth, of whose History he gives this sharp Character, that it contains only pro expiandis Britonum maculis ridicula figmenta, &c. But [5] Dr. Powel gives the reason of this Bitterness of Spirit. It appears, he says, from some of their Histories of good Credit and Antiquity, that this William (whom those Welsh Historians call Gwilym Bach, i. Gulielmus Parvus) put in for the Bishoprick of St.

---

1. Others sometimes stile him so. But I do not remember in what Places it is that he stiles himself thus. H.
2. D. Whear, Method. Leg. Hist. p. 138 3. J. Pits, p. 271.
4. For my part, I am of another opinion, and believe that Pits had read this Work with Diligence. Nor do I see any reason to think otherwise from the Account he gives of the Beginning of it. H. 5. In Epist. Ded. ad Pontic. Virun.

Asaph, upon the Death of the said Jeoffrey (Bishop there) about the Year 1165, and, being disappointed, fell into a mad Humour of decrying the whole Principality of Wales, its History, Antiquity, and all that belongs to it. He is large [1] in his Account of the Life, Manners, &c. of Hugh, Bishop of Durham. His Latin style is preferr'd to that of M. Paris, and equall'd with those of Eadmerus and William of Malmesbury, by [2] Dr. Wats.

1. 8vo. Paris, 1610. 2. Præf. ad M. Paris Hist.

Notarum compendiariarum in hac nostra Editione Explicatio.

Ed. Antv. & *Antverp.* Editio Antverpiensis.

Ed. Pic. Editio Picardi.

Edd. pr. Editiones priores.

MS. Pic. & *Cod. Pic.* Codex Manuscriptus antiquus quo usus est Picardus.

P. & *Pic.* Nota Picardi.

SUB-

SUBSCRIBERS
To this Work.

NB. *An Asterisk is put before those that subscrib'd for Royal Paper, a Dagger after those that subscrib'd for several Copies.*

A

James Acton, LL. B. Fellow of All-Souls-Coll. Oxon.
John Adenbroke, of London, M. D.
* Thomas Allen, M. A. Rector of Murston and Kingsdown in Kent. †
John Anstis, Esq; Garter-principal King of Arms.
Edward Arblaster, Gentleman-Commoner of Christ-Church Oxon.
The Honourable Bertram Ashburnham, Esq.
* Richard Atherton, Esq; Gentleman-Commoner of Brazen-Nose-College Oxon.

B

* Thomas Bacon, alias Sclater, of Catley near Linton in Cambridgeshire, Esq.
Thomas Baker, B.D. of St. John's-Coll. Camb.
The Right Rev. Father in God George (Hooper) Ld. Bp. of Bath and Wells.
Charles Battely, Esq.
* Mr. Oliver Battely, Student of Christ-Church Oxon.

Benjamin Baynes, M. A. Fellow of Univerſity-Coll. Oxon. †

* John Beale of the College of Phyſicians.

Hilkiah Bedford, M. A.

* The Honourable Rowland Belaſyſe, Eſq.

Francis Bernard, Eſq. Gentleman-Commoner of Chriſt-Church Oxon.

John Blackbourne, M. A.

Sir John Bland, Baronet.

* Roger Bourchier, M. A. Fellow of Worceſter-College Oxon.

Thomas Bowdler, Eſq. †

* Brazen-Noſe-College Library.

Charles Brent, M. A. Student of Chriſt-Church Oxon. and Rector of Heathorp in Oxfordſhire.

* John Bridges, of Barton near Kettering in Northamptonſhire, Eſq. Fellow of the Royal Society. †

Nathaniel Bridges, M. A. Rector of Orlingbury in Northamptonſhire.

Ralph Bridges, M. A. Vicar of Southweald in Eſſex, and formerly Chaplain to the Right Rev. Father in God Henry (Compton) Ld. Biſhop of London.

* William Brome, of Ewithington near Hereford, Gent. †

William Bromley (Junior) Eſq. Gentleman-Commoner of Chriſt-Church Oxon.

* Legh Brooke, M.A. Fellow of Brazen-Noſe-Coll. Oxon.

John

John Allen Brookes, B. A. Chaplain of All-Souls-College Oxon.

Edward Burton, of the Middle-Temple, Eſq.

C

* The Honourable Benedict Leonard Calvert, of Chriſt-Church Oxon. Eſq. †

* John Campbell, of Calder, Eſq.

* Thomas Cartwright, of Aynoe in Northamptonſhire, Eſq.

* His Grace James (Bridges) Duke of Chandois.

* John Chicheley, of the Middle-Temple, Eſq.

Charles Cholmondley, of Vale-Royal, Eſq.

*The Rt. Honourable the Earl of Cholmondley.

Rob. Cholmondley, of Holford in Cheſhire, Eſq.

* The Hon[ble]. George Clarke, Eſq. LL.D. Member of Parliament for the Univerſity of Oxford, and Fellow of All-Souls-College in the ſame Univerſity.

* Walter Clavell, of the Inner-Temple, Eſq. Fellow of the Royal Society.

* Francis Clay, of London, Bookſeller. †

* Henry Clements, of Oxford, Bookſeller. †

Henry Clements, of London, Bookſeller. †

Jonathan Colley, M. A. Chantor and Chaplain of Chriſt-Church Oxon. and Vicar of Caſſenton near Woodſtock.

Edward Collins, LL.B. of Queen's-Coll. Oxon.

Digby Cotes, M.A. Publick Orator of the Univerſity of Oxford, and Principal of St. Mary Magd. Hall in the ſame Univerſity.

* Thomas

* Thomas Crowe, of London, M. D.

D

Robert Dale, Eſq. Suffolk Herald.

* Ralph Daviſon, of London, Gent.

Thomas Deacon, of London, Prieſt.

* Peirce Dod, M. D. Fellow of All-Souls-Coll. Oxon. †

Mrs. Anne Dodwell.

* The Honourable Brigadier James Dormer.

* The Rt. Honourable the Ld. George Douglas of Chriſt-Church Oxon.

* Philip Dwight, D. D. Vicar of Fulham in Middleſex.

Sir Thomas Dyke, Baronet.

Richard Dyer, M.A. Fellow of Oriel-Coll. Oxon.

E

Matthias Earbery, M.A. late of St. John's-Coll. Cambr.

Richard Ebourne, Gent.

* The Right Reverend Father in God William (Fleetwood) Ld. Biſhop of Ely. †

Richard Emes, M.A. Fellow of St. Mary Magdalen-Coll. Oxon.

Henry Englefyeld, of Whiteknights in the County of Berks, Eſq.

* Edward Etterick, Eſq. Fellow of New-Coll. Oxon. [deceaſed.]

Charles Eyſton, of Eaſt-Hendred in Berks, Eſq.

F

John Fenwick, Eſq. Fellow-Commoner of St. John's-College Camb.

* The

* The Rt.Honble. Thomas Ld. Foley, Baron Foley, of Kidderminſter in Worceſterſhire.

John Fowler, of St. Thomas's in Staffordſhire, Eſq.

* Mat. Frampton, M. D.

* John Freind, M. D. F. R. S.

Richard Frewin, M. D.

Thomas Frewin, Eſq.

Richard Furney of Glouceſter, M. A.

G

Samuel Gale, Gent.

Thomas Girdler, D.D. Fellow of Wadham-Coll. Oxon.

*The Honourable Thomas Leveſon-Gower, Eſq.

* Thomas Granger, of London, Gent.

Richard Graves, of Mickleton near Campden in Glouceſterſhire, Eſq.

* Edward Green, Gent. Chirurgeon to St. Bartholomew's Hoſpital London.

David Gregory, B.A. Student of Chriſt-Church Oxon.

Henry Gregory, M.A. Student of Chriſt-Church Oxon.

John Griffin, of Sareſden in Oxfordſhire, M.A.

* Sir Richard Groſvenor, of Eaton in the County of Cheſter, Baronet.

* Robert Groſvenor, of the Inner-Temple, Eſq.

* The Rt.Honble. Francis (North) Ld.Guilford.

* The Honble. Francis Gwyn, of Ford-Abbey in Devonſhire, Eſq.

Fletcher

Fletcher Gyles, of Holbourne, Bookſeller. †

H

* John Hales, Eſq. Bencher of the Inner-Temple.

Anthony Hall, M. A. Fellow of Queen's-Coll. Oxon.

* His Grace James Duke of Hamilton and Brandon.

* Sir Thomas Hanmer, Baronet.

George Harbin, M. A.

* Philip Harcourt, Eſq. Gentleman-Commoner of Worceſter-College Oxon.

* The Right Honourable Simon Ld. Harcourt, Baron Harcourt of Stanton Harcourt in the County of Oxford.

* John Hardyng, Eſq. M. A. of the Univerſity of Camb. and Deputy to the Remembrancer of the Exchequer.

John Hare, Eſq. Richmond Herald.

* The Rt. Honourable Edward Lord Harley. †

* Edward Harley, Eſq. Gentleman-Commoner of Chriſt-Church, Oxon.

John Harriſon, M. A. Chaplain of Chriſt-Church, and Vicar of St. Mary Magdalen Pariſh, in Oxford.

John Harwood, LL. D. of Doctors Commons and F. R. S.

The Honble. Ferdinando Haſtings, of Chriſt-Church Oxon. Eſq.

Samuel Hawes, M. A.

James Hill, of the Middle-Temple, Gent.

Thomas

Thomas Hinton, M. A. Rector of Laſham in Hampſhire.

William Hollwell, Eſq. Gent. Comm. of Chriſt-Church Oxon.

Robert Hopkins, Eſq.

Chriſtopher Horton, of Catton in Derbyſhire, Eſq. Gent. Comm. of Trinity Coll. Oxon.

J

Mr. George James, Printer in London.

Robert Jenkin, D. D. Maſter of St. John's-Coll. and Margaret Profeſſor of Divinity in the Univerſity of Cambridge.

* Thomas Jett, Eſq.

* William and John Innys, of London, Bookſellers. †

* Maurice Johnſon, of the Inner-Temple, Eſq.

* John Jones, of Chriſt-Church Oxon. Eſq.

* Charles Joy, of London, Merchant.

* James Joy, of London, Gent.

K

* Robert Keck, of the Inner-Temple, Eſq. †

Edward Kelſall, M. A. Vicar of Boſton in Lincolnſhire.

* William King, LL. D.

L

Gilbert Lake, B. D. Vicar of Chippenham in Wilts.

Roger Laurence, M. A.

Matthew Lee, B. A. Student of Chriſt-Church Oxon.

* Henry Levett, M. D. Phyſician to Sutton and St. Bartholomew's Hoſpitals London.

J. Lewis, of Margate in Kent, M. A.

John Lewis, of Covent-Garden London, Bookſeller.

William Lewis, of Covent-Garden London, Bookſeller.

William Lewis Legrand, of Maiden Early in Berks, Eſq.

* The Right Honourable George (Lee) Earl of Litchfield.

Francis Lutterell, of the Middle-Temple, Eſq.

* Charles Lyddell, Gentleman Com. of Chriſt-Church Oxon.

* Richard Lyddell, Eſq.

M

* John Markham, of London, Apothecary.

* Thomas Maſter, Eſq. Member of Parliament for Cirenceſter in Glouceſterſhire.

William Maſter, of St. Paul's Covent-Garden Lond. Eſq.

* Richard Mead, M. D. F. R. S. †

* Samuel Mead, Eſq. †

Dr. John Burchard Menckenius, Counſellor and Hiſtoriographer to the K. of Poland.

John Merik, Eſq.

Charles Mordaunt, Eſq. †

Sir Ri-

Sir Richard More, of Fawley in the County of Berks, Baronet.

* Richard Moſtyn, of Penbedw, Eſq.

* Sir Richard Moſtyn, Baronet.

John Murray, of London, Gent.

* The Rt. Honourable George (Cholmondley) Ld. Newburgh.

* His Grace Thomas Holles (Pelham) Duke of Newcaſtle.

* Thomas Newey, D. D.

John Nicoll, M. A. Student of Chriſt-Church Oxon. and ſecond Maſter of Weſtminſter School.

O

* The Rt. Honourable Robert (Harley) Earl of Oxford and Mortimer. †

P

* Samuel Palmer (of the Lock Hoſpital belonging to St. Bartholomew's Hoſpital) Gent.

* Thomas Palmer, of Fairfield near Bridgewater, Eſq.

* The Rt. Honourable Thomas (Herbert) Earl of Pembroke.

* Thomas Peſtell, of London, Gent.

* Walter Plummer, Eſq. †

* Henry Plumtree, M. D. F. R. S.

* Matthew Prior, Eſq.

R

* Richard Rawlinſon, LL.D. of St. John's-Coll. Oxon. and F. R. S.

* Thomas Rawlinſon, Eſq. F. R. S. †

Sir Robert Rich, of Sunning in the County of Berks, Baronet.

Richard Richardſon, of North-Bierley in Yorkſhire, M. D.

Dr. George Riddell.

The Rt. Reverend Father in God, Francis (Atterbury) Ld. Biſhop of Rocheſter, and Dean of Weſtminſter.

S

* Mr. Richard Samberne, Gent. of the ſix Clerks Office.

* Sir Thomas Sebright, Baronet. †

Edward Sheldon, Eſq.

* Robert Shippen, D. D. Vice-Chancellour of the Univerſity of Oxford, and Principal of Brazen-Noſe-College.

Matthew Skinner, Eſq. Student of Chriſt-Church Oxon.

Sir Hans Sloane, Baronet, Fellow of the College of Phyſicians and of the Royal Society. †

George Smith, of the Middle-Temple, Gent.

Lewis Stephens, M. A. Student of Chriſt-Church Oxon.

* William Stratford, D.D. Archdeacon of Richmond and Canon of Chriſt-Church Oxon.

* Dr. Stuart.

* The

* The Rt. Honourable Charles (Spencer) Earl of Sunderland.

* Sir Philip Sydenham, of Brimpton D' Evercy in Somerſetſhire, Baronet. †

T

Brook Taylor, of Doctors Commons London, LL.D. Fellow of the Royal Society.

William Taylor, of London, Bookſeller. †

* Lewis Thomas, of London, Merchant.

* Timothy Thomas, M. A. Student of Chriſt-Church Oxon.

William Thomas, Gent.

* Sir Robert Throckmorton, of Weſton-Underwood in Buckinghamſhire, Baronet.

* Harry Trelawny, Eſq.

W

Thomas Wagſtaffe, Gent.

John White, M. A. Student of Chriſt-Church Oxon. †

The Reverend Mr. John Whitehead, Rector of Tangmere in Suſſex.

John Whiteſide, M.A. Miniſter of King's Walden in Hartfordſhire, Chaplain of Chriſt-Church in the Univerſity of Oxford, Keeper of the Aſhmolean Muſéum in the ſame Univerſity, and F. R. S.

John Wickham, Eſq.

Browne Willis, of Whaddon-Hall in Buckinghamſhire, Eſq.

* William

* William Wollascott, Esq.

* John Woodward, M. D. Fellow of the Royal Society and Professor of Physick in Gresham-College London. †

William Wright, Esq. Gentleman-Commoner of Brazen-Nose-College Oxon.

* Hugh Wrottesley, of Lincoln's-Inn London, Esq.

Adver-

Advertiſement.

THE Publiſher is now printing in 8vo. from an old MS. *Thomæ Sprotti Chronica.* To which will be ſubjoyn'd four other Things, tranſcrib'd alſo from old authentick MSS. viz. (1.) *Chronica de tempore Mundi*, the Author whereof liv'd *A.C.* 743. (2.) A Tract relating to the Abbey of Ramſey. (3.) *Nicholai Cantalupi Hiſtoriola de Antiquitate & Origine Univerſitatis Cantabrigienſis.* (4.) A remarkable Fragment of an old Engliſh Chronicle or Hiſtory of the Affairs of King Edward the Fourth. The Price to Subſcribers will be twelve Shillings the large, and eight Shillings the ſmall Paper; whereof half is to be paid at the time of Subſcribing, and the reſt when the Copies are delivered. Subſcriptions are taken in either by the Publiſher at Edmund-Hall, or by John Rance at the THEATRE Printing Houſe in Oxford.

Septemb. 1. 1719.

[1]Epistola Willelmi Viri Religiosi Canonici de Novoburgo

Præfacionalis operis sequentis & Apologetica ad Abbatem Rievallis.

[2]*REverendo patri & domino*[3] *Ernaldo Abbati Rievallis, suus Willelmus servorum Christi minimus cum apparuerit Princeps pastorum, immarcessibilem percipere gloriæ coronam.* Litteras sanctitatis vestræ suscepi,

1. Gulielmi Neubrigensis ad E. Abbatem Rievallis epistola, qua instituti sui rationem persequitur *Edd. priores. Et tamen in Cod. suo prætitulationem desiderari monuit Joannes Picardus.* 2. Amantissimo patri domino E. Abbati Rievallis, suus G. servorum *Edd. priores.* 3. *Vide Notas.*

quibus mihi ſtudium & [1] operam rerum memorabilium, quæ noſtris temporibus copioſius provenerunt, ad notitiam cautelamque poſterorum conſcribendarum dignatur ingerere: cum ex illo venerabili filiorum veſtrorum collegio plures vobis ſuppetant, qui hoc opus commodius valeant atque elegantius adimplere. Sed, ut video, pia prudentia veſtra propriis filiis circa obſervantiam militiæ regularis ſudantibus in hac parte ducens parcendum, indultum miſericorditer infirmitati meæ ocium non patitur eſſe ocioſum. Et quidem veſtræ circa me dignationi tanta ſum devotione aſtrictus, ut etiam, ſi fortiora jubeatis,

1. Opera *al.*

beatis, non audeam [1] contraire. Nunc autem cum [2] cauta discretio vestra non altis scrutandis, mysticisque rimandis insistere, sed in narrationibus [3] historicis præcipiat spatiari ad tempus, tanquam pro quadam (ex facilitate operis) recreatione ingenii; [4] multo magis excusandi mihi occasio tollitur. Itaque in adjutorio Dei & Domini nostri, in cujus manu [5] sunt & nos & sermones nostri, fretus orationibus vestris, & sanctorum filiorum vestrorum, qui præcepto sanctitatis vestræ [6] suas non contemnendas preces dignati sunt

1. *Ita quoque Cod. Picardi. Antea,* continere. 2. Tanta *in Edd. priorib.* 3. *Ita etiam Cod. Pic. Antea,* historiatis. 4. Tanto magis *Edd. priores.* 5. Sumus nos & serm. *Edd. priores.* 6. *Sic etiam Cod. Pic.* Tò suas *antea omittebatur.*

 sociare,

ſociare, opus injunctum aggrediar, pauca ſane, quæ ad rem pertinent, ante hiſtoriæ ingreſſum prælibans.

Explicit Epiſtola. Incipiunt capitula primi libri.

1. Guillelmo *Edd. priores.* 2. Guillelmo *Edd. priores.* 3. De iis, quæ *Edd priores.* 4. Invaſit in reg. A. *Edd. priores.* 5. Quomodo *Edd. priores.* 6. Eſt in bello ap. L. *Edd. pr.* 7. Et morte condigna Gaufridi *Edd. priores.*

XII. De

---

1. Marnium *Edd. priores.* 2. Trustino *Edd. pr.* 3. Gillebetto de Sempringham, & *Edd. pr.* 4. Quomodo Guillelmus Eboracensis electus non accepto pallio depositus sit, *omissis* & quomodo Henricus successit, *Edd. priores.* 5. Et captione Ascalonis *Edd. priores.* 6. Et quomodo occæcatus fuerit, *omissis ceteris, Edd. priores.* 7. Guillelmi *Edd. pr.* 8. Prodigiis *Edd. priores.* 9. Secundi in Anglia temp. Ducatus sui *Edd. priores.*

Expliciunt capitula. Incipit liber primus.

Prooemium ſequentis hiſtoriæ.

HISTORIAM [1] *gentis noſtræ, id eſt, Anglorum, venerabilis presbyter & monachus Beda conſcripſit. Qui nimirum præſumpto altius exordio, ut ad id, quod ſpecialiter intendebat, competentius accederet: etiam Britonum, qui noſtræ inſulæ primi incolæ fuiſſe noſcuntur, celebriora ſubtili* [2] *brevitate geſta perſtrinxit. Habuit* [3] *autem gens Britonum ante noſtrum Bedam proprium hiſtoriographum Gildam, quod & Beda teſtatur, quædam ejus verba ſuis litteris* [4] *inſerens: ſicut ipſe probavi, cum ante annos aliquot in ejuſdem Gildæ librum legendum incidiſſem. Cum enim ſermone ſit admodum impolitus atque inſipidus, paucis eum vel tranſcribere vel habere curantibus, raro invenitur. Integritatis tamen ejus non leve documentum eſt, quia in veritate promenda propriæ genti non parcit, & cum admodum parce bona de ſuis loquatur, multa in eis mala*

---

1. *Deſunt* gentis n. i. eſt *in MS. Picardi.* 2. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* gravitate. 3. *Ita quoque Cod. Pic. Antea deſiderabatur,* autem. 4. *L.* 1. *hiſtor. Angl. c.* 21. Picardus.

deplorat,

deplorat, nec veretur, ut verum non taceat, Brito de Britonibus ſcribere, quod nec in bello fortes fuerint, nec in pace fideles. At contra quidam noſtris temporibus pro expiandis his Britonum maculis ſcriptor emerſit, ridicula de eiſdem figmenta contexens, eoſque longe ſupra virtutem Macedonum & Romanorum impudenti vanitate attollens. Gaufridus [1] *hic dictus eſt, agnomen habens Arturi: pro eo quod fabulas de Arturo ex priſcis Britonum figmentis ſumptas, & ex proprio auctas per ſuperductum Latini ſermonis colorem honeſto hiſtoriæ nomine palliavit: qui etiam majori auſu, cujuſdam Merlini divinationes fallaciſſimas, quibus utique de proprio plurimum adjecit, dum eas in Latinum transfunderet, tanquam autenticas, & immobili veritate ſubnixas prophetias vulgavit. Et hunc quidem Merlinum patre incubo dæmone ex femina natum fabulatur: cui propterea* [2] *tanquam patriſſanti excellentiſſimam atque latiſſimam tribuit præſcientiam futurorum: cum profecto & veris rationibus & ſacris litteris doceamur, dæmones à luce Dei ſecluſos futura nequaquam contemplando præſcire: ſed quoſdam* [3] *futuros eventus ex ſignis ſibi quam nobis notioribus, conjiciendo magis quam cognoſcendo colligere. Denique in ſuis quamvis ſubtilioribus conjecturis ſæpe falluntur, & fallunt: cum tamen per divinationum* [4] *præſtigias apud imperitos, quam utique*

---

1. *Vide Notas.* P. 2. Tanquam patris ſancti filio excellentiſſimam *Edd. priores. In ſuo tamen Codice* filio *etiam deſiderari monuit Picardus.*
3. Eventus futuros *Edd. priores.* 4. Præſtigia *Edd. priores.*

non

non habent, præſcientiam ſibi arrogent futurorum. Sane divinationum Merlini perſpicua fallacia eſt in his quæ in regno Anglorum contigiſſe noſcuntur poſt mortem prænominati Gaufridi, qui divinationum illarum nænias ex Britannico tranſtulit: quibus, ut non fruſtra [1] *creditur, ex proprio figmento multum adjecit. Porro ad ea, quæ vel ante ipſum, vel in diebus ejus evenerunt, taliter ſua, quod utique facile poterat, temperavit figmenta, ut congruam poſſent interpretationem recipere. Præterea in libro ſuo, quem Britonum hiſtoriam vocat, quam petulanter* [2] *& quam impudenter fere per omnia mentiatur, nemo niſi veterum hiſtoriarum ignarus, cum in librum illum* [3] *inciderit, ambigere ſinitur. Nam, qui rerum* [4] *geſtarum veritatem non didicit, fabularum vanitatem indiſcrete admittit. Omitto quanta de geſtis Britonum ante Julii Cæſaris* [5] *imperium homo ille confinxerit, vel ab aliis conficta tanquam autentica ſcripſerit. Omitto quæcunque in laudibus Britonum contra fidem hiſtoricæ veritatis deliravit, à tempore Julii Cæſaris ſub quo Britones ditionis Romanæ eſſe cæperunt, uſque ad tempus Honorii Imperatoris: ſub quo Romani à Britannia propter urgentiora Reipublicæ negotia ſponte receſſerunt. Certe Britones, Romanis recedentibus ſui juris effecti, immo ad ſuam perniciem ſibi relicti, Pictiſque & Scottis ad prædam expoſiti, Regem* [6] *Vortigirnum habuiſſe leguntur, à*

1. Credatur *Edd. priores.* 2. Et impudenter, *omiſſo* quam, *in Edd. priorib.* 3. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* incidit. 4. *Deeſt* geſtarum *in Edd. priorib.* 5. *Ita quoque Cod. Pic. Antea,* imperium & adventum homo *&c.* 6. Wortegirnum *Edd. priores.*

quo

quo ad tuitionem [1] *regni invitati Saxones vel Angli Duce Hengisto* [2] *Britanniam venerunt, irruptiones barbaricas pro tempore depulerunt, postea vero explorata insulæ fertilitate, & indigenarum inertia, rupto fœdere in ipsos, à quibus fuerant invitati, arma verterunt: quibus paulatim profligatis, miseras eorum reliquias, quæ nunc Walenses vocantur,* [3] *inviis montibus & saltibus coartarunt. Habueruntque per seriem successionis reges fortissimos, & late dominantes, è quibus fuere* [4] *Ethelbertus, Hengisti pronepos, qui protenso à Gallico mari usque ad Humbrum imperio,* [5] *leve Christi jugum Augustino prædicante suscepit. Ailfridus, qui* [6] *Northanhumbranis præsidens Britones simul &* [7] *Scottos vasta cæde perdomuit. Edwinus, qui Ailfrido succedens Anglis simul & Britonibus præfuit. Oswaldus ejus successor, qui cunctis Britanniæ populis imperavit. Hæc, cum juxta historicam veritatem à venerabili Beda expositam constet esse rata: cuncta, quæ homo ille de Arturo* [8] *& ejus vel successoribus, vel post Vortigirnum prædecessoribus scribere curavit, partim ab ipso, partim & ab aliis constat esse conficta, sive effrenata mentiendi libidine, sive etiam gratia placendi Britonibus, quorum plurimi tam bruti esse feruntur, ut adhuc Arturum tanquam venturum expectare dicantur, eumque mortuum nec audire patiantur. De-*

1. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* regni Saxones, *omisso* invitati. 2. In Britanniam *Edd. priores.* 3. In inviis *Edd. priores.* 4. Echelbertus *Edd. priores.* 5. Lene *Cod. noster.* 6. Northahumbranis *Edd. pr.* 7. Scotos *Edd. priores.* 8. Et ejus successoribus, vel post Wortegirnum, *Edd. priores.*

nique [1] Vortigirno facit ſuccedere Aurelium Ambroſium, (devictis expulſiſque Saxonibus, quos [2] Vortigirnus accerſierat,) in tota Britannia egregie imperantem, illique dat ſucceſſorem [3] Utherpendragon fratrem ejus, non impari potentia gloriaque regnantem, plura de Merlino ſuo profuſa mentiendi libertate interſerens. Defuncto quoque [4] Utherpendragon facit ſuccedere Arturum [5] filium in regno Britanniæ, à [6] Vortigirno [7] quartum, ſicut noſter Beda ponit [8] Ethelbertum Auguſtini ſuſceptorem in Regno Anglorum ab Hengiſto quartum. Itaque regnum Arturi, & ingreſſus in Britanniam Auguſtini, concurrere debuerunt. Sed quantum mera hiſtoriæ veritas hoc loco compoſitæ præjudicet falſitati: vel lippienti, mentis acie clare videri poteſt. Ipſum [9] autem Arturum facit præclarum & ſpectabilem ſuper omnes homines, tantumque illum in geſtis vult eſſe, quantum ſibi libuit fingere. Denique in primis facit eum de Anglis, Pictis, & [10] Scottis, ad libitum triumphare: [11] Deinde Hiberniam, Orchades, Gothiam, Noricam, Daciam, partim bello, partim etiam ſolo terrore nominis, ditioni ſuæ ſubjugare. His quoque addit Iſlandiam, quæ ultima [12] Thule ſecundum quoſdam dicitur, ut ad Britonem illum in veritate ſpectare

1. Wortegirno *Edd. priores.* 2. Wortegirnus *Edd. pr.* 3. Utherpendragum *Ed. Pic.* 4. Utherpendrago *Edd. priores.* 5. Filium ſuum in r. *Edd. pr.* 6. Wortegirno *Edd. priores* 7. *In MS. Pic. eſt colon, & poſt,* Sic noſter *&c.* 8. Echelbertum *Edd. pr.* 9. Arturum autem *Edd. pr.* 10. Scotis *Edd. pr.* 11. Denique Hiberniam, Noricam, Orchades, Gothiam, Daniam, partim bello, *&c. Edd. priores.* 12. Tile *tam hîc, quam & infra, in MS. noſtro. Nec aliter Cod. Pic. Locus exſtat* I. *Georg.*

videatur,

videatur, quod Augusto Romano à Poëta nobili adulatorie dicitur, Tibi serviet ultima Thule. *Deinde facit eum bello pulsare Gallias, & de ipsis in brevi subactis felicissime triumphare: quas Julius Cæsar cum summis periculis atque laboribus annis decem vix potuit subjugare, scilicet ut minimus digitus hujus Britonis grossior videatur lumbis magni Cæsaris. Post hæc cum triumpho multiplici reducit eum in Britanniam, & facit eum cum subactis regibus & principibus festum celebrare* [1] *famosissimum præsentibus tribus Britonum Archiepiscopis, scilicet Lundoniarum, Urbis legionum,* [2] *Eboracæ; cum ne unum quidem Archiepiscopum unquam* [3] *habuerunt Britones. Primus enim Augustinus accepto à Romano Pontifice pallio, Archiepiscopus in Britannia factus est. Barbaræ vero nationes Europæ,* [4] *etiam olim ad fidem Christi conversæ, contentæ Episcopis de Pallii prærogativa non curabant. Denique Hibernienses,* [5] *Norici, Daci, Gothi, cum olim Christiani fuisse & Episcopos habuisse noscantur, nostris temporibus Archiepiscopos habere cœperunt. Inde Fabulator ille, ut suum Arturum ad summum evehat, facit eum Romanis bellum indicere: ante hoc bellum singulari certamine miræ magnitudinis Gigantem prosternere; cum post Davidica tempora de nullo Gigante legatur. Consequenter profusiori mentiendi licentia*

---

1. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* sanctissimum *pro* famosissimum. 2. Eboraci *Edd. priores.* 3. Habuerint *Edd. priores.* 4. *Deest* etiam *in MS. Picardi, qui & merito abesse inquit.* 5. Norici, Dani, Gothi, *Edd. pr. Et tamen* Nordaci, Gothi, *in Cod. suo legi testatur Picardus.*

facit adverſus eum convenire cum Romanis Reges magnos orbis terrarum: ſcilicet, Græciæ, Africæ, Hiſpaniæ, Parthorum, Medorum, Itureorum, Libyæ, Ægypti,[1] *Babyloniæ, Bithyniæ, Phrygiæ, Syriæ, Bœotiæ, Cretæ, omneſque refert uno prælio ab illo devictos: cum Alexander ille Magnus, & omnibus ſeculis clarus, per annos duodecim*[2] *in quibuſdam tantorum regnorum principibus ſuperandis ſudaverit. Profecto*[3] *minimum digitum ſui Arturi groſſiorem facit dorſo Alexandri Magni, præſertim cum ante hanc victoriam de tot magnis regibus, faciat eum commemorare ſuis in concione ſubactionem triginta regnorum à ſe & illis jam factam. At non inveniet Fabulator noſter tot regna in orbe noſtro, præter regna memorata, quæ utique nondum ille ſubegerat. An alium orbem ſomniat infinita regna habentem, in quo ea*[4] *contigerunt quæ ſupra memoravit? Quippe in orbe noſtro nunquam talia contigerunt. Quomodo enim hiſtoriographi*[5] *veteres, quibus ingenti curæ fuit nihil memorabile ſcribendo omittere, qui etiam mediocria memoriæ mandaſſe noſcuntur, virum incomparabilem ejuſque acta ſupra modum inſignia ſilentio præterire potuerunt? Quomodo, inquam, vel nobiliorem Alexandro Magno Britonum monarcham Arturum ejuſque acta, vel parem noſtro Eſaiæ Britonum prophetam Merlinum ejuſque dicta ſilentio ſuppreſſerunt?*

---

1. Babylonis *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic.* Τὸ in *antea deſiderabatur.* 3. *Aptat propoſito reſponſum Roboami ad ſubditos petentes vectigalium minutionem* 3. *Reg.* 12. Picardus. 4. Contigerint *Edd. priores.* 5. *Ita etiam Cod. Pic. Antea deſiderabatur,* τὸ veteres.

preſſerunt? Quid enim minus in præſcientia duntaxat futurorum [1] *tribuit ſuo Merlino, quam nos noſtro Eſaiæ: niſi quod ejus vaticiniis non audet inſerere,* Hæc dicit Dominus, *& erubuit inſerere,* Hæc dicit Diabolus, *quippe hoc debuit congruere vati, incubi dæmonis filio? Cum ergo nec tenuem de his veteres hiſtorici* [2] *fecerint mentionem, liquet à mendacibus eſſe conficta, quæcunque de Arturo atque Merlino ad paſcendam minus* [3] *prudentium curioſitatem, homo ille ſcribendo vulgavit. Et notandum, quod eundem Arturum poſtea refert in bello letaliter vulneratum, regno diſpoſito ad curanda vulnera ſua abiiſſe in illam, quam Britannicæ fingunt fabulæ, inſulam* [4] *Avallonis: propter metum Britonum non audens eum dicere mortuum, quem adhuc vere bruti Britones expectant venturum. De ſucceſſoribus vero Arturi pari impudentia mentitur, tribuens eis uſque ad ſeptimam fere generationem, Britanniæ monarchiam: facienſque eorum ſubregulos & miniſtros, quos venerabilis Beda fortiſſimos dicit fuiſſe Reges Anglorum, univerſæ Britanniæ nobiliter imperantes. Ut ergo eidem Bedæ, de cujus ſapientia & ſinceritate dubitare fas non eſt, fides in omnibus habeatur: Fabulator ille cum ſuis fabulis incunctanter ab omnibus reſpuatur. Sane poſt Bedam non defuere, qui ab ipſo ſeriem temporum atque eventuum noſtræ inſulæ, ad noſtram uſque memoriam ducerent, illi quidem minime comparandi: pro reli-*

1. *Deeſt* tribuit *in Cod. noſtro.* 2. Fecerunt *Edd. priores.* 3. Prudentum *Edd. pr.* 4. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* Avallom.

gioſa

giosa tamen opera, & fideli, quanquam minus diserta narratione laudandi. Nostris autem temporibus tanta & tam memorabilia contigerunt, ut modernorum negligentia culpanda merito censeatur, si litterarum [1] *monimentis ad memoriam sempiternam mandata non fuerint. Et forte hoc opus ab aliquo sive aliquibus jam vel inchoatum est, vel patratum, sed tamen viri venerabiles, quibus mos gerendus est, hoc ipsum* [2] *& meæ parvitati dignantur injungere, ut & ego, quia cum divitibus non possum, saltem cum paupercula vidua aliquid de tenuitate mea mittam in gazophylacium Domini. Quoniam vero Anglicanæ ordinem historiæ à quibusdam usque ad decessum Regis Henrici primi novimus esse deductum, sumpto ab adventu Normannorum in Angliam exordio, media tempora succincte percurram, ut à successore ejusdem Henrici Stephano (cujus anno primo* [3] *ego Willelmus servorum Christi minimus, & in Adam primo ad mortem sum natus, & in secundo ad vitam renatus) narrationem (Deo volente) incipiam producere pleniorem.*

1. Monumentis *Edd. priores.* 2. *Deest* & *in Cod. nostro.* 3. Ego G. servorum *Edd. priores.*

De

De [1] *Willelmo Notho, primo ex Normannis Rege Anglorum.*

CAP. I.

ANNO à plenitudine temporis quo verbum caro factum est, & habitavit in nobis, M. LXVI. [2] Guillelmus cognomento Nothus, Dux Normannorum, 1066. Haraldo Regi Anglorum, vel dominandi libidine, vel causa ulciscendi injurias, bellum intulit: quo Haraldo bellica sorte absumpto, Anglisque expugnatis atque subactis, Ducatui Normanniæ regnum Angliæ sociavit. Cumque peracta victoria, tyranni nomen exhorrescens & legitimi Principis personam induere gestiens, à Stigando tunc temporis Cantuariensi [3] Archiepiscopo in Regem solemniter consecrari deposceret; ille viro (ut aiebat) cruento & alieni juris invasori manus imponere nullatenus adquievit. [4] Aldredus vero Eboracensis Archiepiscopus, vir bonus & prudens, hoc munus implevit, acutius intelligens, cedendum esse tempori, & divinæ nequaquam resistendum ordinationi. Denique hoc modo hominem ferocissimum, [5] spirantem adhuc minarum & cædis

1. Guillelmo *Edd. priores.* 2. *Sic & ipse noster Codex, tam hîc quam & infra. Unde liquet utraque scribendi ratione usum fuiße auctorem. Imo tertia etiam usus est. Sæpenumero enim* Wilelmus *scripsit.* 3. *Ita etiam MS Pic. Antea,* Episcopo. 4. Altredus *Edd. priores. Et tamen* al. Aldredus *legi in marg. Editionis suæ notavit Picardus.* 5. *Scite, quod Act. ix. T. 5. Paulo, accommodat Guilielmus.* Pic.

in

in populum, mitem reddidit, & religiosis pro conservanda [1] publica, tuendaque ecclesiastica disciplina, sacramentis astrinxit. A quo postea loco patris ita colebatur, ut cum ille ceteris imperaret, ab eo sibi imperari æquanimiter sineret. Contigit aliquando eundem Pontificem in quadam petitione à Rege repulsam passum, iratum avertere scapulam [2] recedentem, & maledictionem pro benedictione comminari. Cujus [3] motum ille non sustinens ad pedes ejus procidit, veniam petiit, satisfactionem spopondit. Cumque optimates, qui aderant, suaderent, ut regem prostratum erigeret, *finite*, inquit, *illum jacere ad pedes Petri.* Plane in hoc & quanta fuerit ferocissimi Principis erga Præsulem reverentia, & quanta ejusdem Præsulis circa Principem auctoritas atque fiducia, satis declaratum est. Porro idem Rex à Stigando Cantuariensi, ut dictum est, irritatus, cum vitium ordinationis ejus, & vitæ dedecora postea cognovisset, honestam de ipso voluit habere ultionem. Accersitus enim Regiis litteris ad disponendam ecclesiam Anglicanam [4] Apostolicæ sedis legatus, concilium in Anglia celebravit: in quo Stigandi sceleribus patefactis, infructuosam arborem [5] securis Canonicæ animadversio-

1. *Ita etiam Cod. Pic. Antea*, republica. 2. Recedentem & maledicentem *Edd. priores. Picardus tamen notavit in suo Codice* recedentemque, maledictionem *legi.* 3. Motus *Edd. priores.* 4. Concilium in Anglia Apostolicæ sedis legatus celebravit *Edd. priores.* 5. *Vide Notas.* P.

nis

nis ſuccidit. Locum vero ſucciſæ ſuſcepit Lanfrancus ex monacho Beccenſi Abbas Cadomenſis, natione Longobardus, vir præter religioſæ vitæ meritum, in utraque litteratura, ſeculari ſcilicet & divina, clariſſimus. Aldredo quoque Eboracenſi ad patres ſuos appoſito Thomas ſucceſſit. Guillelmus autem poſtquam regnum fortiter adquiſitum per annos XXI. nobiliter tenuit, cum jam ſub extrema ſorte decumberet, tres filios deſignavit heredes. Et quidem Robertum primogenitum ſuum quia paternæ pietati inofficioſus & rebellis extiterat, ducatu [1] Normanniæ contentum eſſe voluit: ſui vero nominis filio, in quo ſibi melius complacebat, regnum Angliæ aſſignavit. Porro juniorem Henricum, cujus indolem propenſius laudabat, multa ſumma donatum bene acturum prædixit. Dormivit ergo cum patribus ſuis homo ab annis adoleſcentiæ armis acer, animo ingens, ſucceſſu felix, ſingulare Nothorum decus: ſepultuſque eſt Cadomi in monaſterio Protomartyris Stephani, quod ipſe à fundamentis extruxerat, egregieque ditaverat. In ejus vero ſepultura quiddam memorabile contigiſſe fideli narratione cognovi. Cum enim expleta exequiarum ſolemnitate corpus ejus in loco ad hoc præparato eſſet condendum; quidam accedens, omnipotentis Dei [2] prætento

1. *Sic quoque MS. Pic. Antea omittebatur,* Normanniæ. 2. *Sic plane Codex noſter. Ita etiam* al. *legi in margine Ed. ſuæ notavit Picardus,*

terribiliter nomine eum ibidem ſepeliri prohibuit, "terra," inquiens, "iſta [1] avito mihi jure "competit: quam idem Rex dum monaſte-"rium conſtrueret, violenter mihi abſtulit, nec "unquam poſtea [2] pro ea mihi ſatisfecit." Obſtupuere omnes qui aderant, judicio Dei, ad declarandam tranſitoriæ Dominationis vanitatem, actum conſiderantes, ut Princeps potentiſſimus, qui tam late dominatus fuerat vivus, locum corporis ſui capacem ſine querela non haberet mortuus. Denique querela illa adeo movit omnes, ut prius [3] illi cani vivo, tanquam meliori, ad votum ſatisfacerent; ac deinde circa leonem mortuum juſta complerent. Sane [4] quod idem Chriſtianos innoxios hoſtiliter Chriſtianus impetiit, & tanto ſibi ſanguine Chriſtiano regnum paravit, quantæ apud homines gloriæ, tantæ [5] etiam apud Deum noxæ fuit. Cujus rei argumentum eſt quod à teſtibus fide dignis accepimus. In loco ſiquidem ubi [6] victi Angli occubuerunt, conſtructum eſt à victoribus monaſterium nobile beati Martini de bello nuncupatum; quod ſcilicet & ad homines æternus foret Normannicæ victoriæ titulus, & ad [7] Deum propitiatio pro effuſione tanti ſanguinis Chriſtiani. Denique in eodem monaſterio locus ille ubi Anglorum pro patria dimican-

qui tamen præcento *edidit.* Præcentor *Ed. Antverp. non adeo recte, monente etiam ipſo Picardo.* 1. Antiquo *MS. Pic.* 2. *Deſunt* pro ea *in Edd. priorib.* 3. *Vide Notas.* 4. Quia *MS. Pic.* 5. Et *MS. Pic.* 6. Multi *MS. Pic.* 7. Dominum *Edd. pr.*

tium

tium [1] maxima ſtrages facta eſt, ſi forte modico imbre maduerit, verum ſanguinem [2] & quaſi recentem exſudat: ac ſi aperte per ipſam rei evidentiam dicatur, quod adhuc [3] vox tanti ſanguinis Chriſtiani clamet ad [4] Dominum de terra; quæ aperuit os ſuum & ſuſcepit eundem ſanguinem de manibus fratrum, id eſt, Chriſtianorum.

De [5] Willelmo Rufo, ſecundo ex Normannis Rege Anglorum, & de expeditione Jeroſolymitana.

CAP. II.

ANNO à plenitudine temporis quo veritas de terra orta eſt M.LXXXVII. [6] Robertus 1087.
primogenitus in Ducatu Normanniæ & Guillelmus qui agnominatus eſt Rufus in regno Angliæ patri defuncto ſucceſſere, ordine quidem [7] præpoſtero, ſed per ultimam (ut dictum eſt) patris voluntatem commutato. Unde factum eſt, ut, quibuſdam optimatum Roberto propenſiorem, tanquam juſto heredi & perperam exheredato, favorem præſtantibus, ſtatumque regni turbantibus, Guillelmus in principio in-

---

1. Maxime *MS. Pic.* 2. *Deeſt & in Edd. priorib.* 3. *Imitatus eſt locum de nece Abel Gene.* 4. Pic. 4. *Sic cum Edd. priorib. licet* D'in (*quod idem atque* Deum *valet*) *non* D'nm (*quod* Dominum *ſignificat*) *in Cod. noſtro ſcribatur.* 5. Guillelmo *Edd. priores.* 6. *Huic Roberto fuiſſe cognomen Curtehoſe tradit anonym. Anglus in Chron. ad eundem annum & inſequentes, & Valſingham in Ypodig. Neuſtriæ.* Picardus. 7. Præpoſtero, ſcilicet per ultimam patris (ut dictum eſt) vol. com. *Edd. priores.*

firmius laborioſiuſque imperaret, & ad conciliandos ſibi animos ſubditorum modeſtior mitiorque appareret: at poſtquam perdomitis hoſtibus & fratre mollius agente roboratum eſt regnum ejus, exaltatum eſt illico cor ejus, apparuitque ſuccedentibus proſperis, [1] qualis apud ſe latuiſſet, dum premeretur adverſis, homo vecors & inconſtans in omnibus viis ſuis, Deo indevotus, [2] & eccleſiæ gravis, nuptiarum ſpernens [3], & paſſim laſciviens, opes regni vaniſſima effuſione exhauriens, & eiſdem deficientibus ſubditorum fortunas in hoc ipſum corradens. [4] Homo [5] typo immaniſſimæ ſuperbiæ turgidus, & uſque ad nauſeam vel etiam deriſionem doctrinæ evangelicæ, temporalis gloriæ fœdiſſima voluptate abſorptus. Frater vero ejus ſenior Robertus, cui nimirum ordine naturali regni ſucceſſio competebat, minus quidem elati & ferocis animi fuit, ſed in minori adminiſtratione, ſcilicet Ducatus Normannici, claruit, quod regno ampliſſimo adminiſtrando nunquam idoneus fuerit. Qui tamen armis tantus fuit, ut in illa magna & famoſa expeditione Jeroſolymitana inter fortiſſimos totius orbis proceres clariſſimæ militiæ [6] titulis fulſerit. Porro Henricus frater junior laudabilem

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur,* apud ſe. 2. *Deeſt* & *in Edd. priorib.* 3. Copulas *addit MS. Pic.* 4. Homo turgidus typo immaniſſimæ ſuperbiæ, & uſque *Edd. priores.* 5. *Rectius,* typho, *qua de voce in notis ad epiſt. 3. Ber. dixi.* Picardus. 6. *Deeſt* titulis *in MS. Pic. in quo &* fuerit *pro* fulſerit.

præſe-

præferens indolem, duris & [1] infidis fratribus militabat. De ſuo quippe nihil ei largientes, ea etiam, quæ pater illi teſtamento reliquerat, abſtulerunt. Cumque fratri minimo paulatim ad provectum tendenti inviderent, eorum ille inſidias in tuto ſe continens prudenter eludebat. Circa hoc tempus Lanfranco Cantuarienſi [2] Archiepiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, Anſelmus Abbas Beccenſis ſucceſſit, natione & ipſe Longobardus, Lanfranci olim diſcipulus, vir ſanctus & excelſus in verbo gloriæ. Eboracenſis quoque Eccleſiæ Præſulatum Thoma defuncto Gerardus ſuſcepit. Sane ſub memorati Regis principatu ſuſcitavit Dominus ſpiritus Chriſtianorum contra Sarracenos, occulto Dei judicio longo jam tempore tanquam jure hereditario poſſidentes ſanctuarium Dei, [3] id eſt, loca ſacra, in quibus redemptio noſtra celebrata eſt. Factus eſt ergo per Urbani Pontificis Romani, & aliorum ſervorum Dei religioſam operam, magnus populi Chriſtiani concurſus. fortiſſimi duces charactere Domini inſigniti, & numeroſiſſima ſtipati militia, expeditione laborioſiſſima Orientis regna penetrantes, Niceam Bithyniæ, Antiochiam Syriæ urbes ampliſſimas, & ad ultimum ſanctam civitatem, pio & felici ſudore ceperunt. è quibus fuit Robertus Dux Normanniæ in primis clarus. Qui nimirum cum eidem expeditioni

1. Invidis *MS. Pic.* 2. Epiſcopo *Edd. priores.* 3. Et *MS. Pic.*

neceſ-

necessaria præpararet, & pecunia illi minus copiosa suppeteret, accepta à fratre Guillelmo summa non modica Normanniam illi [1] apposuit, sicque cum reliquis Principibus Christianis laudabile iter arripiens, cunctis prospere gestis post annos aliquot [2] repatriavit. Rex autem Guillelmus prolongans iniquitatem sibi, & in exitium proprium contra stimulum calcitrans; venerabilem Anselmum cum modestia [3] corripientem, & enormia, quæ ab eo vel sub eo gerebantur, corrigere volentem non pertulit, sed spoliatum rebus fere omnibus tanquam regno contrarium ab Anglia expulit. Verum dum in Oriente à nostris proceribus fortiter atque feliciter ageretur, idem Rex, propellentibus eum ad interitum malis suis, condignum effrenatæ superbiæ finem incurrit. Quippe in venatione, sagitta proprii militis homo ferocissimus pro fera confossus interiit, completumque [4] est in eo illud: [5] "Vidi impium [6] superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani, & transivi & ecce non erat, quæsivi eum & non est inventus locus ejus.

1. *Id est, oppignoravit.* Pic. 2. *Ita etiam MS. Pic. Antea,* domum repedavit. 3. Eum corripientem *Edd. priores.* 4. In eo est *Edd. priores.* 5. *Psal.* 36. Pic. 6. *Non* super exaltatum (*duab. vocib.*) *cum Edd. priorib.*

De Henrico, tertio ex Normannis Rege Anglorum, & de quibusdam quæ sub ejus regno contigerunt.

CAP. III.

ANNO à plenitudine temporis quo misit Deus filium suum in mundum M. C. Regi 1100.
Guillelmo infeliciter mortuo [1] frater Henricus successit, filiorum quidem Guillelmi magni ordine nativitatis novissimus, sed prærogativa primus. Quippe aliis in Ducatu patris natis: solus ipse ex eodem jam rege est ortus. Hac ratione inducti, & præterea laudabili ejus indole illecti Pontifices & proceres Angliæ fratrem Robertum in Oriente adhuc constitutum, quem ex Ducatu non bene administrato constabat regno administrando [2] fore minus idoneum, expectandum minime censuerunt, eumque, quem aptum esse regimini signis non fallacibus colligebant, in Regem solemniter sublimarunt. Qui mox salubri usus consilio, venerabilem Anselmum ab exilio revocavit, pravas consuetudines, quæ sub fratre inoleverant, [3] abrogavit, pacis & æquitatis jura, [4] quoad regi novitio licebat, firmavit; multa enim adhuc pro tempore prudenter dissimulabat ne rigore subito subditi terrerentur, caute prævidens post reditum fratris tumultus [5] sibi publi-

1. Frater suus Henricus *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea desiderabatur*, fore. 3. Abrogans *MS. Pic.* 4. *Ita quoque MS. Pic. Antea*, quatenus regem adhuc novitium decuit, firmavit; *&c.* 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, scilicet *pro* sibi.

cos

cos minime defuturos, quod & contigit. Cum enim ille ex Orientis partibus cum uxore, quam ſibi in via deſponderat, reverſus, Normanniam recepiſſet; inſtigantibus eum quibuſdam Angliæ proceribus, quibus jam Henricus formidabilis eſſe cœperat, fratri bellum, niſi regnum ſibi reſignaret, indixit, armatam claſſem in Angliam duxit, [1] cui mox adjuncti ſunt, qui à fratre deſciverant. Sed prudentia fraterna homo levis & inconſtans deluſus, infecto [2] negotio, Normanniam rediit, fratrique cum regno regnandi ſecuritatem reliquit. Cumque per annos aliquot Normanniæ incubans eam ſua mollitie perderet, & improbi nullo publicæ diſciplinæ metu [3] coërciti libere graſſarentur, invitatus à majoribus ejuſdem provinciæ Rex Henricus civili magis animo quam hoſtili affuit, [4] & plurima ejus parte in deditionem recepta, tandem fratrem fuſis ejus copiis apud Tenerchebrai in bello cepit. Sic itaque vir magnus & magnorum in remotis mundi partibus operum, fortunæ invidia [5] proditus in manus junioris fratris, quem olim irritaverat, incidit, & poſt tantam militiæ claritatem in fratris quidem, ſed tamen minus fraterna cuſtodia inglorius reliquum vitæ ſuæ tempus exegit. Henricus

1. Cui & mox *Edd. pr.* 2. *Sic etiam Cod. Pic. Antea*, negotio, regnandi ſecuritatem fratri cum regno reliquit, & in Normanniam rediit. Cumque &c. 3. Coartati *MS. Pic.* 4. *Deeſt* & *in Edd. priorib.* 5. *Sic etiam Cod. Pic. Antea*, prœditus.

ricus autem regno Angliæ ſocians Ducatum Normanniæ, [1] ſicut pater olim Ducatui Normanniæ regnum ſociaverat Angliæ, nomen celebre & grande adeptus eſt juxta nomen magnorum qui ſunt in terra. Porro venerabilis Anſelmus Cantuarienſis ex Gallicano exilio ad propriam ſedem regreſſus, & poſt annos aliquot viam univerſæ carnis ingreſſus, ſortitus eſt nomen grande juxta nomen magnorum qui ſunt in cœlo. Succeſſit ei Radulphus Abbas Sagienſis vir religioſus & prudens. Gerardo vero Eboracenſi defunćto Thomas ſecundus ſucceſſit, ætate quidem juvenis, ſed gravitate & ſinceritate morum prædeceſſori ſuo valde diſſimilis. Idem enim Gerardus homo quidem acutus & litteratus fuiſſe [2] dinoſcitur: ſed vita lubricus, in emungendis per indecoras etiam occaſiones ſubditorum marſupiis callidus, &, ut plurimi aſſeverant, maleficiis etiam [3] aſſuetus, Deo & hominibus inviſus inventus eſt, quod & ejus mors horrenda & poſt mortem corpori ejus negata Pontificalium exequiarum ſolemnitas [4] declararunt. Quippe apud Suthwellam cum pranſus in horto juxta cubiculum clericis prope ſpatiantibus ſuper cervical ſub [5] dio quieſceret, letali ſopore diriguit. Corpus ejus raro agmine [6] Eboracam delatum, neque clericis,

1. *Deeſt* ſicut *in MS. Pic.* 2. Dignoſcitur *Ed. Pic.* 3. Aſſecutus *MS. Pic.* 4. Declaravit *Edd. priores.* 5. Divo *Cod. noſter.* 6. Eboracum *Edd. priores.*

neque civibus cum pompa exequiali ex more occurrentibus, ſed pueris (ut dicitur) ſandapilam lapidantibus, extra eccleſiam ſine honore ſepulturæ eſt traditum. Ille autem qui ei ſucceſſit, exemplo ejus territus, lavanſque manus ſuas in ſanguine peccatoris, laudabiliter in officio [1] ſuo converſatus eſt. [2] Progreſſiores vero annos non vidit, raptus, ut credo, ne malitia mutaret intellectum ejus. De quo nimirum rem memorabilem viro veraciſſimo referente cognovi: quam non ſilebo. Ægrotanti à medicis [3] dictatum eſt, ut feminæ pro remedio miſceretur, pronunciantibus hoc ſolo morbum fore curabilem. Inſtabant amici ut fieret: proteſtantes, [4] Deum minime [5] offenſum iri, dum hoc pure pro remedio, non pro voluptatis illecebra fieret. Viſus eſt aſſentiri, ne contriſtaret amicos. Femina decentis formæ in ſecretum ejus [6] intromittitur. Poſtea vero urinam inſpicientibus medicis, aſſenſio illa pro placandis amicis ſimulatoria fuiſſe declaratur. Objurgantibus ergo eum amicis, quod quaſi ſemetipſum occideret, qui medicorum præcepto non pareret, *ſilete*, inquit. *nullus veſtrum mihi ulterius verbi hujus virus inſibilet : nam propter ſalutem carnis tandem morituræ immortale decus pudicitiæ non amittam*. Huic ergo ex eadem ægri-

. 1. *Deeſt* ſuo *in Edd. priorib.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* prolixiores. 3. Dictum eſt *Edd. priores.* 4. Dominum *Edd. pr.* 5. Offenſurum iri, *Cod. noſter MS.* 6. Intermittitur *Edd. priores.*

tudine,

tudine, ut creditur, feliciter mortuo, pro qua curanda [1] Deum offendere noluit, [2] Thurſtinus, vir bonus & prudens, ſucceſſit. Porro Radulpho Cantuarienſi appoſito ad patres ſuos, Guillelmus, qui regularium clericorum apud [3] Chiechiam Prior exſtiterat, cathedram ejus ſuſcepit. Has fuiſſe novimus Metropolitanorum ſucceſſiones ſub Rege Henrico. Idem autem Rex ex [4] Matilda religioſa regina geminam in ſexu diſpari [5] ſuſcepit ſobolem. [6] Et filiam materni nominis jam nubilem Henrico Imperatori Romano petenti deſpondit, filium vero aviti nominis [7], qui ſucceſſor ſperabatur, jam puberem ſiniſter caſus abſtulit, cum turba nobilium juvenum marinis belluis eſcam datum. Et quoniam Matildis regina jam obierat, procreandorum cauſa heredum Rex filiam Ducis Lotharingiæ duxit uxorem, de qua [8] tamen liberos non ſuſcepit. Unde filiam, poſtquam Imperator non relictis ex ea heredibus in fata conceſſerat, ex Alemannia revocatam, illuſtri Comiti Andegavenſi Gaufrido deſpondit, ut vel nepotes ex ea [9] ſucceſſores haberet. Factoque concilio, eidem filiæ ſuæ & ſuſceptis vel ſuſcipiendis ex ea nepotibus, ab Epiſcopis, Comitibus, Baronibus, & omnibus qui alicujus vide-

1. Dominum *Edd priores.* 2. Truſtinus *Edd. priores.* 3. Chicthiam *MS. noſter.* 4. Matilde *Edd. priores.* 5. Suſceperat *Edd. pr.* 6. Et filiam quidem materni *Edd. priores.* 7. *Polydor. Virgil. Anglic. hiſt. li.* XI. *pa.* 191. Pic. 8. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* tamen. 9. Succeſſuros *Edd. priores.*

bantur esse momenti, [1] regnum cum Ducatu Normanniæ fecit jurari. Regnavit autem in multa felicitate & gloria annis XXXV. & mensibus aliquot; quibus expletis, dormivit cum patribus suis: homo multis quæ decerent Principem bonis ornatus, quæ tamen plurimum denigrabat [2] in concupiscentia feminarum imitando petulantiam Salomonis. Feras quoque propter venationis delicias plus justo diligens, in publicis animadversionibus cervicidas ab homicidis parum discernebat. Corpus ejus cerebro & intestinis ejectis [3] sallitum coriisque insutum, à Normannia in Angliam delatum, & apud Radingum [4] in monasterio, cujus ipse devotus fundator largusque ditator extiterat, sepultum est. Porro [5] homo ille, qui precio magno conductus cerebrum ejus extraxerat, intolerantia fœtoris (ut dicitur) infectus atque extinctus est: sicque cum [6] Helisæi mortui corpus vivificaverit mortuum, illius jam mortui corpus mortificavit vivum.

Quomodo Stephanus contra jusjurandum invasit regnum Anglorum.

CAP. IV.

1135. ANNO à partu virginis [7] M. C. XXXV. defuncto, sed nondum sepulto clarissimo Rege

---

1. Regnum Angliæ cum Ducatu Normanniæ fecit adjurari *Edd. pr.* 2. Tò in *omittit Cod. Pic.* 3. Salitum *Edd. pr.* 4 *Vide Notas.* P. 5. *Deest* homo *in Edd. pr.* 6. 4. *Reg.* 13. *& Ecc.* 48. P. 7. Al. M. C. XXXVI. *in MS. Pic.*

Anglo-

Anglorum, & Duce Normannorum Henrico, [1] Stephanus Bononiensis, ejus ex sorore nepos, regnum Anglorum invasit. Siquidem Stephanus major Comes Blesensis majoris [2] Willelmi filiam [3] memorabilem feminam uxorem duxerat, & ex ea quatuor susceperat filios. Quo nimirum in partibus Orientis defuncto, mater mirabilis primogenito, quod remissioris [4] esset ingenii & tanquam degener videretur, prudenter amoto, Theobaldum filium, in quo sibi bene complacebat, ad plenitudinem hereditatis provexit, [5] Stephanum adhuc impuberem Regi avunculo nutriendum promovendumque direxit, [6] quartum vero, [7] id est, Henricum, ne soli seculo genuisse liberos videretur, apud Cluniacum tonsoravit. Processu temporis Rex Henricus unicam Comitis Bononiensis filiam, ad quam tota spectabat hereditas, nepoti Stephano copulavit: [8] in Anglia quoque plurima collargiens. Fratri autem ejus Henrico Cluniacensi monacho dedit Abbatiam Glastoniensem, ac postmodum Episcopatum adjecit Wintoniensem. Cum ergo, ut prædictum est, Rex Henricus obiisset, itidem Stephanus sacramenti, quod filiæ ejus de conservanda fidelitate præstiterat, prævaricator regnum arripuit, annitentibus

1. Stephanus Comes Bon. *Edd. priores.* 2. Guillielmi *sive* Guillelmi *Edd. priores.* 3. Nomine Adalem *addit MS. Pic.* 4. *Deest* esset *in Edd. priorib.* 5. Tertium, id est, Stephanum *MS. Pic.* 6. *Vide notas ad epist.* 93. *Bern. edit.* 1608. Pic. 7. *Desunt* id est *in Edd. priorib.* 8. In Anglia plurima eidem collargiens *Edd. priores.*

Præsulibus

Præſulibus atque Principibus eodem ſacramento aſtrictis. Denique Guillelmus Cantuarienſis Archiepiſcopus, qui primus juraverat, unxit eum in Regem, aſſiſtente & cooperante Rogerio Salesbirienſi Epiſcopo, qui ſecundus juraverat, & juraturis ſingulis juramenti formam expreſſerat. Et Archiepiſcopus quidem ejuſdem, ut creditur, perjurii merito, ipſo prævaricationis ſuæ anno defecit. Epiſcopus vero poſt annos aliquot, ipſo Rege [1] divinæ in illum ultionis miniſtro, miſerabili exitu vitam finivit, ut plenius ſuo loco [2] dicetur. Forte tamen arbitrati ſunt obſequium ſe præſtare Deo, dum ſuo perjurio tanquam diſpenſatorio Eccleſiæ regnique profectibus melius providerent: eo quod in defuncti Principis moribus & actibus plura [3] ſibi merito diſplicuiſſent, quæ Princeps mero ab eis creatus beneficio, eorum (ut credebant) libenter emendaret conſilio. Stephanus ergo, ut contra jus humanum pariter & divinum, humanum ſcilicet, quia legitimus heres non erat, & divinum, id eſt, violata jurisjurandi religione, ſublimaretur in Regem, pactus eſt quæcunque Præſules & Proceres exigere voluerunt, quæ poſtea per ejus perfidiam in irritum cuncta ceſſerunt. Dei enim judicio bona minime venire debuerunt, propter quæ ſapientes potenteſque illi malum tam enorme faciendum decreverunt.

1. Divinitus *MS. Pic.* 2. *Scilicet cap.* vi. *hujus libri.* Pic. 3. Ipſis *pro* ſibi *in Edd. priorib.*

Quod

Quod Stephanus fausta habuerit regni principia.

CAP. V.

DUOS quidem priores regni sui annos Rex Stephanus faustos habere visus est, Rege Scottorum David, qui Northumbriam trans fluvium Tinum irruperat, magnis viribus repulso & domito: [1] Baldewino de Redneriis, qui contra eum rebellare cœperat, expugnato atque in exilium acto: rebus quoque in Normannia fortiter & feliciter gestis. Anno vero tertio & quarto cœperunt contra perjurum & pactorum etiam, quæ in promotione sua fecerat, prævaricatorem mala increscere, plurimi & fortissimi rebellare, ipse jam exhaustis avunculi thesauris minus posse & mollius agere. Initia malorum hæc. Cum ergo in Australibus Angliæ partibus contra eos, qui à se defecerant, & hostiliter agebant casso labore sudaret; Scottorum redivivus furor erumpens Northumbriam crudelissima depopulatione exinanitam obtinuit, & amne Tino transmisso, neque sexui, neque ætati parcens, usque ad fluvium Tesam pervenit: non quidem ibi debacchandi sibi limitem statuens, sed totam Deirorum provinciam cum Eboraca civitate spe [2] jam indubia possidens. Provinciales vero, cum nullum vel à Rege vel à Transhumbranis provinciis sperarent auxilium, bonæ memoriæ [3] Thurstini

1. Baldenwino *Edd. priores.* 2. Jam non dubia *Edd. priores.*
3. Trustini *Edd. pr.*

Archi-

Archiepiſcopi monitis animati pro animabus ſuis, pro conjugibus & liberis pugnandum duxerunt, atque unanimiter conglobati contra multitudinem immanitate terribilem non longe à flumine Teſa in campo ſteterunt, numero quidem longe impares, ſed piæ juſtæque cauſæ fiducia multum præſtantes. Denique Scotti mane caſtris incenſis flumen tranſeunt, & objectam paucitatem deriſui habentes, audacter in pugnam ruunt. At non diu prœlium tractum eſt, ubi nihil aut parum gladiis actum. Levis enim armaturæ homines, confodientibus eos eminus jaculis, mox terga dederunt, noſtriſque cum victoria campum reliquerunt. Cæſa referuntur in illa vel pugna, vel fuga Scottorum multa milia, & rex David raro quidem milite, ſed multo dedecore comitatus, refugit in propria. Hoc bellum Deo propicio adverſus Scottos feliciter geſtum eſt anno Regis Stephani quarto, menſe Auguſto. Et poſt menſes aliquot [1] Albericus [2] Hoſtienſis Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus, concilium Lundoniis celebravit; ubi Theobaldus Abbas Beccenſis Rege connivente cathedram Eccleſiæ Cantuarienſis ſuſcepit.

---

1. *Sic etiam MS. Picardi. Antea,* Albertus, *quam lectionem & ipſe Picardus tuetur, & in textu retinet.* 2. *Conſule notas.* Pic.

De

De Rogerio Salesbiriensi, & Alexandro Lincolniensi Episcopis, & quomodo capti sunt à rege Stephano.

CAP. VI.

POST hæc Rex Oxenefordiæ constitutus, pessimis consiliis ita est depravatus, ut Ecclesiasticorum virorum inhiando pecuniis impias eis manus injiceret, & sacris non deferendo ordinibus, personæ regiæ inexpiabilem nævum inureret. Quippe Rogerium Salesbiriensem & Alexandrum Lincolniensem nobilissimos & potentissimos tunc in Episcopis Anglorum, cum eos paulo ante ad se venientes hilari facie suscepisset; repente tanquam personas vilissimas atrocium injuriarum reas captos inclusit, artavit, pecuniis & castellis nudavit. Sane de hujus Rogerii primordiis atque progressibus, quoniam se præbet occasio, pauca dicenda sunt: ut in fine ejus miserrimo altitudo divini consideretur judicii. Idem sub regno Guillelmi junioris sacerdos admodum [1] tenuis in quodam (ut dicitur) suburbano Cadomensi de officio vivebat. Eodem tempore Henricus junior fratri Regi militans, casu ex itinere cum comitibus divertit ad Ecclesiam, in qua ille ministrabat; petiitque sibi celebrari sacra. Sacerdos vero petitione suscepta ad incipiendum promptus, & ad finiendum succin-

1. Tenuis (ut dicitur) in quodam suburbano *Edd. priores.*

ctus, in utroque [1] militibus sic placuit, ut dicerent tam aptum militibus reperiri non posse [2] Capellanum. Cumque regius ille juvenis diceret, *Sequere me*: non secus illi adhæsit quam [3] Petrus olim Regi cœlesti idem dicenti. Petrus enim relicta navicula Regem Regum, ille vero relicta Ecclesia secutus est juvenem Regium: factusque illi & ejus militibus [4] Capellanus ad libitum, cæcus præstabat cæcis [5] ducatum. Et cum esset fere illiteratus, innata tamen astutia ita callebat, ut Domino suo in brevi carus existeret, & secretiora ejus negotia procuraret. Postquam autem idem Dominus ejus regnum sortitus est, eum tanquam ante regnum & in regno bene de se meritum ad Salesbiriensem provexit Episcopatum: quinetiam illi tanquam in multis probato, fideli & industrio publicas administrationes commisit, ut esset non tantum in Ecclesia magnus, sed etiam in regno à Rege secundus. Denique amplas exercendæ avaritiæ occasiones nactus, ex utroque officio, scilicet Ecclesiastico & Seculari, ingentes coacervavit divitias, non dispergendas dandasque pauperibus, sed vanissimis usibus applicandas. Duo enim nobilia sumptuosissimo opere castella, scilicet [6] Divisas & Scireburnam, construxit, vanissime satagens ne reciperent

1. Sic militibus *Edd. priores.* 2. Sacellanum *Edd. pr.* 3. *Matth.* 4. *Mar.* P. 4. Sacellanus *Edd priores.* 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* ducem. 6. *Quo non erat splendidius intra fines Europæ, inquit Richard. Hagulstad. in Chron. de gestis Stephani.* Pic.

compa-

comparationem in regno. Alexandro [1] quoque nepoti ſuo, Rege ſibi nihil negante, Lincolnienſis Eccleſiæ ſedem obtinuit, qui cum eſſet cordis latiſſimi, avunculum æmulans duo & ipſe non ignobilia expenſis profuſiſſimis caſtella exſtruxit. Et quoniam hujuſmodi exſtructio Epiſcopalem honeſtatem minus decere videbatur; ad tollendam illius exſtructionis invidiam & quaſi expiandam maculam, totidem monaſteria conſtruens, [2] collegiis religioſis implevit. Cum autem inclytus Rex Henricus à ſingulis regni Præſulibus atque Proceribus de conſervanda Filiæ ſuæ in ſucceſſione regni fidelitate ſacramentum exigeret; memoratus Salesbirienſis idem ſacramentum, uti ſuperius dictum eſt, non ſolum in propria perſona [3] hilariter præſtitit, verum etiam aliis præſtituris tanquam vir prudens & à Rege ſecundus ad nutum regium caute diſtinxit. Sed Rege defuncto, qui ei tantæ in [4] hoc ſeculo claritatis auctor extiterat, circa legitimos ejus heredes infidus, ut Stephanum ſacramento illo æque [5] aſtrictum ſibi alliceret, non ſolum non eſt veritus incurrere perjurium, verum etiam aliis

---

1. *Deeſt* quoque *in Edd priorib.* 2. *Eaque, ut reor, de cauſſa, ejus religio prudentiaque commendantur in MSS. tabulis Epiſcoporum Lincoln.* Pic. *Recte autem è Cod. noſtro* collegiis *pro* collegis *(quod in Edd. prioribus legitur) repoſui. Vide cap.* xvi. *ſub finem.* 3. *Deſunt* hilariter præſtitit *in Edd.priorib.* 4. *Deeſt* hoc *in Edd. pr.* 5. Aſtrictum alliceret, non eſt veritus *Edd. priores.* Tò ſibi *tamen in ſuo etiam legi Codice monuit Picardus.*

insigne pejerandi præstruxit exemplum. Eidem quoque sublimato in Regem se talem exhibuit, ut obsequiorum gratia præclaram apud illum habere fiduciam videretur. Tantis ille beneficiis ingratus, & in ipsum Episcopum, cujus opera nunquam episcopalia fuere, ultor divinitus ordinatus, eundem, tanquam exigui hominem momenti, primo carcerali custodia, postmodum etiam cibi inopia, & [1] nepotis ejus (qui Cancellarius fuerat regius) intentato supplicio ita coartavit, ut duo illa præclara castella, in quibus thesauri ejus erant repositi, resignaret. Quo facto claruit ex vi doloris, quantum ejus cor infecerit mundani virus amoris. Nam, juxta veracissimam beati Gregorii sententiam, quantum, cum habentur temporalia, hæret amor, tantum, cum subtrahuntur, urit dolor. Denique grandævus Episcopus ex eorum amissione, in quorum exstructione vel congestione [2] Deum vehementer offenderat, vi doloris absorptus, atque in amentiam versus, ita ut indecentia vel faceret vel diceret, perspicuo Dei judicio vitam longo tempore splendidissimam infelicissimo fine conclusit. Alexander vero Lincolniensis, qui cum eo captus fuerat, eisdem quibus ille modis ad resignandas munitiones, quas exstruxerat, angariatus est, quibus resignatis, ægre relaxatus est, divinum circa se judicium (si sapuit) venerans & saniora meditans.

1. Nepoti *Edd. priores.* 2. Dominum *Edd. priores.*

ditans. Sed nec ipſi Regi, quem virgam furoris Domini fuiſſe conſtat, erga memoratos Epiſcopos in proſperum cedebat; quod inſtigante vel odio perſonarum, vel ambitu pecuniarum, ſacris minime ordinibus deferebat, idque ſequentia declarabunt.

Quomodo Stephanus regiam auctoritatem amiſerit cum Normannia.

CAP. VII.

PAUCIS ſiquidem diebus elapſis Matildis olim imperatrix filia Regis Henrici in Angliam venit, & contemplatione juramenti olim [1] ſibi de Regno præſtiti, multorum procerum corda commovit, cum ſe jam plurimi proprio inſtinctu contra Regem Stephanum erigere minime formidarent. Itaque diviſum eſt regnum, quibuſdam Stephano, quibuſdam vero dictæ imperatrici favorem opemque præſtantibus; & completum eſt illud Dominicum: [2] "Omne "regnum in ſe diviſum deſolabitur." Ita enim per diſcurſus excurſuſque hinc inde hoſtiles, rapinis & incendiis paulatim dilaniata atque attenuata eſt Anglia, ut ex regno florentiſſimo infeliciſſimum videretur. Jam omnis Regii nominis terror, jam omnis diſciplinæ publicæ vigor in ventum abierat; & ſublato legum metu, libido & licentia paſſibus æquis currebant.

1. De Regno ſibi *Edd. priores.* 2. *Matt.* 12. & *Luc.* 11. P.

Malis

Malis ergo quotidie [1] crebreſcentibus, jam verſa erat in luctum Eccleſiæ Cithara; & populus ſub multiplici gemebat jactura. Rebus in Anglia ſe ita habentibus, Andegavenſis Comes Normanniam cum exercitu pervagatur, totamque in brevi uxoris & filii nomine in ſuam poteſtatem [2] traducit, nemine ſe opponente qui ejus valeret impetum ſuſtinere. Cum Rege quippe Francorum, qui Regi Stephano fœderatus videbatur, prudenter colluſerat, ne quid ab eo impedimenti pateretur, quo minus proſperaretur in [3] hiis quæ intendebat.

Quomodo Rex Stephanus captus eſt in bello apud Lincolniam.

CAP. VIII.

SEXTO regni [4] ſui anno Rex Stephanus caſtrum Lincolnienſe obſedit, quod Rannulphus Comes Ceſtrenſis dolo intraverat, & tenebat: protractaque eſt obſidio à diebus Natalis Dominici uſque ad [5] Ypapanti Domini. Idem autem Comes ut obſidionem ſolveret, Glouceſtrenſem Comitem Regis Henrici filium Nothum, ſuum vero ſocerum, alioſque

---

1. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* creſcentibus. 2. *MS.* traducta. *Huc autem poſſunt referri continuat. Sigeb. Aymoin. & Richardus Hagulſt. Hæc Picardus.* Traducta *vero mihi ſphalma eſſe videtur pro* traducit, *quod jam primum è Cod. noſtro eruimus, quum antea* redegit *editum fuerit.* 3. His *Edd. pr.* 4. *Deeſt* ſui *in Edd. priorib.* 5. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* Epiphaniam. *Vide Notas.*

fortiſſi-

fortiſſimos Proceres cum ingentibus copiis ſecum adducens, Regi ni cederet, bellum denunciavit. Rex vero eorum adventu præcognito, vires undecunque contraxerat: & turmis extra urbem diſpoſitis, ut [1] exciperet venientes prœlium cum multa fiducia inſtruebat. Nam & ipſe bellator erat robuſtiſſimus, & militum numero ampliore ſubnixus. Huc accedebat, quod hoſtilis exercitus longo & hyemali itinere fatigatus, otio, quo recrearetur, quam prœlio, quo periclitaretur, magis idoneus videbatur. Qui tamen numero quidem & apparatu impar, ſed ſolis animis præſtans, eo quod ſibi tam longe progreſſo à propriis nullum in hoſtium finibus videret eſſe locum effugii, conſtanter in bellum prorupit. Rex ipſe cum ſua turma amotis equis in pedes conſiſtens, equitum turmas ad dandos vel excipiendos primos belli ictus in fronte diſpoſuerat, quibus primo hoſtilis equitatus [2] in preſſu victis atque in fugam actis, totum pondus prœlii in regiam turmam verſum eſt. Ibi quidem acerrime pugnatum eſt, Rege ipſo in primis fortiter agente, quo tandem capto & turma ejus profligata, victor exercitus urbem diripiendam ovans ingreditur, & captivus inſignis dictæ imperatrici tranſmiſſus, apud Briſtou cuſtodiæ mancipatur.

1. Reciperet *Edd. priores.* 2. Impreſſu *Edd priores.*

Quo-

Quomodo Rex Stephanus liberatus eſt per captionem Comitis [1] Glouceſtrenſis.

CAP. IX.

IGITUR Regii caſus infelicitate comperta, imperatrix ad ſummum evehitur, & fere totius regni favoribus honoratur. Verum ſtulta apparuit, poſtquam elevata eſt in ſublime. Ita enim ex recenti felicitate ſucceſſuum corde intumuit & verbis intonuit, ut intolerabili faſtu femineo optimatum contra ſe pendulos adhuc animos inflammaret. Cives quoque Lundonienſes, qui eam favorabiliter prius ſuſceperant, expulerunt eam, ſuperbiam ejus non ferentes. Unde indignata, [2] Regem (qui judicio Dei in [3] manus ejus inciderat, & adhuc indulgentius cuſtodiebatur) compedibus oneravit, eo ipſo divini [4] judicii ſeveritatem circa eum molliens, &, ut poſtea claruit, liberationem ejus accelerans. Evolutis enim diebus paucis cum avunculo ſuo Rege Scottorum & fratre ſuo Roberto turrim Wintonienſis Epiſcopi obſidens, fortunæ inconſtantiam, & effrenatæ ſuperbiæ merito, prioris jacturam gloriæ experta eſt. Denique idem Epiſcopus Regis germanus homo multæ in regno potentiæ, callidus & pecunioſus ſupra modum, Apoſtolicæ quoque ſedis legatus

1. Glauceſtrenſis *MS. noſter.* 2. *His, conſequentibuſque ſimilia refert Richardus Haguſta. in Chron. ad annum* MCXL. Picardus. 3. Manum *Edd. priores.* 4. Severitatem judicii *Edd. priores.*

in

in Anglia; ad ſolvendam obſidionem, ex Cantia, quam ſolam caſus non flexerat regius, Guilelmum Yprenſem cum Regina, & ex aliis provinciis plurimos dominationis [1] feminæ faſtu irritatos accerſivit. Cumque jam immenſas contraxiſſet copias, per dies aliquot uterque exercitus excubabat in caſtris, & præter eos qui ex caſtris egreſſi pro oſtentatione virium exercebantur, vacare videbatur. Sed advenientes magnæ ex Lundoniis copiæ, ita eorum qui dictæ imperatrici adverſabantur auxerunt exercitum, ut ipſa jam impar ad pugnam, civitate Wintonia relicta & direptioni expoſita, evadere curaret per fugam. Captus eſt in fuga illa [2] Robertus frater ejus Comes Glouceſtrenſis cum aliis plurimis. Porro [3] David Rex Scottorum, ne incideret in manus hoſtium perſequentes arte eluſit, & quibuſdam eum caute deducentibus cum multo metu atque periculo ad propria rediit. Sane inſignium captivorum, ſcilicet Regis & Comitis, commutatio facta eſt; & perſeverantibus inimicitiis uterque pro altero ſibi & ſuis eſt redditus.

Quomodo imperatrix fugit de Oxenfordia, & de concilio Lundonienſi.

CAP. X.

Cum ergo Rex & imperatrix jugi diſcordia diſceptarent, quandoque partes æquabantur,

1. Feminex *Edd. priores.* 2. *In die exaltationis S. Crucis, inquit Richar. Hagulſt.* Pic. 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur,* David.

bantur, quandoque vero præstabat altera, fortunæ volubilitatem in brevi expertura, quod ex [1] suppositis [2] clarebit. Sequenti enim anno Rex Stephanus apud Wiltonam munitionem construens, repentina hostium irruptione contritus, & plurimis suorum amissis in fugam actus est. Captus est ibidem Dapifer Regis [3] Wilelmus, cognomento Martellus: qui mox pro sui corporis liberatione nobile castellum Schireburnense resignavit. Eodem anno fortuna retrograda Rex imperatricem in [4] Oxenfordia [5] per menses aliquot obsidione conclusit. Illa vero diutinæ obsidionis impatiens occasionem fugæ ex temporis qualitate nacta, noctis & nivis beneficio in veste alba [6] Tamensim fluvium crassa glacie superstratum transiit: & hoc modo evadens in tutiora [7] loca se recepit. Rex autem oppidum memoratum obtinuit. Hoc successu priorum eventuum dedecus quantulumcunque detergens, post tanta divinæ vel districtionis vel miserationis experimenta, viris ecclesiasticis de cetero mitior visus est: & concilio, [8] quod sequenti anno Lundoniis ab Henrico Wintoniensi Episcopo [9] Apostolicæ sedis legato pro quiete & prærogativa ordinis

1. Postpositis *MS. Pic.* 2. Clarebat. Sequente autem anno *Edd. priores. Et tamen in suo etiam Cod.* clarebit *legi monuit Picardus.* 3. Guillelmus *Edd. priores.* 4. Oxenefordia *Ed. Antverp.* Oxenofordia *Ed. Par.* 5. *Post festum S. Michaëlis usque ad adventum, inquit Richardus Hagulstad.* Pic. 6. Tamesim *Edd. priores.* 7. Se loca *Edd. priores.* 8. *Consule notas.* P. 9. Sedis Apostolicæ *Edd. priores.*

clericalis

clericalis celebratum eſt, benigne interfuit, & favoris Regii ſuffragium non negavit. Nam quia tunc in Anglia malis increſcentibus parum ſacris deferebatur ordinibus, eratque fere in omnibus ſicut populus ſic ſacerdos; in eodem concilio ſtatutum eſt, ut quicunque in clericum vel in monachum violentas manus injiceret, excommunicatus ſolemniter denunciaretur, & ad Romanum Pontificem abſolvendus mitteretur. Ipſo anno nondum finito Cantuarienſis Archiepiſcopus ſuper Wintonienſem Epiſcopum ordinariam poteſtatem habens, & Wintonienſis ſuper Cantuarienſem Romanæ legationis poteſtatem exercens, dum hæ duæ poteſtates ſe mutuo ſibi colliderent; Eccleſiarum pace concuſſa Romanum Pontificem adierunt, & quæſtionem tanto gratiorem quanto ponderoſiorem Romanis auribus intulerunt. Et alter quidem in cauſa præſtantior, neuter [1] vero inexhauſto ſacculo reverſus eſt.

De vita ſcelerata & [2] condigno interitu [3] Gaufridi de magna Villa.

CAP. XI.

EODEM tempore Rex Stephanus cepit Gaufridum de magna Villa in curia ſua apud Sanctum Albanum: non quidem honeſte &

1. Vero niſi exhauſto *Edd. priores.* 2. Morte condigna *pro* condigno interitu *in Edd. priorib.* 3. *Vide Notas.*

 ſecun-

ſecundum jus [1] gentium, ſed pro merito ejus, & metu, ſcilicet, quod expediret, quam quod deceret, plus attendens. Erat enim idem Gaufridus homo audaciſſimus, & magnarum virium, ſimul & artium: præclaram illam arcem Lundonienſem cum duabus aliis munitionibus non ignobilibus poſſidens, & ſubtili aſtutia ingentia moliens. Cum ergo propter hæc ipſi eſſet Regi terribilis; acceptam ab eo injuriam Rex caute diſſimulabat: & tempus opportunum, quo ſe ulciſceretur, obſervabat. Injuria vero, quam Regi nequam ille intulerat, talis erat. Rex ante annos aliquot Epiſcopi, ut [2] dictum eſt, Salesbirienſis theſauros adeptus, ſumma non modica Regi Francorum Lodovico tranſmiſſa, ſororem ejus Conſtantiam Euſtachio filio ſuo deſponderat; intendens affinitate tanti Principis contra Comitem Andegavenſem ejuſque filios ſucceſſurum ſibi filium roborare: [3] eratque hæc cum ſocru ſua regina Lundoniis. Cumque regina ad alium forte vellet cum eadem nuru ſua locum migrare; memoratus Gaufridus arci tunc præſidens reſtitit: nuruque de manibus ſocrus pro viribus obnitentis abſtracta atque retenta, illam cum ignominia abire permiſit. Poſtea vero repoſcenti, & juſtum [4] metum pro tempore diſſimulanti

1. Gentium, ſed *omittit Ed. Antv. Deſunt etiam in textu Ed. Picardi, qui tamen in Tabula Erratorum addenda eſſe monuit. At ad oram libri docuit in Cod. ſuo legi,* gentium,at. 2. *Sup. cap.*VI.P. 3. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* erat hæc. 4. Motum *Cod. noſter.*

Regi

Regi ſocero inſignem prædam ægre reſignavit. Et videbatur hæc injuria oblivioni jam tradita, cum ecce congregatis per edictum regium apud Sanctum Albanum proceribus, prædo ille inter ceteros affuit, quem Rex illico temporis opportunitatem nactus juſtiſſimæ indignationis loris aſtrinxit, eique arcem Lundonienſem cum duobus reliquis quæ poſſidebat caſtellis extorſit. Munitionibus ergo nudatus, ſed tamen relaxatus homo ille, quietis neſcius, animo ingens, [1] aſtu vix comparabiliter præditus, & ſupra modum ſapiens ut faceret malum, collecta improborum manu monaſterium Rameſeyenſe invaſit, nec veritus expulſis monachis locum tam celebrem & ſanctum facere ſpeluncam latronum, & Sanctuarium Dei convertere in domicilium Diaboli, crebris eruptionibus atque [2] excurſionibus vicinas infeſtavit provincias. Deinde ſumpta [3] ex ſucceſſu fiducia longius progrediens Regem Stephanum acerrimis fatigavit terruitque incurſibus. Eo ſic debacchante, videbatur dormire divinitas, & non curare res humanas, vel etiam ſuas, id eſt, eccleſiaſticas: dicebaturque à laborantibus piis, [4] *Exſurge, quare obdormis Domine?* At poſtquam (ut ait Apoſtolus [5]) ſuſtinuit [6] Deus in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, *excitatus eſt* ([7] ut

1. Faſtu *MS. Pic.* 2. Extorſionibus *MS. Pic.* 3. Exceſſu *MS. Pic.* 4. *Pſalm.* 43. P. 5. *Rom.* 9. P. 6. Dominus *Edd. priores.* 7. *Pſalm.* 77. P.

ait

ait propheta) *tanquam dormiens Dominus, & percussit inimicos suos in posteriora*, id est, in fine, quorum anteriora felicia videbantur. Denique paulo ante impii illius interitum, sicut veraci multorum relatione compertum est, parietes [1] Ecclesiæ, quam invaserat, & claustri adjacentis, verum sanguinem sudarunt: quo, ut postea claruit, significabatur & immanitas facinoris, & jam imminens judicium ejusdem immanitatis. Verum cum improbi in reprobum sensum dati signo tam horribili minime terrerentur; nequam ille castellum hostile oppugnans inter consertas suorum catervas, vilissimi peditis sagitta in capite percussus est. Quo vulnusculo vir ferocissimus, quamvis illud primo derideret, post aliquot dies absumptus, ecclesiastici anathematis vinculum, nunquam [2] eo absolvendus secum portavit ad inferos. Duo etiam satellites ejus crudelissimi, quorum unus equitibus, alter peditibus præerat, diversis casibus [3] interiisse feruntur. Ille enim equo decidens, eliso ad terram capite excussoque cerebro, exspiravit: alter vero Rainerus nomine, præcipuus ecclesiarum effractor atque incensor, cum uxore sua transfretans, iniquitatum suarum pondere in medio mari navim, qua vehebatur, fecit immobilem. Quod cum maximo [4] nautis, & aliis qui simul vehebantur, esset stupori, [5] anti-

1. *Vide Notas*. P. 2. Ab eo *Edd. priores*. 3. Interisse *MS. noster*. 4. Natis *MS. Pic*. 5. *Jonæ prophetæ, ut est videre ca*. 1. *ejusd*. Pic.

quo

quo exemplo jacta est sors, & cecidit sors super Rainerum. Et ne forte hoc casu accidisse videretur, iterum & tertio sorte jacta & fideli inventa, judicium Dei declaratum est. Itaque ne universi cum ipso & propter ipsum perirent, expositus est in scapha cum uxore & pecunia male adquisita. Navis illico expedita est & cursu solito ferebatur. Scapha vero pondere peccatoris subsedit, fluctibusque absorpta est.

De Roberto Marmiun & ejus interitu.

CAP. XII.

SANE memorato invasori duo in Anglia consimiles fuisse noscuntur, Robertus scilicet, cognomento [1] Marmium, qui expulsis monachis ecclesiam [2] Coventrensem, & [3] Wilelmus Albemarlensis, qui exclusis regularibus clericis ecclesiam invasit & polluit [4] Brelintoniensem. quorum alter, scilicet Robertus, divini pondere judicii contritus est: alter vero, id est, [5] Wilelmus, clementiæ divinæ respectu compunctus, largis crebrisque eleemosynis in pauperes expensis, & non ignobilium constructione monasteriorum expiavit excessum. Denique Robertus Marmiun homo bellicosus, ferocia, astutia, audacia, fere nulli suo tempore impar, cum

1. *Sic quidem hîc loci Cod. noster. Ut utroque modo scripserit Auctor.* Marmiun *Edd. al.* 2. Conventrensem *Edd. Pic.* 3. Guillelmus *Edd. priores.* 4. *Vide Notas.* P. 5. Guillelmus *Edd. priores.*

jam

jam multis late debacchando ſucceſſibus clarus, præclaram illam Eccleſiam excluſis ſervis Dei, [1] & intromiſſis ſatellitibus diaboli profanaſſet: Ceſtrenſem quoque Comitem, [2] cui ſpecialiter adverſabatur, crebris & magnis excurſionibus fatigaret, eidem Comiti cum ingentibus copiis [3] adventanti inſultaturus egreſſus eſt. Cumque in conſpectu ſuorum pariter & hoſtium equo ſpumeo cum faſtu nimio veheretur, ſuæ artis immemor (nam crebras, ut dicitur, in campo foſſas fecerat, quibus hoſtes vel arcerentur vel impedirentur) judicio, inquam, Dei, ſuæ artis & operis immemor, incidit in foveam, quam fecit; fractoque femore emergere non valens, à quodam ignobili [4] hoſtilium partium ſatellite, [5] cunctis hinc inde videntibus, capite truncatus eſt, eiſdem fere diebus, quibus ſuper prædicto Gaufrido judicium Dei celebratum eſt, quod & in hujus interitu pro cauſſa conſimili claruit. Horum quidem exitio, & perſpicuo circa illos Dei judicio prænominatus Albemarlenſis non eſt territus, quo minus poſt annos aliquot ſcelus conſimile attentaret. Sed, ut dixi, miſericordiam non judicium de manu Omnipotentis Dei pœnitentiæ & ſatisfactioni reſervatus ſuſcepit.

---

1. *Ita quoque MS. Pic. Antea deſiderabatur*, &. 2. Qui *Ed. Pic.* 3. Adverſanti *Ed. Pic.* 4. Hoſtium *Edd. priores.* 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, cunctis huic invidentibus.

De

De variis casibus Regis Stephani.

CAP. XIII.

ANNO Regis Stephani nono, qui illorum duorum nequam interitu fuit insignis, idem Rex castrum Lincolniense, quod Comes Cestrensis obtinebat, obsedit. ubi dum munitionem exstrueret, operariis subita hostium irruptione præfocatis, confusus abscessit. Verum anno sequenti hujus jacturæ maculam expiavit. Cum enim Comes Gloucestrensis & ceteri partis adversæ munitionem quantum sibi utilem, tantum etiam hostibus nocituram apud [1] Ferendunum construxissent, Rex cum sua militia & Lundoniensibus copiis ocius advolans, eadem munitione per dies aliquot fortiter oppugnata, tandem cum ingenti & cruento labore potitus est. Sic [2] igitur circa partes alternabat fortuna, & quibus per secundos paulo ante successus arridebat, hos sinistris repente casibus eludebat. [3] Veruntamen hunc successum, quo videbatur anni præcedentis dedecus expiasse, anni sui undecimi fœdavit infamia. Cum enim Rannulphus Comes Cestrensis pactis cum eo celebratis, fidelis jam illi & devotus effectus, apud Walingefordam profusis eum juvisset auxiliis, ille post modicum eundem Comitem ad se pacifice & secure venientem apud

1. Sferendinium *MS. Pic.* 2. Ergo *Edd priores.* 3. Verum hunc *Edd. priores.*

[1] Norhamtonam in Curia ſua regiæ Majeſtatis & honeſtatis immemor hoſtiliter comprehendit, & Caſtrum Lincolnienſe cum ceteris quæ uſurpaſſe videbatur, reſignare coëgit. Quo facto Comes relaxatus Regi perpes de cetero factus eſt inimicus.

De [2] Turſtino Eboracenſi Archiepiſcopo, & origine Rievallis & Fontium.

CAP. XIV.

[3] DUM in Regno Angliæ talia provenirent, ſanctæ recordationis [4] Turſtinus Eboracenſis Archiepiſcopus poſt laudabilem annis plurimis adminiſtrationem officii, & præclara pietatis opera, cum jam fere expletum militiæ ſuæ tempus eſſe ſentiret, relicto honore [5] & excuſans ab onere, cum monachis Cluniacenſibus apud Pontem-fractum ultimos vitæ ſuæ dies exegit, & appoſitus eſt ad patres ſuos in ſenectute bona. Cujus, inter cetera bona quæ operatus eſt, pio ſtudio & religioſæ induſtriæ potiſſimum attribuenda eſt fundatio atque provectio celeberrimi monaſterii Fontanenſis, cujus memorandi operis talis fuiſſe occaſio perhibetur. Quidam [6] Eboracenſis cœnobii monachi numero duodecim vel tredecim ferventes

---

1. Norhamneriam *Edd. priores.* Norhamptoniam *tamen in Cod. ſuo legi teſtatur Picardus.* 2. Truſtino *Edd. priores.* 3. Cum *Edd. pr.* 4. Truſtinus *Edd. priores.* 5. Et ſe excuſans *Edd. priores.* 6. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* Eboracenſes monachi.

ſpiritu,

ſpiritu, & ſcrupuloſam habentes conſcientiam, dum acutius inſpicerent quod juxta traditiones vel Cluniacenſes vel alias conſimiles religioſam quidem vitam ducerent, ſed beati Benedicti regulam, quam profitebantur, minus ad litteram obſervarent, aliquid melius fortiuſque acturi (nam Ciſtercienſis ordinis, qui nuper eſſe cœperat, fama jam celebris erat) ſuum monaſterium reliquerunt. Quorum ſtudium zelumque venerabilis [1] Turſtinus amplexus, egreſſos paterne ſuſcepit, maternæ pietatis ſinu fovit, & in ſuis penetralibus pro tempore occultatos, donec eis, prout animo conceperat, provideret, tandem in loco paſcuæ collocavit. Et [2] vocatur locus ille, Fontes: ubi ex tunc & deinceps tanquam de fontibus Salvatoris tam multi hauſerunt aquas ſalientes in vitam æternam. Sane paulo ante à nobili [3] viro [4] Waltero Eſpec invitati, & à felicis memoriæ Abbate Bernardo directi monachi Clarevallenſes in Eboracenſem provinciam venerant, & in loco, qui nunc dicitur Rievallis (tunc autem [5] locus erat horroris, & vaſtæ ſolitudinis) manſionem acceperant, præfato viro tradente, & venerabili [6] Turſtino Epiſcopalem cum affectu paterno favorem præbente. Horum exemplo monachi illi Eboracenſes incitati, atque ad arri-

1. Truſtinus *Edd. priores.* 2. *Vide notas.* P. 3. *Lege notas.* P. 4. Walterio *Edd. priores.* 5. Erat locus *Edd. priores.* 6. Truſtino *Edd. priores.*

pienda fortiora animati, memorati Abbatis (cujus memoria in benedictione est) magisterio se tradiderunt, & distincti locis non animis hi & illi arctam viam quæ ducit ad vitam paribus votis & studiis infatigabiliter currere cœperunt. Benedixitque eis Dominus benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum vellerumque; ut non solum in Omnipotentis Dei servitio copiosam multitudinem aggregarent, sed etiam largioribus eleemosynis in pauperes dispergendis sufficerent. Quod autem Domino Christo tanquam apes argumentosæ [1] servierint, [2] ex fructibus eorum cognoscitur. numerosis scilicet sanctorum collegiis, quæ ex se tanquam quædam rationalium apum examina emiserunt, & non solum per Anglicanas provincias, verum etiam in barbaras nationes sparserunt.

De origine Bellelandæ.

CAP. XV.

QUIA vero duorum insignium monasteriorum nostræ, [3] id est, Eboracensis, provinciæ, scilicet Rievallis & Fontium feci, ut decuit, mentionem, [4] Bellalandæ quoque originem debeo explicare, quæ [5] ex loci propinqui-

1. Servirent *Edd. pr.* 2. *Imitatus est Guil. locum hist. S. Ceciliæ, de qua canit ecclesia*: Cecilia famula tua quasi apis argumentosa tibi deservit. *Pic.* 3. *Desunt* id est *in Edd. priorib.* 4. Bellelandæ *Edd. priores.* 5. Et *pro* ex *in Edd. priorib.*

tate

tate mihi eſt notior: nam uno tantum miliario diſtat à Neuburgenſi Eccleſia, quæ me in Chriſto à puero aluit. Ut autem paulo altius exordiar: in Tranſmarinis partibus, ſicut à majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuere, ſcilicet [1] Robertus qui agnominatur de Arbuſculo, Bernardus & Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi & ſpiritu ferventes circuibant per caſtella & vicos, ſeminanteſque ſecundum Eſaiam ſuper omnes aquas, de converſione multorum fructus uberes colligebant: pio inter ſe placito conſtituto, quod Robertus quidem feminarum communi labore ad meliora converſarum ſollicitudinem gereret, Bernardus vero & Vitalis maribus propenſius providerent. Robertus itaque famoſiſſimum illud monaſterium feminarum de Fonte [2] Ebraudi conſtruxit, & regularibus diſciplinis informavit: Bernardus vero apud Tirocinum & Vitalis apud Saviniacum monachis regulariter inſtitutis, ſuos quiſque ab aliis per quaſdam præceptorum proprietates diſtinxit. Cumque ex his tribus quaſi radicibus ſervorum atque ancillarum Dei per diverſas provincias religioſa germina pullularent, quidam Saviniacenſes monachi [3] Bellalandam noſtram condiderunt. Qui cum [4] eſſent in initio pauci & pauperes, locum-

1. Robertus cognominatus *Edd. priores.* *Et tamen* Robertus qui cognominatur *in Cod. ſuo legi teſtatur Picardus.* 2. *Vide notas.* P. 3. Bellelandam *Edd. pr.* 4. Eſſent numero pauci *Edd. priores.*

que

quæ aptum quærerent, ubi Deo propicio cum fructu aliquo habitarent, nobili viro Rogerio de Moubrai (qui & Neuburgensem fundavit Ecclesiam,) donante, locum prius angustum acceperunt: deinde ad locum alium, [1] & de illo ad tertium, & de tertio ad quartum sub eodem [2] patrono, diversis ex caussis migrantes, ibidem fixis [3] tandem radicibus resederunt. Benedixitque eis Dominus, & de rebus angustis ad magnam jam amplitudinem pervenerunt sub patre Rogerio mirandæ sinceritatis viro, qui adhuc superstes est, in senecta uberi, administrationis suæ annis circiter quinquaginta & septem expletis. Fuit autem monasterii hujus initium post venerabilis [4] Turstini decessum, memoratis duobus scilicet Rievallis & Fontium in bono jam statu agentibus. Et quoniam ante annos jam plurimos Saviniacenses per cujusdam Abbatis religiosam instantiam in ritus Clarevallenses transierunt; hæc tria monasteria per unitatem disciplinæ regularis, arctiori quoque animorum nexu cohærent, & tanquam tria nostræ provinciæ lumina, sacræ religionis prærogativa refulgent. Quid autem sentiendum est de his & aliis locis religiosis, [5] quæ in diebus Regis Stephani copiosius exstrui, [6] vel florere cœperunt, nisi quod castra Dei sunt hæc, in

1. *Deest* & *in Edd. priorib.* 2. Patrocinio *Edd. priores.* 3. Radicibus tandem *Edd. priores.* 4. Trustini *Edd. pr.* 5. Qui *Edd. pr.* 6. Et *pro* vel *in Edd. priorib.*

quibus

quibus contra ſpiritualia nequitiæ, Regis Chriſti excubant milites & exercentur tirones? Eo quippe tempore, cum regiæ potentiæ omnis jam vigor deperiſſet, potentes regni, prout quiſque poterat, vel ut ſuos tutarentur, vel ut alienos fines pervaderent, munitiones conſtruebant. Malis ergo ſic pullulantibus atque abundantibus per mollitiem Regis Stephani, vel potius per malitiam diſcordias ſemper nutrientis diaboli, ſuperabundavit & glorioſe eminuit ſapiens & ſalubris proviſio Regis magni, qui nimirum tunc temporis ſolito propenſius ad debellandum Regem ſuperbiæ, quales Regem pacificum decent, munitiones ſibi noſcitur exſtruxiſſe. Denique multo plura ſub brevitate temporis, quo Stephanus regnavit, vel potius nomen Regis obtinuit, quam centum retro annis ſervorum & ancillarum Dei monaſteria initium in Anglia ſumpſiſſe noſcuntur.

---

[1] *De* [2] *Gilleberto Sempringhamenſi, & ordine quem inſtituit.*

CAP. XVI.

NEC ſilentio prætereundus eſt venerabilis Gillebertus, vir plane mirabilis, & in cuſtodia feminarum [3] gratiæ ſingularis, à quo etiam ordo Sempringhamenſis ſumpſit exordium,

---

1. *Vide Notas.* P. 2. Gilleberto de Sempringham *Edd. priores.* 3. *Deeſt* gratiæ *in Ed. Picardi.*

dium, & cum celeri provectu [1] celebrem statum. Hic ab annis, ut dicitur, adolescentiæ propria nequaquam salute contentus, sed lucrandarum Christo animarum zelo ignitus, infirmiorem sexum propensius cœpit æmulari Dei æmulatione, pio ausu sumpto ex propriæ castitatis conscientia, & gratiæ supernæ fiducia. Cumque cœptis ejus favor videretur arridere divinus, veritus ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset, si erumpentem zelum moderatrix scientia non condiret, præsertim [2] cum minus adhuc à majoribus institutus tam arduam sollicitudinem arripuisset, virum sapientiæ & sanctitatis titulis clarum, venerabilem scilicet Abbatem [3] Clarevallensem Bernardum, adeundum putavit, cujus venerandis consiliis informatus, atque in suo proposito roboratus, tanto ferventius quanto confidentius piis cœptis insistere non cessavit. Prosperatusque est in his quæ gerebat, & sicut de nobili [4] patriarcha dicitur, *ibat proficiens atque succrescens*, donec magnus vehementer effectus est, tam in multitudine copiosa ad Omnipotentis Dei servitium aggregata, quam in adjectione rerum temporalium ad necessaria subsidia corporum, juxta illud Dominicum: [5] *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicien-*

1. Celerem *Edd. priores.* 2. *Deest* cum *in Edd. priorib.* 3. Clarevallensem sanctum Bernardum, *Edd. pr.* 4. *Gen.* 26. P. 5. *Matth.* 6. Pic.

tur

tur vobis. Denique ſervorum Dei duo, & ancillarum Dei octo, non ignobilia conſtruxit monaſteria; quæ & numeroſis replevit collegiis, & juxta [1] ſibi datam ſapientiam regularibus ornavit inſtitutis. Et quidem circa ſervos Dei inſtituendos abundavit, [2] ſed longe ſuperabundavit indulta ei divinitus gratia in ſollicitudine feminarum. Quippe in hac parte meo judicio palmam tenet inter omnes [quos inſtituendis regendiſque feminis religioſam operam impendiſſe cognovimus, & quidem ante annos aliquot ſpiritualibus lucris onuſtus, jamque decrepitus cœleſtis ſponſi paranymphus migravit ad Dominum. Porro filiorum & filiarum ejus numeroſitas permanet, potenſque eſt in terra noſtra ſemen ejus, & generatio ejus benedicetur in ſeculum.

Quomodo [3] Willelmus Eboracenſis non accepto pallio depoſitus ſit, [4] & quomodo Henricus ſucceſſerit.

CAP. XVII.

VENERABILI [5] Turſtino defuncto, Eboracenſis Eccleſiæ pontificatum ſuſcepit [6] Wilelmus ejuſdem Eccleſiæ theſaurarius, vir

1. Datam ſibi *Edd. pr.* 2. *Deſunt* ſed longe ſuperabundavit *in Ed. Antverp.* 3. Guillelmus Eboracenſis electus, non *Edd. priores. Et quidem* electus *in ſuo etiam Cod. deſiderari teſtatur Picardus.* 4. *Deſunt* & quomodo H. ſuc. *in Edd. priorib.* 5. Truſtino *Edd. pr.* 6. Guillelmus *Edd. priores.*

plane [1] & ſecundum carnem nobilis, & morum ingenua lenitate amabilis. Qui cum ad ſedem Apoſtolicam reſponſales idoneos pro petendo ſolemniter pallio direxiſſet, emergentibus adverſariis & multa contra eum proponentibus negatum eſt. Juſſuſque ad eandem ſedem in propria perſona accedere, & pro ſemetipſo tanquam ætatem habens allegare, cauſſis [2] tandem [3] ingraveſcentibus atque invaleſcentibus adverſariis, piæ quoque memoriæ Papa Eugenio contra eum, ſive per veritatem ſive per ſurreptionem implacabiliter irritato depoſitus eſt. Reverſuſque in Angliam ſeceſſit Wintoniam, ibique à conſecratore ſuo Henrico honorifice ſuſceptus & ſplendide exhibitus eſt fere per decennium, vel exceſſus vel caſus ſuos deplorans, atque in ſilentio temporum mutationem exſpectans. Eo ſic amoto, cathedram Eboracenſem Henricus [4] Abbas Fontanenſis ſuſcepit [5] annitente potiſſimum venerabili Eugenio: quia ejus olim apud Clarevallem ſub patre Bernardo ſodalis & condiſcipulus fuerat, ejuſque vitam, mores & induſtriam optime noverat. Denique electioni ejus favorem promptiſſimum præbuit, & ſolemniter [6] conſecratum pallii prærogativa inſignivit. Quem [7] tamen

1. *Deeſt* & *in Edd. priorib.* 2. *Sic etiam Cod. Pic. Antea*, tamen. 3. *His junge S. Bernar. Epiſt.* 234. *& notas in eandem edit.* 1608. Pic. 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur*, τὸ Abbas. 5. Annuente *Edd. priores.* 6. *Deeſt* conſecratum *in MS. Pic.* 7. *Deeſt* tamen *in Edd priorib.*

men

men reverſum in Angliam Rex Stephanus recipere noluit, niſi præſtita ſibi juratoria cautione de fidelitate ſervanda. Negato autem ei favore regio nec cives Eboracenſes eum recipere voluerunt, ſtudia in depoſitum Præſulem propenſiora habentes. Interdicta ergo propter hanc pervicaciam civitate, & ſuſpenſis Eccleſiæ organis, adveniens Euſtachius Regis filius ſacra officia celebrari præcepit, & prætentis [1] terroribus non cedentes, civitate extruſit. Propinqui quoque depoſiti & proprio furore & Regio favore feroces, cunctis, qui depoſitioni ejus conſenſiſſe videbantur, erant infeſti atque terribiles, in tantum ut ſeniorem Archidiaconum, qui forte in manus eorum inciderat, [2] abſcidere minime vererentur. Verum poſt annos aliquot Rege placato cives Eboracenſes proprium antiſtitem cum gaudio receperunt, ſicque poſt diutinum diſcordiæ malum, illuxit deſideratæ pacis ſerenum.

De cauſa expeditionis Jeroſolymitanæ ſecundæ.

CAP. XVIII.

ANNO regni ſui duodecimo, cum Rex Stephanus extorta (ut ſupra dictum eſt) de manibus comitis Ceſtrenſis civitate Lincolnia potiretur, ibidem in celebritate natalis Dominici ſolemniter voluit coronari: vetuſtam

1. Erroribus *Edd. priores.* 2. Abſcindere *Edd. priores.*

ſuperſtitionem, qua Reges Anglorum eandem civitatem ingredi vetabantur, laudabiliter parvipendens. Denique incunctanter ingreſſus, nihil ſiniſtri ominis, ſicut illa vanitas comminabatur, expertus eſt: ſed regiæ coronationis ſolemnibus adimpletis, [1] poſt dies aliquot [2] cum exultatione & ſuperſtitioſæ vanitatis deriſione egreſſus eſt. Eodem anno turba magna, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus populis & tribubus & linguis Chriſtianis ſub charactere crucifixi Domini Jeroſolymitanum iter arripuit. Cujus celeberrimæ expeditionis talis [3] fuiſſe cauſſa perhibetur. Eſt Meſopotamiæ trans flumen magnum Eufraten civitas nobilis, quæ quidem vulgo [4] Roheſia, ſed rectius & antiquo nomine Ediſſa vocatur, à diebus Conſtantini Magni Chriſtianæ religionis cultui dedita, & beatiſſimi Thomæ Apoſtoli allatis ex India reliquiis inclyta. Hujus civitatis tantus in fide Catholica fervor ſub Valente Imperatore Arriano fuiſſe [5] memoratur, ut cum ab eodem miſſus adveniſſet præfectus, omnes qui ad Apoſtoli baſilicam orandi ſtudio convenirent gladio mactaturus, nullus domi reſediſſe referatur: ſed omnes à minimo uſque ad maximum, ut pro fidei veritate morerentur, illuc multo alacrius quam ad epulas concurriſſe. in tantum,

1. Per *Edd. priores*. 2. *Deeſt* cum *in Ed. Pic*. 3. Cauſſa fuiſſe *Edd. priores*. 4. *Lege notas*. P. 5. *Ruffi. l. 2. c. 5. Sozom. l. 6. c. 18. Socr. lib. 4. c. 15. Theo. l. 4. c. 16.* Pic.

ut

ut quædam muliercula parvulum ſecum filium trahens, dum properat, ſe ſimul & ſobolem pro Chriſto expoſitura ad victimam, irrumperet officium judicis illuc cum terrore maximo properantis. Denique à multis retro annis, cum Sarraceni occulto Dei judicio ſupra modum in Chriſtianos graſſari permiſſi, captis civitatibus clariſſimis, ſcilicet Alexandria, Antiochia, Jeruſalem, Damaſco, Ægyptum, Syriam, aliaſque Orientis provincias, in quibus Chriſtus colebatur, occupaſſent, atque in his omnibus Chriſtianum nomen exterminaſſent; ſola hæc civitas [1] propugnatrix non tantum murorum, ſed etiam finium ſuorum, in medio hoſtium innumerabilium & ferociſſimorum invicta perſeveravit uſque ad tempus expeditionis Jeroſolymitanæ prioris, qua Jeruſalem & Antiochiam Chriſtiani expugnatis obtinuere Sarracenis. Tunc enim Turcis incurſantibus laborantes Ediſſeni, auxilium à noſtro exercitu petierunt, & virum fortiſſimum Baldewinum fratrem illuſtriſſimi Ducis Godefridi, primum Gallici generis Ducem acceperunt. Quo in Regem Jeroſolymitanum poſt fratrem Godefridum ſublimato, Principatus Ediſſenus per alios ſtrenue adminiſtratus eſt uſque ad Jocelinum: cujus lubrici hominis petulantia atque libidine actum eſt, ut civitas Chriſtianæ religionis titulo fere

1. *Paulus tamen Diaconus l.* xviii. *notavit à Coſrois tempore ad* DCXXIX. *annum fuiſſe detentam Eccleſiam à Neſtorianis.* Pic.

per

per nongentos [1] annos inſignis in manus Turcorum & ſacræ fidei exterminium unius civis perfidi proditione traderetur. Is erat genere Armenius, ejuſdem civitatis civis indigena: & jure hereditario habitabat in quadam turri muro conjuncta. Hujus filiam prænominatus civitatis Princeps formæ captus illecebra vi abſtraxit, & ſtupro polluit. Ille filiam dehoneſtatam dolens, & aſtute diſſimulatam doloris magnitudinem ut de uno ulciſceretur ad multorum perniciem trahens, nocte [2] ſacratiſſima Dominicæ nativitatis, cum ſacræ in Eccleſiis more Chriſtiano celebrarentur vigiliæ, invitatos pactis clandeſtinis Turcos intromiſit in civitatem. Qui nimirum Chriſtianum ſanguinem inſatiabiliter ſitientes, irruerunt in populum ſecure in Eccleſia excubantem. Et Archiepiſcopum quidem (ut dicitur) altari aſſiſtentem mactarunt. Populum vero non reſiſtentem, ſed ſubiti caſus ſtupore rigentem, gladio trucidarunt. Sic capta & in poteſtatem ſpurciſſimæ gentis redacta eſt Ediſſa tantis retro temporibus ſemper invicta, & [3] antiqua fidei Chriſtianæ alumna. Latiſſimis quoque finibus ejus pertinaci hoſtium furore pervaſis, & in eorum immundiſſimam poſſeſſionem cedentibus, Chriſtianæ Religionis cultus trans Eufraten funditus deletus eſt. Tanti mali fama [4] exciti Chri-

1. Inſignis annos *Edd. priores.* 2. Sacratiſſimæ *Edd. pr.* 3. Antiquæ *MS. Pic.* 4. Excitati *MS. Pic.*

ſtiani

ſtiani nominis fortiſſimi principes, ſcilicet Conradus Italiæ atque Germaniæ Imperator, & Lodovicus Rex [1] Francorum Dominicum characterem mente promptiſſima ſuſceperunt, & cum eis multi nobiles populique innumerabiles ex cunctis [2] fere provinciis Chriſtianis.

De errore Eudonis de Stella, & quomodo periit.

CAP. XIX.

CIRCA idem tempus Eugenius Papa Romanus ad ſedis Apoſtolicæ regimen ex vitæ regularis diſtrictione aſſumptus, Eccleſiaſticæ ſtudio diſciplinæ in Gallias veniens, generale concilium inſtituit Remis. in quo dum ſederet cum omni frequentia Epiſcoporum atque nobilium, oblatus eſt ei quidam vir peſtifer, qui ſpiritu plenus diabolico præſtigiali aſtutia tam multos ſeduxerat, ut fretus ſequentium numero, per diverſa loca formidabilis oberraret, Eccleſiis maxime monaſteriiſque infeſtus. Diu itaque multumque debacchatus, [3] tandem ſapientia vincente malitiam à Remenſi Archiepiſcopo captus eſt, & ſancto concilio exhibitus. Eudo is dicebatur, natione Brito, agnomen habens de Stella, homo illiteratus & idiota, ludificatione dæmonum ita dementatus, ut

---

1. Franciæ *Edd. priores.* 2. *Deeſt* fere *in Edd. priorib.* 3. Tandem à Rem. A. captus eſt, ſapientia vincente malitiam, & ſancto *Edd. priores.*

[1] quo-

[1] quoniam ſermone Gallico (Eun) diceretur, ad ſuam perſonam pertinere crederet, quod in eccleſiaſticis exorciſmis dicitur, ſcilicet, *per eum qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.* Ita plane fatuus ut [2] *eum* & *eun* neſciret diſtinguere, ſed ſupra modum ſtupenda cæcitate crederet ſe eſſe dominatorem & judicem vivorum & mortuorum. Eratque per diabolicas præſtigias tam potens ad capiendas ſimplicium animas, ut tanquam ex muſcis aranearum opere irretitis, ſeductam ſibi multitudinem aggregaret: quæ tota illum tanquam dominum dominorum individue ſequeretur. Et interdum quidem mira velocitate per diverſas provincias ferebatur: interdum vero morabatur cum ſuis omnibus in locis deſertis & inviis, [3] indeque inſtigante diabolo erumpebat improviſus, eccleſiarum maxime ac monaſteriorum infeſtator. Accedebant ad eum plerumque noti ejus & propinqui (erat enim non infimi generis) ſive ut eum familiari auſu corriperent, ſive ut, quomodo ſe circa eum res haberet, cautius explorarent. Videbatur autem eſſe circa eum ingens gloria, apparatus faſtuſque regius, & qui cum eo erant, ſollicitudinis laboriſque expertes, pretioſe indui, ſplendide epulari, & in ſumma lætitia agere videbantur: in tantum ut plerique, qui ad corripiendum eum venerant, conſpecta ejus non vera, ſed fantaſtica gloria,

1. Quum *Edd. pr.* 2. Eun & eum *Edd. priores.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* moxque.

corrum-

corrumperentur. Fiebant [1] enim hæc fantaſtice per dæmones: à quibus ſcilicet miſera illa multitudo, non veris & ſolidis, ſed aëriis potius cibis in locis deſertis alebatur. Nam, ſicut poſtmodum per quoſdam audivimus, qui in ejus fuerant comitatu, eoque ſublato tanquam agentes pœnitentiam per orbem vagabantur, in promptu [2] eis erant, quotieſcunque volebant, panes, [3] carnes, & piſces, & quique cibi lautiores. Verum quod [4] iidem cibi non ſolidi, ſed aërii fuerint, ſubminiſtrantibus inviſibiliter ſpiritibus aëris hujus, ad capiendas magis quam paſcendas animas, hinc elucet, quod quantamcunque ex cibis illis repletionem modico ructu [5] exinanitio ſequebatur, tanta mox ſuccedente eſurie ut eoſdem cibos illico repetere cogerentur. Quicunque [6] autem forte ad eos accedens ex cibis eorum, vel modicum guſtaſſet, ex participatione [7] menſæ dæmoniorum mente mutata ſpurciſſimæ multitudini continuo adhærebat. Et quicunque ab eis aliquid in [8] qualibet ſpecie accepiſſet, periculi expers non erat. Denique fertur [9] quendam militem pro-

1. Enim, ſed fantaſtice *Edd. priores.* 2. Ejus erant, quotieſcunque volebat, *Edd. priores. Et tamen* eis *in ſuo etiam ſcribi Codice agnoſcit Picardus.* 3. Carnes, piſces, *Edd. priores.* 4. Idem *Edd. priores. Nec aliter Cod. noſter, qui & alibi* idem *pro* iidem *habet. Vide infra ad c.* XXI. 5. Exinanitam, tanta mox ſequebatur eſuries, ut eoſdem *Edd. priores.* 6. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* autem. 7. Menſa *Ed. Antv. mendoſe.* 8. Quolibet *Cod. noſter MS.* 9. Quondam *Ed. Antv. male.*

pinquum illius peſtiferi acceſſiſſe ad eum, & ſimpliciter monuiſſe, ut abjurata nefanda ſecta illa per communionem Chriſtianæ gratiæ proprio generi redderetur. Ille hominem aſtute ſuſpendens, oſtendit ei in multiplici ſpecie, fantaſticarum opum amplitudinem; ut blandiente [1] viſarum rerum illecebra caperetur. Propinquus, inquit, noſter es, ſume de noſtro, quod & quantum vis. Verum homo prudens cum verba correptionis in ventum fudiſſet, exivit ut abiret. Armiger vero ejus conſpectum miræ pulchritudinis accipitrem in propriam perniciem concupivit. Quo petito & accepto, dominum ſuum jam abeuntem cum lætitia ſequebatur. Cui ille, abjice, [2] inquit, cito quod portas, non enim eſt avis, ut videtur, ſed dæmon ſic transformatus: cujus verbi veritas poſt modicum claruit. Cum enim inſipiens nollet audire monentem, primo conqueſtus quod accipiter ille unguibus ſibi pugnum fortius ſtringeret, mox ab eodem per manum in aërem ſublevatus, deinceps non comparuit. Sane cum peſtifer ille [3] per operationem Sathanæ ita debaccharetur ut dictum eſt, ſæpius à principibus ad veſtigandum & perſequendum eum exercitus fruſtra mittebatur: quæſitus enim non inveniebatur. Tandem vero fraudatus ope dæmonum, cum non amplius per illum debac-

1. Multarum *MS. Pic.* 2. *Deeſt* inquit *in Edd. priorib.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabantur*, per op. Sathanæ.

chari

chari ſinerentur ([1] non enim amplius poſſunt quam à ſuperioribus poteſtatibus juſto Dei judicio relaxantur) levi negotio à Remenſi Archiepiſcopo comprehenſus eſt: & populus quidem ſtolidus, qui eum ſequebatur, dilapſus eſt. Porro diſcipuli, qui ei arctius adhærebant, ejuſque cooperatores exſtiterant, cum ipſo capti ſunt. Cum ergo ſtaret in conſpectu concilii, interrogatus à ſummo Pontifice quiſnam eſſet, reſpondit: *Ego ſum*[2] *Eun, qui venturus eſt judicare vivos & mortuos, & ſeculum per ignem.* Habebat autem in manu ſua baculum inuſitatæ formæ, in ſuperiori ſcilicet[3] parte bifurcum. Interrogatus quid ſibi vellet baculus ille; *res,* inquit, *grandis myſterii eſt. Quamdiu enim, ſicut nunc videtis, duobus cœlum capitibus ſuſpicit, duas orbis partes Deus poſſidet, tertiam mihi partem cedens. Porro ſi eadem duo ſuperiora capita baculi*[4] *humiliem uſque ad terram, & inferiorem ejus partem, quæ ſimplex eſt, erigam, ut cœlum ſuſpiciat: duabus mundi partibus mihi retentis, tertiam tantummodo partem Deo relinquam.* Ad[5] hæc riſit univerſa ſynodus, deriſitque hominem tam profunde datum in reprobum ſenſum. Juſſus autem ex decreto concilii, ne peſtis iterum ſerperet, diligenter cuſtodiri, tempore[6] modico ſupervixit.

---

1. *Ita quoque Cod. Pic. Antea,* non enim niſi à ſuperioribus. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* ille *pro* Eun. 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* parte. 4. Summittam *Edd. priores. Fatetur tamen Picardus in ſuo Cod.* humiliavero *legi.* 5. Hoc reſponſum *MS. Pic.* 6. Exiguo *Edd. priores.*

Discipuli vero ejus quos magnis insignierat nominibus, alium scilicet vocans sapientiam, [1] alium scientiam, alium judicium, & in hunc modum ceteros, cum sanam doctrinam nulla ratione reciperent, [2] sed potius obstinatissime de [3] falsis gloriarentur vocabulis, in tantum, ut ille qui *Judicium* dicebatur, suis detentoribus ultricem infelici fiducia comminaretur sententiam, Curiæ prius, & postea ignibus traditi, ardere potius quam ad vitam corrigi maluerunt. Audivi à quodam venerabili viro, qui interfuit dum hæc agerentur, quod audierit illum, qui *Judicium* dicebatur, cum ad supplicium duceretur, crebro dicentem, Terra [4] finde te, tanquam ad oris ejus imperium terra aperienda esset, & devoratura, [5] sicut Dathan & Abiron, hostes ejus. Tanta vis semel infixi cordibus erroris fuit.

Quomodo Conradus Imperator & Rex Lodovicus exercitum duxerunt in Orientem.

CAP. XX.

1147. ANNO à partu virginis M.C.XLVII. tantæ expeditionis explicito apparatu, uterque Princeps iter [6] arripuit, exercitu bipertito. Imperator enim præcedebat itinere dierum aliquot,

1. *Desunt* alium sc. *in Ed. Antv.* 2. *Ita quoque MS. Pic. Antea desiderabatur*, sed. 3. Suis *MS. Pic.* 4. Findere tanquam *Edd. pr.* 5. *Num.* xvi. *Deuter.* xi. *Psal.* CV. P. 6. Arripuit & exercitu *Edd. pr.*

quot, cum Italorum & Germanorum, [1] aliarum quoque gentium ampliſſimis copiis. Rex vero ſequebatur, Francorum, Flandrenſium, Normannorum, Britonum, Anglorum, Burgundionum, Provincialium, Aquitanorum equeſtri ſimul & pedeſtri agmine comitatus. [2] Ingreſſi Pannonias, illarum gentium [3] Rege placato, ut exercitui venalia non deeſſent, Danubium tranſierunt: & per Thracias, ſuppetente venalium copia, proſpere uſque ad urbem Conſtantinopolitanam venerunt. Ibi fixis extra urbem tentoriis per dies aliquot exercitum recreantes, pactis tandem cum ejuſdem urbis Imperatore [4] celebratis, anguſtum illud fretum quod Brachium S. Georgii dicitur, tranſmearunt. Ingreſſique Aſiam Minorem, cujus pars quædam Conſtantinopolitanæ ditionis eſt, partem vero reliquam Soldanus Iconii poſſidet, Græci Imperatoris perfidiam experti ſunt: cujus tamen noſtri quibuſdam exceſſibus motum incurrerant, cum [5] & Omnipotentis Dei, ſuperbe & indiſciplinate agendo, contra ſe iracundiam accendiſſent. Legimus olim numeroſiſſimum Domini exercitum unius hominis etiam occulte peccantis ſcelere ita inquinatum, & favore divino nudatum, ut [6] enervis & languidus appareret. Conſultus Dominus, reſpondit populum ana-

---

1. Aliarumque gentium *Edd. pr.* 2. Qui ingreſſi *MS. Pic.* 3. Placato Rege *Edd. priores.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* conventis. 5. *Deeſt* & *in Edd. priorib.* 6. Enervus *Edd. pr.*

thema te

themate [1] esse pollutum, & adjecit: [2] *Anathema in medio tui est, Israel: non poteris stare adversus hostes tuos, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.* Porro in nostro illo exercitu tanta tam contra Christianam quam contra Castrensem etiam disciplinam mala increverant, ut mirum non sit, quod eis tanquam pollutis & immundis favor nequaquam divinus arriserit. [3] Castra enim à castratione [4] luxuriæ dicuntur. At castra illa nostra casta non erant: in quibus utique infelici quadam licentia [5] multorum spumabant libidines. Præsumentes quoque de multitudine & instructu copiarum, atque ita carnem brachium suum superbe ponentes, in Domini, pro quo æmulari videbantur, misericordia atque potentia minus confidebant, declaratumque in eis est, quia [6] *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Præterea in terra Christiani Imperatoris, cum quo fœdus [7] percusserant, & quo jubente, [8] venalia illis abundabant, minus à rapinis temperabant. Immisit ergo eis infensus Imperator hinc famem, inde hostem: tanti sanguinis Christiani periculum Christianus minime perhorrescens. Denique venalibus prohibitis, cum pro victualibus congerendis propter hostium insidias nostri non valerent excurrere:

1. Pollutum esse *Edd. priores.* 2. *Josue* 7. P. 3. *Vide Notas.* P. 4. Dicuntur luxuriæ *Edd. priores.* 5. Multi *MS. Pic.* 6. *Jacobi* 4. P. 7. Antea percusserunt *MS. Pic.* 8. Venalia vel afferebantur, vel abundabant, *Edd. priores.*

primo

primo exercitus fame contabuit; deinde hostium exceptus insidiis, vel Turcorum gladios inebriavit, vel Christianæ statum libertatis ignominiosissimæ atque infelicissimæ servitutis sorte mutavit. Nec superbis [1] & immundis castigandis iræ defuere cœlestes, [2] & plerumque (ut dicitur) effusa desuper [3] intempestivorum imbrium inundatio de exercitu nostro plus minuit, quam hostilis gladius [4] devoravit. Itaque duorum exercituum maximorum parte longe [5] majori diversis casibus & cladibus profligata, cum parte residua duo illi magni Principes ægre exitium evadentes Jerosolymam venerunt: & nulla re memorabili facta, [6] inglorii recesserunt.

De Raimundo Principe Antiocheno, & captione [7] Ascalonis.

CAP. XXI.

Illis ad propria cum ignominia reversis, Sarraceni de [8] necatæ vel captæ multitudinis Christianæ ingentibus spoliis ditati, facti sunt inclyti. Denique successu superbi, & confidentia virium plus solito efferati Christianis se finibus immerserunt, omne genus Christianum in Orientis partibus abradere meditantes,

1. Atque *Edd. pr.* 2. Sed *MS. Pic.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, intempestivarum nubium. 4. *Ita quoque MS. Pic. Antea desiderabatur*, devoravit. 5. Majore *Edd. pr.* 6. Inglorie *Edd. priores.* 7. Ascaloni *Edd. Pic.* 8. Cæsæ *Edd. priores.*

atque

atque hujus molitionis quasi fausta principia interfecto Raimundo Christianissimo Antiochiæ Principe prælibantes. Quippe hic fuerat Christiani nominis in Oriente fortissimus propugnator, atque insignium gestorum titulis veteris in se Machabæi transfuderat gloriam. Memini me (cum essem adolescentulus) vidisse quendam venerabilem monachum ab Orientis partibus cum magnis suffragiis venientem, qui ex ejusdem clarissimi Principis olim militia fuerat. Hic inter plura, quæ de ipso memoranda referebat, eum ob insigne virtutis Turcis tam terribilem fuisse perhibebat, ut quotiens contra eum producturi essent exercitum, contra [1] gladium ejus centum milites, & totidem contra ejus lanceam scriberent. Cum ergo (ut dixi) [2] iidem hostes recentibus Christianorum cladibus alacres fines Antiochenos solito ferocius incursarent, ille conventum non sustinens sufficientium copiarum paullo inconsideratius ex virtutis conscientia cum paucis se dedit discrimini, oppressusque multitudine, post fortia gesta non secus quam antiquus ille Machabæus occubuit. Cum autem hostes erectis usque in cœlum animis Antiochiam irrumpere [3] cogitarent, audito Christiani [4] sideris occasu, magna-

1. Ejus gladium *Edd. priores.* 2. Idem *MS. noster. Vide supra ad c.* xix. 3. Cogitaret *MS. noster.* 4. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* principis. *Sed non absurde (inquit Picardus)* sideris *legitur, quandoquidem sic irradiaret, quasi geminis Polluce & Castore, pietate & fortitudine.*

nimus

nimus Rex Jerosolymorum [1] Balduinus cum Cruce dominica & militia templi ocior advolat, & hostium molitiones præveniens, [2] attonitam civitatem ingreditur. Hostes nihilominus irruunt, [3] & civitatem obsidione concludunt. Sed qui superbis paulo ante restiterat, humilibus illis dedit uberem gratiam. Deo enim propicio paulatim respirantes atque invalescentes, hostes jam crebris successibus tumidos non solum obsidionem deserere, sed etiam finibus suis cum dedecore excedere compulerunt; viribusque paulatim [4] crescentibus post modicum hostium fines ingressi, eos, qui paulo ante aliena invaserant, propria cum summo periculo tueri coëgerunt. Denique post annos aliquot, militia templi Gazam antiquissimam Palestinæ civitatem olim dirutam reparavit, & fertilissimos ejus fines obtinuit. Inclytus quoque Rex [5] Balduinus Ascalonam ejusdem [6] provinciæ florentissimam atque munitissimam civitatem, quæ nunquam antea à Christianis expugnari [7] poterat, cum multa gloria expugnavit & cepit, sicque tota Palestina in jus & potestatem Christianorum redacta est.

---

1. Baldewinus *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* Antiochiam. *Civitas autem attonita forte (ut notat Picardus) ob Raimundi acerbum casum.* 3. *Deest & in Edd. priorib.* 4. Crescentibus non multo post hostium *Edd. pr.* 5. Baldewinus *Edd. pr.* 6. Provinciæ, & florentissimam *Edd. priores.* 7. Potuerat *Ed. Pic.*

De inteſtinis malis Angliæ ſub Rege Stephano.
CAP. XXII.

INTEREA dum circa noſtros vel à noſtris in Oriente talia gererentur, Anglia inteſtinis malis exanguis & ſaucia tabeſcebat. Et quidem de quodam tempore [1] plebis antiquæ ſcriptum eſt: [2] *In diebus illis non erat Rex in Iſrael: ſed unuſquiſque, quod rectum ſibi videbatur, faciebat.* At in Anglia ſub Rege Stephano pejus fiebat. Nam quia tunc impotens erat Rex, & per Regis impotentiam languida lex, quibuſdam quod rectum ſibi videbatur agentibus; multi, quod inſita ratione malum eſſe ſciebant, ſublato Regis & legis metu proclivius faciebant. Et primo quidem videbatur regnum Angliæ ſciſſum eſſe in duo; quibuſdam Regi, quibuſdam vero Imperatrici faventibus. Non quod vel Rex, vel Imperatrix ſuæ parti potenter imperaret; ſed quod ſuorum bellicis quiſque ſtudiis pro tempore niteretur. Neuter enim in ſuos imperioſe agere & diſciplinæ vigorem exercere poterat: ſed uterque ſuos, ne à ſe deficerent, nihil negando mulcebat. Sane inter partes (ut ſuperius dictum eſt) diu multumque certatum eſt, alternante fortuna. Proceſſu vero temporis inter [3] eas jam ſæpius fortunæ infidelitatem [4] exper-

1. Legis *ad oram Cod. Pic.* 2. *Judic.* 17. 3. Eos *Edd. priores.* 4. Expertos *Edd. priores.*

tas,

tas, remiſſiores motus eſſe cœpere: quod [1] tamen Angliæ non ceſſit in bonum. Illis quippe diutinæ concertationis pertæſis, & mollius agentibus, provinciales diſcordantium Procerum motus efferbuere. Caſtella quippe per ſingulas provincias ſtudio partium crebra ſurrexerant, erantque in Anglia quodammodo tot Reges, vel potius tyranni, quot Domini caſtellorum, habentes ſinguli percuſſuram proprii [2] nummiſmatis, & poteſtatem ſubditis, regio more, dicendi juris. Cumque ita ſinguli excellere quærerent, ut quidam ſuperiorem, quidam vel parem ſuſtinere non poſſent, feralibus inter ſe odiis diſceptantes, rapinis atque incendiis regiones clariſſimas corruperunt, & in fertiliſſima olim patria, fere omne robur panis abſumpſerunt. [3] Aquilonalis vero regio, quæ in poteſtatem [4] David Regis Scottorum uſque ad [5] flumen [6] Teſyam ceſſerat, per ejuſdem Regis induſtriam in pace agebat, ad quem Henricus ex nepte ejus, [7] id eſt, Matilde olim Imperatrice, Andegavenſis Comitis filius, & Angliæ Rex futurus à matre miſſus jam pubes acceſſit: [8] & ab eo apud Lugubaliam (quæ vulgo [9] Carleil dicitur) cingulum militare accepit, præſtita prius (ut dicitur) cautione, quod nulla parte terra-

1. Tum *pro* tamen *in Edd. priorib.* 2. Numiſmatis *Edd. priores.* 3. Aquilonaris *Edd. priores.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* Domini. 5. Fluvium *Edd. priores.* 6. Teſam *Edd. pr. Picardus tamen agnoſcit in ſuo Cod. legi,* Theſyam. 7. *Deſunt* id eſt *in Edd. priorib.* 8. At *Edd. pr.* 9. *Vide Notas.* P.

 rum,

rum, quæ in ejuſdem [1] regis ex Anglia ditionem tranſiſſent, ejus ullo tempore mutilaret heredes.

De Rege Scottorum David, & filio ejus, & filiis filii ejus.

CAP. XXIII.

IISDEM temporibus juvenis clariſſimus, &, quod in homine latas ſeculi vias ambulante invenire difficile eſt, cum morum ſuavitate, eorundem etiam ſinceritate conſpicuus, Henricus [2] ſcilicet unicus memorati Regis David filius, Northumbriæ Comes, & regni ſucceſſor ſperatus, cum ingenti Anglorum ſimul & Scottorum luctu morte immatura rebus exceſſit humanis, relictis ex conjuge, quæ [3] Guarennenſis fuerat Comitis filia, tribus filiis & totidem filiabus. Caſus quidem acerbiſſimus viſcera pii patris concuſſit, ſed conſtantis animi pondus (erat enim vir bonus & ſapiens) decentem [4] doloris modum fecit, complexuſque nepotes duos, nam tertium (ni fallor) gravida nondum mater ediderat, filium in eis [5] ſibi vivere reputans, conſolationem recepit. Denique poſt annos aliquot generale debitum ſoluturus, Malcolinum filii primogenitum adhuc impuberem regni

---

1. *Deeſt* regis *in Edd. priorib.* 2. Scilicet memorati Domini Regis filius *Edd. priores.* Unicus *tamen in ſuo legi Cod. teſtatur Picardus.* 3. Guerrenenſis *MS. Pic.* 4. Dolori *malit Picardus.* 5. *Deeſt* ſibi *in Edd. priorib.*

ſuc-

ſucceſſorem declaravit, fratri [1] vero ejus [2] Wilelmo comitatum Northumbriæ aſſignavit. Et major quidem natu, tam morum ſimilitudine, quam corporis habitudine patriſſare magis; minor vero matriſſare, id eſt, materni generis imaginem in vultu & moribus prætendere, videbatur. Dormivit ergo [3] Rex Scottorum [4] David cum patribus ſuis, [5] vir magnus & glorioſus in ſeculo, nec minoris gloriæ in Chriſto. Nam, ſicut accepimus à fide dignis teſtibus, qui ejus vitam actuſque noverunt, vir fuit religioſus & pius: vir multæ prudentiæ, ſummique moderaminis in adminiſtratione temporalium, & nihilominus magnæ devotionis [6] in Deum: vir propter regni negotia ad divina nequaquam officia ſegnior, vel propter divina quibus inſiſtebat officia, ad negotia [7] regni [8] obtunſior. Poſt honorabiles nuptias & thorum immaculatum, ex quo illi unicus natus eſt filius, qui ſimillimis moribus patrem exprimeret, annis plurimis in cælibatu [9] permanſit, in piis largitionibus tam profuſus, ut præter copioſam diſperſionem in pauperes, eleemoſynas illius enarrent ab ipſo

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* vero. 2. Guilellmo *Edd. pr.* 3. *Deeſt* Rex *in Edd. priorib.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* Dominus *pro* David. 5. Sub quo, *inquit Nicolaus S. Bern. Amanuenſis ep.* 31. & virtus mercede, & vitium ultione non caruit. *Pic.* 6. In Dominum: vir poſt regni negotia *Edd. priores.* 7. Regia *pro* regni *in Edd. priorib.* 8. *Ita etiam Ed. Antverp. Et ſic plane in Cod. noſtro. Miror proinde Picardum male ſic legi monuiſſe, eaque de cauſſa in* obtuſior *mutaſſe.* 9. Remanſit *MS. Pic.*

fundatæ,

fundatæ, [1] ditatæ, [2] ornatæ multæ ecclesiæ Sanctorum. Sane cum illi, quem [3] Deus pronunciat se invenisse virum secundum cor suum cum titulo vocabuli in multis simillimus fuerit; in quodam etiam non parvo inter multa & præclara bona excessu ab ejus similitudine non recessit. Sicut enim ille post multa virtutum insignia [4] in adulterium simul & [5] homicidium, in altero enervis, in altero nequam incidit: ita & iste alias quidem bonus & pius, Scottorum gentem ex effrenata barbarie sanguinis avidam, & neque ætati, neque sexui, licet eo nolente & frustra prohibente, parcituram, Anglorum immisit provinciæ, dum pro nepte sua olim Imperatrice, cujus justam, ut credebat, partem fovebat, plus justo æmularetur. At sicut ille per [6] exuberantem electoris sui gratiam vulnus illud vel potius vulnera pia humilitate sanavit; ita etiam iste tanti excessus reatum dignis (ut credimus) pœnitentia fructibus expiavit. Itaque non solum in executione piorum operum, verum etiam in actione fructuosæ pœnitentiæ, regiam antiqui David formam novus iste David Rex, non barbarus barbaræ gentis implevit. Notandum etiam quod sicut ille post pœnitentiam, ob prioris peccati meritum divinitus castigatus est per [7] nequissi-

---

1. *Non* dicatæ *cum Ed. Antverp.* 2. Et ornatæ *Edd. priores.* 3. Dominus pronunciavit *Edd. pr.* 4. *Lege* 2.*Reg. c.* 11. P. 5. *Homicidium Uriæ supra descriptum.* P. 6. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* excubantem. 7. *Absalonem. Lege c.* 15,16,17,18. *Reg.* 2. Pic.

mum

mum filium; ita iſte quoque quamvis longe mitius per quendam pſeudomonachum & Epiſcopum. Quem nimirum ego poſtmodum apud [1] Bellalandam noſtram ſæpius vidi, actuſque ejus inſolentiſſimos cum [2] caſu digniſſimo didici. Quæ utique ſilentio præteriri non debent: ut cognoſcant & poſteri quomodo in homine illo glorificatus ſit, [3] qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam.

De Wimundo [4] Epiſcopo, & inepiſcopali ejus vita, & quomodo excæcatus eſt.

CAP. XXIV.

IDEM obſcuriſſimo in Anglia loco natus, cum perceptis litterarum rudimentis non haberet unde in ſcholis ſubſiſteret, artis ſcriptoriæ [5] ſciolus quibuſdam religioſis [6] antiquarii officium pro [7] tollenda inopia impendebat. Deinde apud Furneſium [8] tonſoratus & regularem vitam profeſſus, cum nactus eſſet ſcripturarum copiam cum otio competenti, adjutus triplici bono, ſcilicet acri ingenio, illabili memoria, apto eloquio, ita in brevi profecit, ut magnæ ſpei eſſe videretur. Evolutis diebus

---

1. Bellelandam *Edd. priores.* 2. *Deeſt* caſu *in Ed. Antverp.* 3. *Nempe Deus, de quo hæc ſcripſerit Jacob.* 4. *&* 5. *Petr.* 1. *epiſt.* 5. Pic. 4. Epiſcopo, & quomodo excæcatus eſt *Edd. pr.* 5. *Vide notas.* 6. Papias. Antiquarii librarii ſunt, qui antiqua ſcribunt *in marg. Cod noſtri à manu recentiori.* 7. Toleranda *Edd. pr. Lectionem noſtram firmat MS. in quo* toleranda *cum duob. punctis ſub* ra *ab ead. m. haſce litteras delendas eſſe denotantib.* 8. Tonſuratus *Edd. pr.*

in insulam [1] Man cum fratribus missus, suavitate eloquii, & jocunditate faciei, cum esset etiam producto & robusto corpore, ita barbaris placuit, ut ab eis in Episcopum peteretur, & eorum quidem completum est desiderium. Mox ex successu intumuit, & grandia moliri cœpit. Nec contentus episcopalis dignitate officii, animo jam ambulabat in magnis & mirabilibus super se; eratque ei [2] cum corde vanissimo, os loquens ingentia. Denique congregans viros inopes & audaces, judicium veritatis non veritus, proposuit se [3] esse filium Comitis Muravensis, hereditate patrum suorum à Rege Scottorum spoliatum, cordi sibi esse non solum jus suum [4] prosequi, sed etiam ulcisci injurias, [5] illos se velle & habere periculi & fortunæ consortes, rem quidem esse aliquanti laboris & periculi, sed magnæ claritatis, & plurimi emolumenti. Accensis ergo omnibus, atque in verba ejus jurantibus, per vicinas cœpit insulas ferociter debacchari, eratque jam quasi Nembroth [6] robustus venator coram Domino, dedignatus juxta Episcopalis officii debitum hominum esse piscator cum Petro. Augebatur indies satellitum copiis, inter quos nimirum ipse eminens fere ab humero & sursum, tanquam dux magnus omnium animos accen-

1. *Deest* Man *in Edd. priorib.* 2. *Sic etiam Cod. Pic. Antea desiderabatur,* cum. 3. *Ita quoque MS. Pic. Antea desiderabatur,* esse. 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* persequi. 5. Inopes *in margine Cod. nostri à manu recentiori.* 6. *Gen.* 10. P.

debat.

debat. Excurrebat in provincias Scotiæ, rapinis & homicidiis cuncta exterminans. Cumque adversus eum regius exercitus mitteretur, in remotiores se saltus recipiens, vel in Oceanum refugiens, omnem illum apparatum bellicum eludebat, & recedente exercitu, rursum ex locis abditis ad infestandas provincias erumpebat. Cum ergo in omnibus prosperaretur, essetque jam ipsi etiam Regi terribilis; quidam Episcopus vir simplicissimus [1] ejus impetum mirabiliter ad tempus repressit. Cui cum ille bellum denuncians exterminium minaretur, nisi vectigal penderet: voluntas, inquit, Dei fiat, nam meo exemplo nunquam aliquis Episcopus alterius Episcopi fiet tributarius. Cohortatus ergo populum suum, illi cum furore venienti sola fide major, nam in ceteris longe impar, occurrit, & pro suorum animatione primum ipse belli dans ictum, jactata securi modica, hostem in fronte gradientem Deo volente prostravit. Quo casu confortatus populus, in prædones fortiter irruit, & eorum magna parte cæsa, ducem ferocissimum enerviter fugere compulit. Solebat autem hoc ipse postea inter amicos cum [2] jocunditate narrare tanquam glorians, quod solus eum Deus per simplicis Episcopi fidem vincere potuisset. Ego quoque hoc ipsum, quodam qui de numero satellitum ejus fuerat, & cum ceteris qui evasere, fugerat, re-

1. Mirabiliter ejus impetum *Edd. pr.* 2. Jucunditate *Ed. Pic.*

L ferente,

ferente, cognovi. Resumptis autem viribus per insulas atque provincias Scotiæ [1] debacchabatur ut prius. Quamobrem Rex compulsus est placare prædonem, saniori plane usus consilio, ut cum hoste tumido callidoque, cum quo fortiter agi non poterat, sapienter ageretur. Cedens ergo illi quandam provinciam cum monasterio Furnesiensi, excursiones ejus interim suspendit. Cum autem per subditam provinciam tanquam Rex [2] vallante exercitu gloriose ferretur, ipsique monasterio, cujus monachus fuerat, supra modum gravis existeret, de consensu nobilium insidiati sunt ei quidam provinciales, qui ejus vel potentiam vel insolentiam exosam habebant. Nactique tempus opportunum, cum præmissam ad hospitium multitudinem lento pede & raro stipatus satellite sequeretur, comprehensum vinxerunt, utrumque illi oculum, quia [3] uterque nequam erat, eruerunt, causamque virulenti germinis amputantes, eum pro pace regni Scottorum, non [4] propter regnum cœlorum, castraverunt. Qui postea [5] Bellalandam nostram venit, ibique annis plurimis usque ad obitum quietus permansit. Fertur ta-

1. Debacchatus est ut prius *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, valente. 3. *V. C.* utroque. *Videtur autem auctor respexisse illud Evang.* an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? *patres autem moraliter in scripturis exponunt oculum pro intentione: eo quoque spectat Evang. Parab. Matth.* 19. Pic. 4. *Allusit ad Christi dictum Matth.* 19. Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt propter regna cœlorum. *Idem.* 5. Bellelandam *Edd. priores.*

men tunc etiam dixiſſe, quia ſi vel paſſeris oculum haberet, inimici ejus de actis in eum minime exultarent.

De Malcolino Chriſtianiſſimo Rege Scottorum.

CAP. XXV.

MEMORATO [1] igitur Scottorum Regi David, Malcolinus major natu nepotum ejus ex filio nondum pubes ſucceſſit. Qui venerabilem avum in multis bonis exæquans, in quibuſdam etiam glorioſe ſuperans, in medio nationis barbaræ & perverſæ tanquam ſidus cœleſte refulſit. Præventus enim à Deo in benedictionibus dulcedinis, ut à tenero ſuperni amoris fervorem conciperet, in tota vita ſua candore pudicitiæ, titulo humilitatis & innocentiæ, puritate conſcientiæ, morum ſuavitate pariter & gravitate ita excelluit, ut inter ſeculares (quibus [2] ſolo habitu congruebat) monachus, & inter homines, quibus imperabat, terrenus quidam Angelus videretur. Mira quidem hæc in Rege, & rege gentis tam barbaræ, quam utique Deo cuncta opera ejus dirigente ita regebat, ut propter illa virtutum inſignia barbaris non eſſet deſpectui, ſed potius admirationi & amori: dum per regiam auctoritatem & ſeveritatem improbis & audacibus ma-

1. Ergo *Edd. pr.* 2. Toto *MS. Pic.*

ximo esset terrori. [1] Non tamen defuere, qui novis motibus intumescentes, vel eum impetendum censerent, vel consueta illi denegarent. Quos nimirum Deo sibi manifeste cooperante ita vel contrivit, vel domuit, ut omnes deinceps formidarent molesti esse viro, cum quo erat Deus. Sed nec defuere illi in ingressu pubertatis quidam immissi à Sathana, qui cum in se ipsis castitatis jacturam pro nihilo ducerent; eum [2] quoque ad carnalis experientiam voluptatis ausu improbo & virulentis suasionibus titillarent. Ille vero, qui jam [3] sequi agnum cupiens quocunque iret, sanctæ integritatis zelum toto pectore hauserat, & thesaurum istum in carne fragili tanquam in vase fictili caute custodiendum, nullo quidem homine, sed Deo tantum intus docente sciebat, indecoras coævorum, vel etiam eorum quos loco magistrorum colebat, suasiones primo contempsit, ac deinde, cum nondum quiescerent, voce & vultu cum quadam auctoritate ita repressit, ut eorum nullus de cetero talia illi auderet ingerere: at in his [4] repulsus hostis stimulante invidia non quiescit, [5] fortiores contra puerum Dei insidias struit, Matrem adornat, quæ illi virus occultum tanquam consilium maternæ pietatis insi-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* non enim defuere. 2. Quoque & ad *Edd. priores.* 3. *Ad rem trahit illud Apocal.* 14. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati. virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum, quocumque ierit. *Pic.* 4. Repulsis *MS. Pic.* 5. Sed fortiores *MS. Pic.*

bilet,

bilet, & non ſolum blandiendo alliciat, ſed etiam imperiis urgeat; Regem, non monachum eſſe moneat, ætati & corpori ejus amplexus [1] puellares maxime congruere doceat. Matris importunitate vinctus magis quam victus, aſſentiri viſus eſt, ne contriſtaret parentem. Læta illa cubantis jam filii lecto aſſiſtens, virginem ſpecioſam & nobilem ad latus non obluctantis collocavit. Ille egredientibus conſciis ſecretum nactus, & charitatis magis quam carnis igne ſuccenſus, illico ſurrexit, & cubile regium toto noctis ſpatio virgini cedens, opertus pallio in pavimento dormivit. Eo mane à cubiculariis ſic invento, & [2] conſecuto virginis teſtimonio, utriuſque [3] declarata eſt virginitas. Matrem poſtea vel objurgare vel blandiri adjicientem, quadam conſtantis animi auctoritate [4] compeſcuit, ut ſuper hoc audendum ulterius non putaret. Dicant quod voluerint veneratores ſignorum, [5] ex miris merita metientes, & ex ſola ſignorum claritate ſanctitatis titulum tribuentes: plane ego illud in Rege juvenculo, ſic impugnatæ ſed inexpugnatæ integritatis miraculum, præferendum cenſeo non ſolum illuminationi cæcorum, ſed etiam ſuſcitationi mortuorum.

---

1. Puellaris *MS. noſter.* 2. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* conſueto. 3. Eſt declarata *Edd. pr.* 4. Cumpeſcuit *Ed. Pic. Vide Ed. noſtram Camdeni Elizabethæ, p.* 1004. 5. Et ex miris *Edd. pr.*

De

De institutione Hugonis Dunelmensis Episcopi, & restitutione [1] *Wilelmi Eboracensis, & de morte ejus.*

CAP. XXVI.

UT autem à Scotia paululum regrediar, defuncto [2] Wilelmo de Sancta Barbara Dunelmensi Episcopo viro religioso, Hugo Eboracensis Ecclesiæ thesaurarius propter nobilitatem generis (erat enim propinquus Regis Stephani) ad Pontificatum Dunelmensis ecclesiæ electus est, venerabili Henrico Eboracensi Archiepiscopo, ad quem Dunelmensis Episcopi spectabat consecratio, plurimum obnitente, atque obtendente & minus canonicam electi ætatem, & minus probatam morum ejus gravitatem. Ascenderunt ergo majores ex electoribus cum ipso electo ad sedem Apostolicam pro negotio tam electionis quam consecrationis, jam dicto Archiepiscopo pro se responsalem mittente, qui & electioni contrairet, & consecrationem impediret. Sed venerabili Eugenio, qui ejusdem Archiepiscopi apud Clarevallem condiscipulus fuerat, ex hac luce paulo ante subtracto, invenerunt Anastasium sedi Apostolicæ præsidentem. Tres quippe viri memorabiles, & in vita sua amicissimi, tempore illo decedentes, in morte quoque brevibus [3] sunt in-

1. Guillelmi *Edd. priores.* 2 Guillelmo *Edd. priores.* 3. *Deest* sunt *in Edd. priorib.*

tervallis

tervallis ſeparati, ſcilicet Eugenius Papa Romanus, Bernardus Clarevallis Abbas, Henricus Eboracenſis Archiepiſcopus: è quibus Eugenio & Bernardo prius [1] aſſumptis, Henricus [2] è veſtigio ſecutus eſt. Vulgato autem duorum tranſitu, tertio adhuc ſuperſtite, [3] Wilelmus olim Eboracenſis [4] Archiepiſcopus, qui Wintoniæ morabatur, ſpe recuperationis concepta, (nam prior eum depoſuerat, ſecundus ut deponeretur egerat, tertius depoſito ſucceſſerat) ſedem Apoſtolicam celeriter adiit: judicium non accuſans, miſericordiam humiliter poſtulavit. Et ecce [5] certus ex Anglia de tranſitu Eboracenſis Archiepiſcopi nuncius ſuperveniens, verecundiſſimas ejus preces multum adjuvit. Et quidem Dunelmenſis electus, qui prior illuc venerat, à Domino Papa ſolemniter conſecratus, illius qui poſterior advenerat pendente adhuc fortuna diſceſſit. Sed tandem [6] & ipſe, prioris judicii rigore ſublato, Apoſtolicæ manſuetudinis clementiam expertus [7] eſt, miſerante [8] canos ejus Papa cum Cardinalibus, & ſatagente circa ejus negotium maxime quodam Gregorio magni nominis Cardinali, homine facundiſſimo & profundiſſimæ aſtutiæ, atque animi vere Romani.

---

1. Abſumptis *Edd. priores.* 2. Eveſtigio (*unica dictione*) *Edd. pr.* 3. Guillelmus *Edd. pr.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* Archiepiſcopus. 5. Certus de tranſitu ex Anglia Eboracenſis Epiſcopi *Edd. priores. Picardus tamen agnoſcit in ſuo etiam Cod.* Archiepiſcopi *legi.* 6. *Deſunt* & ipſe *in Edd. priorib.* 7. *Deſideratur* eſt *in Edd. priorib.* 8. Ejus canos *Edd. priores.*

Itaque

Itaque in integrum reſtitutus, & pallio, quod nunquam eatenus impetrare [1] poterat, inſignitus, Sabbato ſancto Wintoniam rediit, ibique celebrata ſolemnitate Paſchali, poſt [2] albas ad civitatem propriam properavit. Occurrerunt autem ei extra civitatem minus pacifice Robertus Eboracenſis eccleſiæ Decanus, & Osbertus Archidiaconus, qui, ut eum à deſiderata ſede arcerent, propoſitis capitulis adverſus eum fortiter appellarunt. Ille nihilominus progrediens, ſolemni occurſu, & ingenti applauſu à Clero & populo ſuſceptus eſt. Prænominati vero ejus adverſarii Theobaldum Cantuarienſem Archiepiſcopum, Apoſtolicas tunc in Anglia vices agentem, concite adeuntes, ejuſdem favore & ſuffragiis utebantur. Porro ille receptam non multo poſt albas Paſchales eccleſiam decenti moderamine regens, & ingenita lenitate nulli oneroſus exiſtens, paucis poſt Pentecoſten evolutis diebus febre corripitur, & rapitur ex hac vita, ingenti tam clericis quam laïcis ex mitiſſimi Paſtoris occaſu, luctu relicto. Sane propter inopinatum ejus tranſitum à multis creditur veneno extinctus, aſſerentibus eum ex ſacro calice, per quendam [3] ab adverſariis immiſſum vel pro eis æmulantem infecto, potum mortiferum (quod dictu horrendum [4] eſt) cum potu [5] vitæ hauſiſſe. At hoc mera

1. Potuerat *Ed. Pic.* 2. Octavas *MS. Pic.* 3. Ex *MS. Pic.* 4. Eſt) & cum *Edd. pr.* 5. Vitam hauſiſſe *Ed. Antv.* Mortem hauſiſſe *Ed. Pic.*

quo-

quorundam [1] opinio eſt, quam tamen petulanter velut perſpicuam [2] veritatem ſparſerunt [3] in vulgus. Denique ego proceſſu temporis cum fama iſta crebreſceret, quendam virum magnum & grandævum, Rievallis monaſterii monachum jam valetudinarium & morti vicinum, qui eo tempore Eboracenſis Eccleſiæ Canonicus & memorato Archiepiſcopo familiaris extiterat, ſuper hoc cum adjurationibus percunctandum putavi. Qui conſtanter reſpondit, hoc eſſe mendaciſſimum conceptæ à quibuſdam opinionis commentum: ſe quippe cum ſcelus illud attentatum dicitur, præſentem atque Archiepiſcopo aſſiſtenten fuiſſe, nullo modo malignum quemquam inter circumſtantes fideliſſimos ad aliquid tale audendum irrepere potuiſſe. Illud quoque falſum eſt quod dicunt eum amicis ſuadentibus antidotum guſtare [4] noluiſſe: cum ab eis hoſtilis malicia in eum aliquid auſa putaretur. & ad hoc ſuum vel opinabile vel commentum firmandum [5] ferunt eum dixiſſe, quod cœleſti antidoto non adjiceret humanum. Quod utique quia vir ſapiens fuit, & [6] Deum [7] non eſſe tentandum divina auctoritate edoctus, nec dixiſſe [8] nec egiſſe credendus eſt. Ad hoc Symphorianum familiarem clericum ejus, qui in ejus obſequio non parvo tem-

1. *Sic etiam MS. Pic.* Opinione, quam *antea.* 2. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* veritate. 3. In vulgus *omittit MS. Pic.* 4. Voluiſſe *Edd. priores.* 5. Fertur *Edd. pr.* 6. Dominum *Edd. priores.* 7. *Deut. 6. Matth.* 4. P. 8. Neque *Edd. priores.*

pore fuerat, & ægrotanti devotus minifter aftiterat, audivi dicentem, quod amicis fuadentibus antidotum fumpferit, quod utique [1] vir fapiens [2] feciffe credendus eft. Ab eodem quoque audivi, amicos qui aderant ob hoc maxime, ad putandum quod mortiferum quid biberit, fuiffe proclives, quia dentes ejus, qui candidi fuerant, in extremo illo incommodo nigrefcere cœperant. At hoc ridetur à medicis, [3] cum dentes hominis morituri paffim nigrefcere foleant. Porro Eboracenfis Archiepifcopi morte comperta, Robertus Decanus & Osbertus Archidiaconus, annitente & cooperante Cantuarienfi Archiepifcopo Apoftolicæ fedis legato, Rogerium ejufdem Archidiaconum ad Eboracenfis Ecclefiæ cathedram elegerunt, magnifque fuffragiis atque terroribus Eboracenfe Capitulum ad confentiendum induxerunt. Et de hoc quidem plenius fuo loco dicemus.

De viridibus pueris.

CAP. XXVII.

NEC prætereundum videtur inauditum à feculis prodigium, quod fub Rege Stephano in Anglia nofcitur eveniffe. Et quidem diu fuper hoc, cum tamen à multis prædicaretur, hæfitavi; remque vel nullius vel abditif-

---

1. *Deeft* vir *in Edd. pr.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur,* feciffe. 3. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* cum homines morituri.

fimæ

ſimæ rationis in fidem recipere ridiculum mihi videbatur: donec tantorum & talium pondere teſtium ita ſum obrutus, ut cogerer credere & mirari, quod nullis animi viribus poſſum attingere vel rimari. Vicus eſt in Eſtanglia quatuor vel quinque (ut dicitur) miliariis diſtans à nobili monaſterio beati Regis & martyris Edmundi. Juxta quem vicum quædam antiquiſſimæ foſſæ viſuntur: quæ ſermone Anglico [1] Wlfpittes [2], id eſt, luporum foſſæ, dicuntur, & vico, cui adjacent, ſuum nomen indulgent. Ex his foſſis tempore meſſis, & occupatis circa frugum collectionem per agros meſſoribus, emerſerunt duo pueri maſculus & femina, toto corpore virides, & coloris inſoliti, ex incognita materia veſte operti. Cumque per agrum attoniti oberrarent, comprehenſi à meſſoribus ducti ſunt in vicum, multiſque confluentibus ad tantæ novitatis ſpectaculum, per dies aliquot tenti ſunt cibi expertes. Cum ergo inedia jam pene deficerent, nec tamen aliquid ciborum, qui offerebantur, attenderent; forte ex agro contigit fabas inferri, quas illico arripientes, legumen ipſum in thyrſis quæſierunt, & nihil in concavitate thyrſorum invenientes, amare fleverunt. Tunc quidam eorum, qui aderant, legumen ex corticibus erutum [3] porrexit eis, quod ſtatim libenter acceptum, comede-

1. Vulfputes *Edd. priores.* 2. *Vide notas.* P. 3. Porrexerit *MS. noſter.*

 runt.

runt. Hoc cibo aliti ſunt per menſes aliquot, quouſque [1] uſum panis noverunt. Denique colorem proprium, ciborum noſtrorum prævalente natura, paulatim mutantes, & ſimiles nobis effecti, noſtri quoque ſermonis uſum didicerunt. Viſumque eſt prudentibus, ut ſacri Baptiſmatis perciperent ſacramentum, quod & factum eſt. Sed puer qui minor natu videbatur poſt Baptiſmum brevi vivens tempore immatura morte deceſſit, ſorore incolumi permanente, & nec in modico à noſtri generis feminis diſcrepante. Quæ nimirum [2] poſtea apud Lennam (ut dicitur) duxit maritum, & ante annos paucos ſuperſtes eſſe dicebatur. Sane cum jam noſtræ uſum loquelæ haberent, interrogati qui & unde eſſent, reſpondiſſe feruntur: *Homines de terra Sancti Martini, qui ſcilicet in terra nativitatis noſtræ præcipuæ venerationi habetur.* Conſequenter interrogati, ubinam eſſet terra illa, & quomodo exinde [3] huc adveniſſent, *utrumque*, inquiunt, *neſcimus. Hoc tantum meminimus; quia cum quodam die pecora patris noſtri in agro paſceremus, ſonitum [4] quendam magnum audivimus, qualem nunc apud Sanctum [5] Edmundum, cum ſigna concrepare dicuntur, audire ſolemus. Cumque in ſonitum illum quem admirabamur animo intenderemus, repente tanquam in quodam mentis exceſſu poſiti,*

1. Panis uſum *Edd. priores.* 2. Poſt apud *Edd. pr.* 3. Adveniſſent huc, *Edd. pr.* 4. *Deſunt* quendam magnum *in Edd. priorib.* 5. Albanum *pro* Edmundum *in Edd. priorib.*

siti, invenimus nos inter vos in agro ubi metebatis. Interrogati utrum ibidem vel in Christum crederetur, vel sol oriretur, terram illam Christianam esse, & ecclesias habere dixerunt. *Sed sol,* inquiunt, *apud nostrates non oritur:* [1] *cujus radiis terra nostra minime illustratur, illius claritatis modulo contenta, quæ apud* [2] *vos solem vel Orientem præcedit vel sequitur Occidentem. Porro terra quædam lucida non longe à terra nostra aspicitur, amne largissimo utramque dirimente.* Hæc & multa alia, quæ retexere longum est, curiose percunctantibus respondisse feruntur. Dicat quisque quod voluerit, & ratiocinetur de his ut poterit; me autem prodigiosum mirabilemque eventum exposuisse non piget.

De quibusdam [3] *prodigiosis.*

CAP. XXVIII.

ALIA quoque æque mira & prodigiosa nostris temporibus contigerunt, ex quibus pauca retexam. Mira vero hujusmodi dicimus, non tantum propter raritatem, sed etiam quia occultam habent rationem. Dum in [4] lapidicina quadam petra ingens [5] ferramentis finde-

---

1. Et ejus *pro* cujus *in Edd. priorib.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* nos. 3. Prodigiis *Edd. priores.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* lapicidina. 5. In carbonariis fodinis agri nostri Leodiensis sæpenumero silices ingentes reperiuntur, rotundi, læves, præduri, intra quos vivi bufones omnis spiraculi, quod videri possit, expertes, conditi latent. C. LANG. *Pic.*

retur, apparuere duo canes, capacem ſui in eadem petra concavitatem replentes abſque omni ſpiraculo. Videbantur autem eſſe ex eo canum genere quos leporarios vocant, ſed vultu truces, odore graves, pilorum expertes. Et unus quidem eorum, ut dicitur, cito defecit. Alterum vero ſtupendæ, ut aiunt, edacitatis Henricus Wintonienſis Epiſcopus diebus plurimis in deliciis habuit. Refertur etiam quod in alia [1] lapidicina, dum pro eruendis fabricæ neceſſariis lapidibus altius foderetur, repertus ſit lapis formoſus duplex, id eſt, ex duobus ſubtili agglutinatione compactus lapidibus. Mirantibus operariis, Epiſcopo, qui non longe aberat, exhibitus, [2] deſignari juſſus eſt ut innoteſceret, ſi quid in eo lateret myſterii. Inventaque [3] eſt in ejus [4] concavitate beſtiola, quam bufonem vocant, cathenulam auream circa collum habens. Cunctis ergo, qui aderant, tam inuſitatæ rei ſtupore ſuſpenſis, præcepit Epiſcopus iterum ſignari lapidem, & [5] lapidicinæ altitudini redditum ruderibus in perpetuum operiri. In provincia quoque Deirorum [6] haut procul à loco nativitatis meæ res mirabilis contigit, quam à puero cognovi. Eſt vicus aliquot

---

1. *Antea*, lapicidina. 2. *Antea*, diſſignari. 3. Eſt *omitt. Edd. priores.* 4. *Anno* M.C.XLV. *inventus eſt bufo vivus incluſus in concavo lapide in muro civitatis Cenomanicæ. Quo occiſo bufones infra mœnia exinde fuerunt, cum antea nunquam fuiſſent. Victor. & Ricard. Hagulſt. Chron. De aliis rebus in lapidibus repertis Alexand. ab Alexan. genial. dierum lib.*5. *c.*9. Pic. 5. *Antea*, lapicidinæ. 6. Haud *Edd. pr.*

à mari Orientali miliariis diſtans, juxta quem famoſæ illæ aquæ, quas vulgo [1] Gipſe vocant, numeroſa ſcaturigine è terra proſiliunt, non quidem jugiter, ſed annis interpoſitis, &, facto torrente non modico, per loca humiliora in mare labuntur, quæ quidem cum ſiccantur, ſignum bonum eſt: nam earum fluxus futuræ famis incommodum non fallaciter portendere dicitur. [2] Ex hoc vico ruſticus quidam ad ſalutandum amicum in proximo vico commorantem profectus, multa jam nocte minus ſobrius remeabat. Et ecce, de proximo tumulo quem ſæpius vidi, & duobus vel tribus ſtadiis à vico abeſt, voces cantantium, & quaſi feſtive convivantium audivit. Miratus quinam in [3] loco illo ſolemnibus gaudiis intempeſtæ noctis ſilentium rumperent, hoc ipſum curioſius inſpicere voluit, videnſque in latere tumuli januam patentem, acceſſit & introſpexit, viditque domum amplam, & luminoſam, plenamque diſcumbentibus, tam viris quam feminis, tanquam ad ſolemnes epulas. Unus autem miniſtrantium aſpiciens ſtantem ad oſtium, obtulit ei poculum. Quo ille accepto conſulte noluit bibere, ſed effuſo contento, & continente retento concitus abiit, factoque tumultu in convivio pro ſublatione vaſculi, & perſequentibus eum convivis, pernicitate jumenti quo vehebatur evaſit,

1. Vipſe *Edd. priores.* 2. Ex quo vico *Edd. priores.* 3. Illo loco *Edd. priores.*

&

& in vicum cum insigni se præda recepit. Denique hoc vasculum materiæ incognitæ, coloris insoliti, & formæ inusitatæ, Henrico seniori Anglorum Regi pro [1] magno munere oblatum est, ac deinde fratri Reginæ, David scilicet Regi Scottorum, contraditum, annis plurimis in thesauris Scotiæ servatum est: & ante annos aliquot (sicut veraci relatione cognovimus) Henrico secundo illud aspicere cupienti à Rege Scottorum [2] Willelmo resignatum [3] est. Hæc & hujusmodi incredibilia viderentur, nisi à dignis fide testibus contigisse probarentur. Si autem potuerunt [4] Magi per incantationes (ut scriptum est) Ægyptiacas, & arcana quadam operatione utique malorum Angelorum virgas convertere in dracones, & aquam in sanguinem, [5] novas quoque ranas producere, quos tamen (ut [6] ait Augustinus) creatores draconum vel ranarum non dicimus, sicut nec agricolas segetum, aliud est enim, ex intimo & summo causarum cardine condere atque administrare creaturam, quod qui facit [7] solus est creator Deus, aliud autem pro distributis ab illo viribus & facultatibus [8] aliquam operationem forinsecus [9] admovere, ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur, quod non solum mali

---

1. *Deest* magno *in Edd. priorib.* 2. Guillelmo *Edd. pr.* 3. Est *omittunt Edd. pr.* 4. *Exod.* 7. P. 5. *Exod.* 8. P. 6. *Lib.* 3. *de Trin.* c. 8. P. 7. Solus creator est Deus, *Edd. priores.* 8. Aliquando *pro* aliquam *in Edd. priorib.* 9. Advovere *Ed. Antverp.*

[1] Angeli,

[1] Angeli, ſed etiam mali homines poſſunt: ſi, inquam, mali Angeli per Magos (Deo permittente) ea potuere, non eſt mirum, ſi & illa, de quibus nunc quæritur, quadam Angelicæ naturæ potentia, (ſi à ſuperiori poteſtate permittantur) partim præſtigialiter & fantaſtice, ut illud in tumulo nocturnum convivium, [2] partim in veritate, ut vel illos canes, vel buſonem illum cum cathenula aurea, ſeu [3] ciphum illum valeant exhibere, in quibus homines ſtupore inutili teneantur; qui nimirum mali Angeli libentius faciunt, cum permittuntur, in quibus homines pernicioſe fallantur. Porro puerorum illorum viridium, qui de terra emerſiſſe dicuntur, abſtruſior ratio eſt, quam utique noſtri ſenſus tenuitas non ſufficit indagare.

De ſucceſſibus Henrici ſecundi in Anglia tempore Ducatus ſui.

CAP. XXIX.

UT autem jam ad ſeriem hiſtoricæ narrationis redeam, Henricus, Matildis olim imperatricis ex illuſtri Andegavenſi Comite filius, accepto, [4] ut ſuperius dictum eſt, à matris avunculo Rege Scottorum cingulo militari, transfretavit, & venit ad patrem; eratque de

---

1. Angeli, & mali homines *Edd. priores.* 2. Partim etiam in ver. *Edd. pr.* 3. *Sic MS. noſter.* Scyphum *Edd. priores.* 4. *Vide Notas.* P.

cetero in obſequio ejus prudentiæ & fortitudinis præclaram indolem præferens, & militaris gloriæ non [1] tepidus æmulator [2] exiſtens. Poſt annos vero aliquot patre in fata concedente, paterni juris plenitudinem, id eſt, Andegavenſem ſimul & [3] Cinomannenſem Comitatum, & materni juris expeditam portionem, id eſt, Normanniæ Ducatum, recepit. Nam regno Angliæ, quod ad jus æque ſpectabat maternum, Rex Stephanus quamvis remiſſe & languide, ut ſuperius expoſitum eſt, eatenus incubabat. Itaque patri ſuccedens, & patrem in brevi vel æquans vel etiam excedens, quocunque ſe vertiſſet, induſtrius ſtrenuuſque apparuit, ita ut jam illis formidabilis exiſteret, qui felicibus ejus initiis invidebant. Cumque in partibus tranſmarinis omnia illi quieta jam eſſent, regno Angliæ, quod jure ſibi perſpicuo competebat, fraudari non ulterius patiens, tam difficili & periculoſo negotio animum intendit. Metuens autem ne qua poſt egreſſum ſuum in Normanniam fieret irruptio à Rege Francorum, cujus Rex Stephanus affinitate gaudebat (nam ſororem ejus jam pridem filio ſuo Euſtachio uxorem acceperat) fines ſuos præſidiis opportune diſpoſitis, cautius credidit muniendos. Unde factum eſt ut parvam ſecum manum in Angliam duceret, reputans terris tranſmarinis, quas

1. Trepidus *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* exiſtens. 3. Cænomanenſem *Edd. pr.*

quieto

quieto jam jure possidebat, parum esse consultum, si copias abduceret militares, necessaria sibi præsidia in Anglia minime defutura: si secus, certa incertis [1] inconsulte postponi. Denique non amplius (ut dicitur) quam centum quadraginta equites, & peditum tria millia in Angliam cum eo venerunt. Adventu ejus cognito, ferventibus ad eum animis convenerunt, qui matri ejus ab initio faverant. Auctus illico ingentibus copiis, munitionem [2] Malmesbiriensem, ubi Regis Stephani præsidium erat, obsedit. Tunc idem Rex convocatis celeriter, qui [3] à se non defecerant, cum Eustachio filio, acerrimo juvene, ocius advolans, hostem ad prœlium provocavit. At ille in castris se continens, & campi discrimen pro tempore [4] consulte declinans, eo quod manum imparem habere videretur; hostili ferociæ copiam pugnæ non fecit. Rex vero cum neque hostem commode posset impetere, neque prolixiores circa castra hostilia excubias agere tutum videretur, ociose recessit, & obsessa munitio in potestatem obsidentis concessit. Augebatur idem in dies & militiæ numeris, & favoribus sociorum, deficientibus ad eum paulatim qui hostilium partium fuerant regni optimatibus; ita ut jam incrementis virium & felicitate successuum ducis gloria (sic enim vocabatur) adversarii no-

1. Inconsulto *Edd. pr.* 2. Melbesbiriensem *Edd. pr. Et tamen* Malmesburiensem *in suo legi Cod. testatur Picardus.* 3. Ab se *Edd. pr.* 4. Consulto *Edd. pr.*

men regium adumbraret. [1] Stanfordiam cum inſtructo exercitu adiit; qua celeriter expugnata & capta, munitionem quoque ejecto præſidio regio poſt aliquot dies obtinuit. Audiens autem Gipſewic, [2] quæ ad ejus ſe partes tranſtulerat, obſideri à Rege, ut hoſte propulſato obſidionem ſolveret, ad Orientalium Anglorum provinciam cum exercitu properabat, ſed accepto poſt modicum de ejuſdem loci deditione nuncio, divertit, & [3] irruit ſuper Notingeham, quæ ſita eſt ſuper fluvium Trentam, qua mox expugnata atque opibus vacuata, receſſit, oppugnandæ munitionis, quæ natura loci inexpugnabilis videbatur, operam inanem omittens. Inde ad alia converſus [4] negotia, tanquam favore ſibi arridente divino in omnibus proſperabatur.

De concordia inter Regem Stephanum & Ducem Henricum celebrata.

CAP. XXX.

DUM hæc ſub eventu pendulo inter Regem & Ducem altercatio traheretur, Euſtachius ejuſdem Regis filius juvenis clariſſimus immatura ſecundum voluntatem Dei morte deceſſit, magnam ſeminandæ inter Principes pacis occaſionem, ſui de medio ablatione relinquens.

1. Sanfordiam *Ed. Pic. male.* 2. Qui *Ed. Pic.* 3. Irripuit *Ed. Antverp.* 4. Negotia, ſibi tanquam favore arridente *Edd. priores.*

linquens. Eo quippe ſuperſtite partes concordia mediante componi atque uniri minime potuiſſent, [1] tum propter juvenilem ejuſdem acrimoniam, tum propter [2] ejus præclaram quandam ex [3] affinitate Regis Francorum fiduciam. Utroque autem pacis impedimento per unius hominis mortem ſublato, quod Deo propicio proveniſſe creditur, eo quod jam ſuper Angliam inteſtinis malis exanguem & ſauciam cogitaret cogitationes pacis & non afflictionis: viri pacifici de pace ſuadenda atque formanda propenſius cogitare cœperunt. Occaſu quippe filii, qui ſucceſſurus ſperabatur, ſupra modum exulceratus pater, ad apparatus bellicos pigrius movebatur, & voces ſuadentium pacem ſolito patientius audiebat. Duce quoque prudentum conſiliis ad hoc inclinato, ut honeſto & ſolido fœderi poſtponeret caſus ambiguos, placuit inter eos ſolenne & ſalubre colloquium celebrari. Ubi amicis mediantibus & circa bonum publicum pia & prudenti proviſione ſatagentibus, pax inter eos & caute formata, & ſolide firmata eſt. Decretumque eſt, ut Stephanus de cetero tanquam Princeps legitimus integre in Anglia cum gloria & honore regnaret; Henricus vero ei tanquam heres legitimus in regno ſuccederet. Hanc pacis formam tanquam utilem & honeſtam Princeps uterque amplexus,

1. Cum *Edd. priores.* 2. Ejuſdem *Edd. priores.* 3. *Quam repetes ex c.* xi. *ſup.* Pic.

abolitis

abolitis omnibus quæ inter eos hactenus hostiliter acta fuerant, atque omni simultate perpetuæ tradita sepulturæ, in mutuos multis præ gaudio lacrimantibus se dederunt amplexus. Et Rex quidem ducem adoptans in filium, eum solemniter successorem proprium declaravit. Dux vero Regem tanquam patrem & Dominum in conspectu omnium honoravit. [1] Wilelmus autem Regis filius junior jubente patre duci [2] hominium fecit. Dux quoque illi pactis interpositis satisfecit. Quibus Deo propicio salubriter actis, Rex Angliam & Anglia pacem [3] recepit. Annis enim jam plurimis fere nudo Regis nomine insignis, tunc recipere visus est hujus rem nominis, & quasi tunc primo regnare cœpit: quia tunc primo purgata invasionis tyrannicæ macula legitimi Principis justitiam induit. Dux autem in Anglia post firmatæ pacis solemnia modico tempore commoratus, transfretare parabat, & Rex cum [4] Wilelmo filio multisque aliis nobilibus celebri lætitia prosequebatur abeuntem. Cumque idem regius puer in oculis patris, equo (ut assolet) [5] concitatius veheretur; contigit equo cadente sessorem ad terram graviter [6] allidi. fractoque osse tibiæ resurgere impotens, patri & omnibus qui aderant dolorem incussit. Reportatus

1. Guillelmus *Edd. pr.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, homagium. 3. Recipit *Ed. Pic.* 4. Guillelmo *Edd. pr.* 5. Concitatus *Ed. Pic* 6. Allidi. unde cum fracto osse *Edd. priores.*

ergo

ergo eſt [1] Cantuariam, ut ibi curaretur. Rex vero ſiniſtro caſu ſaucius, datis cum benedictione mandatis, Ducem [2] dimiſit; qui feliciter transfretans circa æſtatis initium ad propria cum gaudio remeavit.

De divortio inter Regem Francorum & uxorem ejus celebrato, & quomodo ipſa nupſerit futuro Regi Anglorum.

CAP. XXXI.

IISDEM fere diebus inter Lodovicum Francorum Regem & [3] Alienorem reginam divortium celebratum eſt, quibuſdam Epiſcopis atque proceribus conſanguinitatem illorum ſub teſtificatione jurisjurandi ſolemniter allegantibus. Eadem ſane regina, ducis Aquitanici ſoboles unica, ante expeditionem Jeroſolymitanam (de qua ſuperius dictum eſt) memorato Regi nupſerat, ſuoque conjugio ampliſſimum illum ducatum Aquitaniæ regno Franciæ junxerat. Quæ nimirum ita ſibi in principio juvenis animum [4] formæ ſuæ venuſtate præſtrictum devinxerat, ut illius [5] famoſiſſimæ expeditionis iter arrepturus, dum uxorem juvenculam vehementius æmulatur, eam nequaquam domi eſſe relinquendam, ſed ſecum ad prœlia proficiſci decerneret. Quod exemplum ſecuti multi alii nobiles,

---

1. Cantiariam *MS. noſter.* 2. Demiſit *Ed. Pic.* 3. Alienoram *Edd. priores.* 4. Suæ formæ *Edd. pr.* 5. Famatiſſimæ *antea.*

uxores

uxores ſuas ſecum duxerunt: quibus cùm cubiculariæ deeſſe non poſſent, in caſtris illis Chriſtianis, quæ caſta eſſe oportebat, feminarum multitudo verſabatur, quod utique factum eſt exercitui noſtro in ſcandalum, ut ſuperius [1] oſtenſum eſt. Cumque idem Rex ab Oriente una cum conjuge non ſine infecti negotii dedecore ad propria fuiſſet reverſus, amore priſtino inter eos paulatim refrigeſcente, cauſæ quoque [2] diſcidii ſuccreſcere cœperunt, illa maxime moribus regiis offenſa, & cauſante, [3] ſe monacho, non Regi nupſiſſe. Dicitur etiam, quod in ipſo Regis Francorum conjugio ad ducis Normannici nuptias ſuis magis moribus congruas aſpiraverit, atque ideo præoptaverit procuraveritque [4] diſcidium. Itaque cauſis ingraveſcentibus, & illa quidem (ut dicitur) multum inſtante, illo vero vel non, vel remiſſius obluctante, per Eccleſiaſticæ legis vigorem ſolutum eſt inter eos vinculum copulæ conjugalis. Porro illa ſoluta à lege viri, & habens poteſtatem cui vellet nubendi, duabus apud patrem filiabus relictis, quæ poſtea duobus illuſtriſſimi Comitis Theobaldi filiis, Henrico ſcilicet & Theobaldo, paterna proviſione nupſerunt, deſideratis [5] tandem potita eſt nuptiis. Denique convenientes Dux Normanniæ & illa

---

1. *Cap. xx.* P. 2. Diſſidii *Edd. pr.* 3. *Vide notas.* P. 4. Diſſidium *Edd. pr.* 5. Tandem poſt potita eſt *Edd. pr.* *Monuit tamen Picardus in ſuo Cod. legi*, tandem potita eſt Ducis Normanniæ nuptiis.

loc o

loco condicto, pactum [1] conjugale inierunt, minus quidem ſolemniter ratione perſonarum, ſed cautiori providentia, ne quid ſcilicet impedimenti pareret ſolemnis præparatio nuptiarum. Mox Ducatus Aquitaniæ, qui à finibus Andegavenſium & Britonum ad Pyrenæos uſque montes, Galliam Hiſpaniamque dirimentes, extenditur, Francorum ſe ditioni paulatim [2] ſubducens ratione conjugis in Ducis Normannici poteſtatem tranſivit; Francis quidem invidia tabeſcentibus, ſed impedire non valentibus ejuſdem Ducis provectum.

De concilio Lundonienſi, & morte Regis Stephani.

CAP. XXXII.

INTEREA Rex Stephanus faſtu regio fines Angliæ luſtrans, & ſe tanquam Regem novum oſtentans, ſuſcipiebatur ab omnibus & decenti magnificentia colebatur, & incendebantur ante faciem ejus, & quodammodo liquefiebant ſicut cera à facie ignis, munitiones adulteræ, quæ erant improborum receptacula, & ſpeluncæ latronum. Veniens autem in Eboracenſem provinciam, quendam Philippum de [3] Colevilla, qui munitionem ſuam apud Drax incendere vel incendendam tradere videbatur, invenit rebellem, fretum ſcilicet ejuſdem mu-

---

1. Conjugalem *MS. noſter.* 2 Subducentes *Ed. Pic.* 3. *Sic etiam Cod. Pic. Antea,* Tolevilla.

nitionis firmitate, [1] & commilitonum ſuorum ingentibus animis, & copioſo ciborum armorumque apparatu. Rex vero ex proximis provinciis exercitu convocato, munitionem objectu amnium, ſilvarum, atque paludum fere inacceſſibilem obſidione concluſit, & fortiter expugnatam in brevi obtinuit. Erat autem tempus meſſis, & Rex in [2] Eboraca civitate, vel in adjacente provincia, quæ volebat expletis, ad Auſtrales provincias remeabat, circa [3] feſtivitatem beati Archangeli Michaëlis, cum Epiſcopis & nobilibus Angliæ Concilium Lundoniis celebraturus, tum pro regni negotiis, [4] tum etiam pro negotio vacantis eccleſiæ Eboracenſis. Evocati ergo majores ejuſdem eccleſiæ cum Abbatibus atque Prioribus ſubjectæ provinciæ affuere; factoque in Rogerium Archidiaconum Cantuarienſem decreto, eum à ſuo Archiepiſcopo, cujus efficaci aſtutia omne negotium electionis ejus proceſſerat, Rege conivente ſolemniter petiere. Quem cum facile à volente impetraſſent, licet eum idem Archiepiſcopus tanquam precibus obſtrictus cedere videretur, vel potius vellet videri, alias quoque preces adjecere; ſcilicet ut eum, non tanquam Cantuarienſis Archiepiſcopus, ſed tanquam Apoſtolicæ ſedis legatus conſecraret. Hoc quoque à volente non difficulter impetrato, con-

1. *Deeſt & in Edd. priorib.* 2. Eboracenſi civitate, & adjacente *Edd. priores.* 3. Feſtum *Edd. priores.* 4. Cum *Edd. pr.*

ſecratus

ſecratus eſt idem electus in Eccleſia beati Petri apud Weſtmonaſterium. Qui ſoluto concilio ad eccleſiam propriam properavit, & poſt ſuſceptionis ſuæ ſolemnia, rebus pro tempore diſpoſitis eundi ad ſedem Apoſtolicam petendi pallii gratia, in propria perſona iter arripuit. Rex vero poſt concilium in Cantia conſtitutus morbo decubuit; quo ingraveſcente poſt dies paucos deceſſit menſe Octobri, & ſepultus eſt apud [1] Fareſham in monaſterio à ſe ante aliquot annos conſtructo, anno regni ſui nonodecimo. Nuncium autem mortis ejus Dux Normanniæ mature accepit, qui forte tunc caſtrum quoddam, quod ab eo deſciverat, cum exercitu obſidebat. Cumque ab amicis moneretur relicta obſidione ſub omni celeritate in Angliam transfretare, ne quid forte contra eum occaſione moræ inimici veteres molirentur, mira juſtitiæ ſuæ confidentia reſpondit, illos nihil auſuros. Et quamvis amici multum inſtarent, obſidionem ſolvere noluit, donec factum eſt de caſtro obſeſſo quod voluit, exſpectante illum cum deſideriis Anglia, & nulla interim in cunctis finibus ejus ſurgente procella. Et hujus quidem libri iſte ſit modus, ut à regno Henrici ſecundi liber ſecundus incipiat.

Explicit liber primus. Incipiunt capitula libri ſecundi.

---

1. *Anonymus Cogeſhalenſis monachus*, Faureſphani: cui adjicit cœnobia Cogeſhal, & Furneſium. *Pic.* Favereſcham *Ed. Antv.* Favereſcam *Ed. Pic.*

---

1. Dominia *Edd. priores.* 2. Scarcheburch *Edd. pr.* 3. Aquilonares *Edd. priores.* 4. Redierint *Edd. priores.* 5. De qua cauſa *Edd. pr.* 6. Frater Regis *Edd. priores.* 7. Sit *Edd. priores.* 8. Et de illuſtri *Edd. priores.* 9. Guillelmi *Edd. priores.* 10. Sunt juſto Dei judicio *antea.* 11. Turone *Edd. priores.*

---

1. Octaviani, & de reditu venerabilis Papæ Alexandri in Italiam *Edd. pr.* 2. Et de adq. *Edd. pr.* 3. Et morte venerabilis Godrici *Edd. pr.* 4. *Deest* Amalrici *in Edd. priorib.* 5. Regum Francorum & Anglorum *Edd. pr.* 6. *Deest* beati *in Edd. priorib.* 7. Commovit eum contra Regem Franciæ *Edd. priores.* 8. Vernullum *MS. noster.* 9. His *Edd. pr.* 10. In Anglia *omittunt Edd. pr.*

XXXIV. [1] Qua-

Expliciunt capitula. Incipit liber secundus.

De Primordiis regni Henrici secundi.

CAP. I.

1154. NNO à partu virginis M.C.LIV. Henricus, Henrici majoris ex filia olim Imperatrice nepos, post mortem Regis Stephani à Normannia in Angliam veniens, hereditarium regnum suscepit, conclamatus ab omnibus, & consecratus mystica unctione in Regem, concrepantibus per Angliam turbis, vivat Rex. Prioris quippe regni, sub quo tot mala pullulaverant, infelicitatem experti, de novo Principe meliora sperabant, præsertim cum præclara illi prudentia atque constantia cum zelo [3] justitiæ inesse viderentur, [4] & magni jam Principis in ipsis suis primordiis præferret imaginem. Denique edicto præcepit, ut illi, qui ex gentibus exteris in

---

1. Qualia in exercitu & Regis terra Scottorum *&c. Edd. priores.*
2. *Deest* memorabili *in Edd. priorib.* 3 *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur*, justitiæ. 4. *Deest* & *in Edd priorib.*

in Angliam ſub Rege Stephano prædarum gratia tanquam ad militandum confluxerant, & maxime Flandrenſes, quorum magna tunc Angliæ incubabat multitudo, propriis regionibus redderentur, fatalem eis diem conſtituens, quem in Anglia ſuſtinere certi foret diſcriminis. Quo edicto pavefacti, ita in brevi [1] dilapſi ſunt, ut quaſi fantaſmata in momento diſparuiſſe viderentur, ſtupentibus plurimis, quo modo repente evanuiſſent. Mox Caſtella nova, quæ in diebus avi ſui nequaquam exſtiterant, complanari præcepit, præter pauca in locis opportunis ſita, quæ vel ipſe retinere, vel [2] à pacificis ad regni munimen [3] retineri voluit. Publicæ quoque diſciplinæ in primis ſollicitudinem habuit; & ut legum vigor in Anglia reviviſceret, qui ſub Rege Stephano extinctus ſepultuſque videbatur, cura propenſiore ſategit. Ordinatiſque in cunctis regni finibus juris & legum miniſtris, qui vel improborum audaciam coërcerent, vel interpellantibus ſecundum cauſſarum merita juſtitiam exhiberent, ipſe vel in deliciis erat, vel majoribus negotiis regiam operam impendebat. Quotiens autem judicibus mollius indigniuſve agentibus, provincialium querimoniis pulſabatur, proviſionis regiæ remedium adhibebat: illorum competenter corrigens vel negligentiam vel exceſſum. Talia

1. Delapſi *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur,* à.
3. *Ita quoque Cod. Pic. Antea,* retinere.

novi

novi Principis initia fuere, gratulantibus quidem & laudantibus pacificis: [1] muſſitantibus vero & contremiſcentibus improbis. Fugiebant lupi rapaces, vel mutabantur in oves; aut ſi non vere mutabantur, metu tamen legum [2] innoxii cum ovibus morabantur. [3] Conflabantur gladii in vomeres, & lanceæ in falces, nulluſque jam exercebatur ad prœlium, ſed omnes olim optatæ & nunc Deo propicio indultæ pacis, vel fovebantur otiis, vel intendebant negotiis.

Quomodo [4] Rex Henricus ſecundus [5] dominica regia ad priſtinum revocavit ſtatum.

CAP. II.

CONSIDERANS autem Rex, quod Regii redditus breves eſſent, qui avito tempore uberes fuerant, eo quod Regia [6] dominica [7] per molliciem Regis Stephani ad alios, multoſque dominos majori ex parte migraſſent, præcepit ea cum omni integritate à quibuſcunque detentoribus reſignari, & in jus [8] ſtatumque priſtinum revocari. Et [9] hii quidem, qui regiis oppidis ſeu vicis hactenus inclyti fuerant,

1. Muſitantibus *MS. noſter.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur,* innoxii. 3. *Quod Eſay cap.* 2. *de pacifico Regis noſtri Jeſu Chriſti imperio prædixit, ad Henrici annum* 1. *tranſfert Auctor.* Pic. 4. *Deeſt* Rex *in Edd. priorib.* 5. Dominia *Edd. priores.* 6. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* dominia. 7 *Vide notas.* P. 8. *Ita quoque MS. Pic. Antea omittebatur,* ſtatumque. 9. Hi *Edd. pr.*

chartas,

chartas, quas à Rege Stephano vel extorſerant, vel obſequiis emerant, quibus tuti forent, protulerunt. Sed quoniam chartæ invaſoris juri legitimi Principis præjudicium facere minime debuerunt, eiſdem inſtrumentis [1] tuti eſſe minime potuerunt. Itaque primo indignati, deinde conterriti & contriſtati, ægre quidem, ſed tamen integre uſurpata & diu tanquam ſolido jure detenta reſignarunt. Cumque in cunctis regni provinciis omnes uſque ad unum, de quo poſt pauca dicetur, voluntati regiæ paruiſſent, Rex Tranſhumbranas [2] partes adiit, Comitemque Albemarlenſem [3] Wilelmum, qui ibidem ſub Stephano Rex verior fuerat, de re conſimili eodem quo ceteros pondere auctoritatis convenit. Ille diu hæſitans, multumque æſtuans, tandem corde ſaucius poteſtati ſuccubuit, & quæcunque ex Regio [4] dominico pluribus jam annis poſſederat, cum ingenti anxietate reſignavit, [5] maxime famoſum illud & nobile caſtrum, quod dicitur [6] Scartheburth, cujus ſitum talem eſſe novimus.

---

1. Eſſe tuti *Edd. priores.* 2. Provincias *Edd. pr.* 3. Guillelmum *Edd. priores.* 4. Dominio *Edd. priores.* 5. Sed maxime *MS Pic.* 6. Scharcheburch *Edd. pr.* Scarburthe *tamen in Cod. ſuo legi fatetur Picardus.*

De situ Castelli de [1] *Scartheburth.*

CAP. III.

RUPES stupendæ altitudinis [2] simul & amplitudinis, [3] & præruptis fere ex omni parte scopulis inaccessa, mare irrumpit, quo tota ambitur, exceptis tanquam faucium quarundam angustiis, quas aperit ad Occidentem, habens in summo planitiem speciosam, & herbidam, & spatiosam tanquam sexaginta jugerum, [4] & eo amplius, fonticulum quoque aquæ vivæ ex saxo profluentem. In ipsis autem faucibus, ad quas sine labore non ascenditur, turris regia sita est; & sub eisdem faucibus urbis initium est in Austrum & Aquilonem utrumque latus spargentis, frontem vero ad Occidentem habentis; & à fronte quidem proprio muro, ab Oriente vero rupe castelli munitur. porro utrumque ejus latus mari alluitur. Sane hunc locum memoratus Comes [5] Wilelmus, cum in Eboracensi provincia plurimum posset, castro construendo idoneum contemplatus, sumptuoso opere naturam juvans, totam rupis planitiem muro amplexus est, & turrim in faucium angustiis fabricavit, qua processu temporis collapsa, arcem magnam & præclaram Rex ibidem ædificari præcepit.

---

1. Scharchebur(c)h *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur,* simul. 3. *Deest* & *in Edd. priorib.* 4. Vel *pro* & *in Edd. priorib.* 5. Guillelmus *Edd. pr.*

De

De obsidione & deditione Brigiæ, & quomodo Rex Scottorum reddidit Regi Anglorum [1] Aquilonales Angliæ partes.

CAP. IV.

Rex igitur in eadem provincia rebus ad votum gestis ad superiora Angliæ remeans, solum Hugonem de Mortuo mari, virum fortem & nobilem, annis jam plurimis regio castro de Brigia incubantem, offendit rebellem. Qui cum juberetur propriis esse contentus, & reddere quæ de jure regio possidebat, pervicacissime renuit, seque, quibus potuit modis, ad resistendum præparavit. Sed quod superbia [2] ejus & indignatio ejus esset plusquam fortitudo ejus, consequenter apparuit. Rex enim celeriter exercitu congregato, Brigiam obsedit: quam post dies non multos fortiter oppugnatam in deditionem recipiens, ei, cujus cor paulo ante quasi cor leonis fuerat, humiliato & supplici veniam dedit. Regi quoque Scottorum, qui [3] Aquilonales Angliæ regiones, scilicet [4] Northumbriam, Cumbriam, Westmeriam, nomine Matildis dictæ imperatricis & heredis ejus olim à David Scottorum Rege adquisitas, tan-

1. Aquilonares *Edd. priores.* 2. *Deest hoc prius* ejus *in Edd. pr.* 3. Aquilonares *Edd. priores.* 4. Norhumbriam, Cubriam, Westmerilandiam, *Edd. priores. Picardus tamen fatetur in suo Cod.* Cumbriam, *&* Westemeriam *etiam legi.*

quam jus proprium possidebat, mandare curavit: Regem Angliæ tanta regni sui parte non debere fraudari, nec posse patienter mutilari, justum esse reddi quod suo fuisset nomine adquisitum. Ille vero prudenter considerans Regem Angliæ in hac parte cum potentia virium merito causæ præstare, quamvis posset obtendere juramentum, quod avo suo David præstitisse dicebatur, cum [1] ab eo cingulum acciperet militare: prænominatos fines repetenti cum integritate restituit, & ab eo vicissim comitatum Huntedunensem prisco [2] jure sibi competentem recepit. [3] Hiis compositis, Anglia in cunctis finibus suo ocio & securitate pro tempore fruebatur. [4] Regis autem supra omnes, qui hactenus in Anglia regnasse noscebantur, latius dominantis, (hoc est ab ultimis Scotiæ finibus ad montes usque Pyrenæos) in cunctis regionibus nomen celebre habebatur.

De bello Walensium, & quomodo in gratiam Regis [5] redierunt.

CAP. V.

VERUM non multis diebus elapsis, inter Regem & Walenses gentem inquietam & barbaram discordia oritur, dum vel ille ali-

1. *Relege c.* 24. *l.* 1. *sup.* Pic. 2. Sibi jure *Edd. priores.* 3. *Antea*, his ita comp. 4. Regis enim supra *Edd. priores.* 5. Redierint *Edd. priores.*

quid insolitum per potentiam ab eis [1] exigeret, vel illi silvosis montibus vallibusque suis plus justo confisi, tanto Principi per insolentiam solita denegarent, sive etiam propter [2] eorum inquietudinem & clandestinos in vicinos Anglorum fines excursus. Rex vero, immensis ex tota Anglia copiis congregatis, [3] regionem [4] Walliarum, qua facilior aditus videbatur, ingredi statuit. Porro illi convenientes, excubabant in terminis: & in planum progredi vel aperto bello cum loricatis congredi levis armaturæ homines caute declinantes, delitescebant in silvis, & viarum angustias observabant. Sane Walenses reliquiæ Britonum esse noscuntur, qui hujus insulæ (quæ nunc Anglia dicitur, olim Britannia dicebatur) incolæ primi fuere, ejusdemque nationis & linguæ esse probantur, cujus & Britones transmarini. Cum autem gens Britonum à supervenientibus Anglorum populis exterminium pateretur, qui evadere potuerunt, refugerunt in [5] Wallias contra irruptionem hostium naturæ beneficio tutas, ibique hæc natio perseverat usque in præsentem diem. Regio quippe illa tractu [6] protensiori ad prospectum Hiberniæ super mare Occidentale jacens, alio latere regionibus Anglicis jungitur, & fere tota vel Oceano vel [7] inviis sal-

---

1. Exigere *Edd. priores.* 2. *Deest* eorum *in Edd. priorib.* 3. *Vide Notas.* 4. Waliarum *Edd. pr.* 5. *Antea*, Walias. 6. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, propensiori. 7. Vivis *Ed. Antv. male.*

tibus

tibus aliisque difficultatibus cingitur. Ideoque difficillimos habet accessus, sive ingressus. Introrsus autem inextricabiles quosdam noscitur habere recessus, ita ut quam periculosum est potenti cuilibet eam cum exercitu ingredi, tam impossibile sit eam interius cum exercitu pervagari. Gignit autem pro sui natura homines moribus [1] barbaros, audaces & infidos, alieni sanguinis avidos, & proprii prodigos, rapinis semper inhiantes, & tanquam transfuso à natura odio genti Anglorum infestos. Habet quidem pro eo quod saltuosa est uberrimas alendis pecoribus [2] pascuas, sed plani parum habens, & frugum infoecunda, alendis propriis non sufficit filiis sine invecto ex [3] vicinis Angliæ provinciis commeatu. Quem nimirum quoniam sine beneficio vel permissu Regis Anglorum habere non potest, ejusdem cogitur ditioni subjacere. Et si forte per latrocinales excursus, à quibus propter effrenatam barbariem vix temperat, eum irritaverit: iram ejus diu non sustinens, cogitur eum placare. Igitur Rex fines hostium cum natura & malitia locorum multum luctando ingrediens, infausta negotii initia habuit. Pars enim exercitus per loca silvosa & humida incautius gradiens, delitescentium juxta viam hostium excepta insidiis, periclitata est: ibique Eustachius [4] filius Joannis,

1. *Huc refer cap. 8. descript. Cambriæ.* Pic. 2. *S. Hieron. in traductione Psalm. 93. usus est.* Pic. 3. Intimis *Edd. pr.* 4. Joannis filius *Edd. pr.*

nis, vir magnus & grandævus, atque inter primos Angliæ proceres divitiarum & ſapientiæ titulis refulgens, cum Roberto de Curci æque nobili viro aliiſque pluribus interiit. Qui vero evaſere periculum, Regem, qui jam [1] Deo propicio eruperat, & in tuto conſiſtebat, cum ceteris occubuiſſe putantes, ejuſque interitum adventantibus adhuc & properantibus ad anguſtias ordinibus nunciantes, non parvam exercitus partem, rumoris atrocitate attonitam, enerviter fugere compulerunt; ita ut Henricus Eſſexenſis, vir inter primos inclytus, & jure hereditario ſignifer regius, vexillo regio, cujus conſpectu exercitus animandus erat, abjecto, fugæ ſe crederet, atque [2] occurrentibus Regem extinctum proclamaret. Ob quod delictum poſtea à quodam viro nobili, proditionis ei dedecus publice opponente, Regii vigore judicii, duello addictus eſt, & ab eodem devictus. Quem tamen Rex de miſericordia judicio mortis ſubducens, apud Redingum monachum fieri juſſit, ampliſſimo autem patrimonio ejus fiſcum auxit. Sed hoc poſtea. Cum ergo Rex ocius advolans turbatum exercitum proprio exhilaraſſet aſpectu, reſumptis illico [3] animis & viribus confuſi ordines in ordinem coiêre, ſeque adverſus hoſtiles [4] de cetero inſidias cautius inſtruxere. Cumque

1. Domino *Edd. priores.* 2. Extinctum Regem occurrentibus *Edd. pr.* 3. Animis, viribus confiſi *Edd. pr.* 4. Inſidias de cetero *Edd. priores.*

Rex

Rex hoſtes etiam à mari invadendos duceret, & claſſem non modicam præparari juſſiſſet, legati hoſtium cum verbis pacificis affuerunt, moxque illorum reguli ſupplices ad eum venerunt. Qui cum ob promerendam tanti Principis gratiam, quibuſdam finium ſuorum munitionibus traditis, hominium illi cum ſacramentis præſtitiſſent, pacis ſereno poſt belli nubilum gratius arridente, exercitus ad propria cum gaudio reverſus, & Rex ad alia negotia ſive delicias eſt converſus.

Quomodo Nicholaus Anglicus factus eſt Papa Romanus.

CAP. VI.

SANE anno primo Regis Henrici ſecundi, obiit Anaſtaſius Papa, ſucceſſor Eugenii, cum fuiſſet Pontifex anni unius. Cui ſucceſſit Nicholaus Albanenſis Epiſcopus, [1] mutans nomen cum omine, dictuſque eſt Adrianus. De quo dicendum eſt, quomodo tanquam de pulvere elevatus ſit, ut ſederet in medio Principum, & [2] Apoſtolicæ teneret ſolium gloriæ. Is enim natione Anglicus, patrem habuit clericum quendam non multæ facultatis, qui [3] relicto cum ſeculo impubere filio, apud Sanctum Albanum factus eſt monachus. Ille vero ado-

---

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* imitans. 2. *Antea,* Apoſtolicum. 3. *Vide notas.* P.

leſcentiam

lescentiam ingressus, cum propter inopiam scholis vacare non posset, idem monasterium quotidianæ stipis gratia frequentabat. Unde pater erubuit, verbisque mordacibus socordiam ejus increpitans, omni solatio destitutum cum gravi indignatione abegit. Ille vero sibi relictus, & forti necessitate aliquid audere coactus, Gallicanas adiit regiones, ingenue erubescens in Anglia vel fodere vel mendicare. Cumque in Francia minus prosperaretur, ad remotiora progrediens, trans Rhodanum peregrinatus est in regione quæ Provincia dicitur. Est autem in illa regione monasterium nobile [1] regularium clericorum, quod dicitur S. Rufi: ad quem locum ille veniens, & subsistendi occasionem ibidem inveniens, quibus potuit obsequiis eisdem se fratribus commendare curavit. Et quoniam erat corpore elegans, vultu [2] jocundus, prudens in verbis, ad injuncta impiger, placuit omnibus: rogatusque canonici ordinis suscipere habitum, annis plurimis ibidem resedit, regularis [3] inter primos disciplinæ æmulator. Cumque esset acris ingenii, & linguæ expeditæ, frequenti & studiosa lectione ad scientiam atque eloquentiam multum profecit. Unde factum est, ut Abbate defuncto fratres eum concorditer atque solemniter in patrem eligerent. Quibus cum aliquandiu præ-

1. Clericorum regularium *Edd. priores.* 2. Jucundus *Ed. Pic.*
3. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* in primis.

Q fuisset,

fuiſſet, pœnitentia ducti atque indignati, quod hominem peregrinum levaſſent ſuper capita ſua, facti ſunt ei de cetero infidi atque infeſti. Odiis itaque paulatim crudeſcentibus, ut jam graviter aſpicerent, in quo ſibi paulo ante [1] tam bene complacuerat: tandem [2] confectis & propoſitis contra eum capitulis ad ſedem eum Apoſtolicam provocarunt. Piæ autem memoriæ Eugenius, qui tunc arcem Pontificii tenebat, cum rebellium filiorum contra patrem querelas audiſſet, & ejus pro ſe allegantis prudentiam modeſtiamque [3] adverteret, paci inter eos reformandæ efficacem operam dedit, multumque imperans & ſæpius inculcans utrique parti, ut partes eſſe deſinerent, & unitatem ſpiritus in vinculo pacis ſervarent, reconciliatos ad propria remiſit. At non diu quievit neſcia quietis malitia, grandiuſque intonuit rediviva tempeſtas. Interpellatus eſt iterum idem venerabilis Pontifex, cujus jam aures fratrum illorum querelis & ſuſurris tinniebant. Utrique ergo parti pie & prudenter proſpiciens: *Scio*, inquit, *fratres ubi ſedes ſit Sathanæ: ſcio quid in vobis ſuſcitet procellam iſtam. Ite*, [4] *eligite vobis patrem, cum quo pacem habere poſſitis, vel potius velitis: iſte enim non erit vobis ulterius oneri.* Itaque dimiſſis fratribus Abbatem in beati Petri obſequio retinens, Albanenſem ordinavit Epiſcopum,

---

1. *Deeſt* tam *in Edd. priorib.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* confictis.
3. *Antea,* animadverteret. 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* colligite.

copum, ac non multo poſt ſumptis induſtriæ ejus experimentis, [1] in [2] gentes ferociſſimas Dacorum & Norrenſium cum plenitudine poteſtatis direxit legatum. Quo ille officio in barbaris nationibus per annos aliquot ſapienter & ſtrenue adminiſtrato, Romam cum ſalute & gaudio remeavit; ſuſceptuſque à ſummo Pontifice & Cardinalibus cum honore & gloria. Evolutis diebus non multis Anaſtaſio, qui Eugenio ſucceſſerat, decedente, omnium in eum votis concurrentibus Romanæ urbis Pontificatum [3] ſuſcepit ex Nicholao Adrianus. Qui nimirum ſuorum non immemor rudimentorum, ob paternam maxime memoriam, beati martyris Albani Eccleſiam & donariis honoravit, & perpetuis inſignivit privilegiis.

Qua [4] de cauſa Gaufridus [5] Regis frater deſcivit ab ipſo, & quomodo reconciliatus eſt.

CAP. VII.

CUM igitur Anglia ſedatis & ſubactis Walenſibus in pace & ſecuritate ageret, nunciatum eſt Regi fratrem ſuum Gaufridum tumultuari in partibus tranſmarinis. Cauſa [6] vero motus fraterni hæc erat. Illuſtris ille Comes

1. *Antea,* ad *pro* in. 2. *Vide notas.* P. 3. *Antea,* ſuſcepit: factus ex Nicholao Adrianus. 4. De qua *Edd. pr.* 5. Frater Regis *Edd. pr.* 6. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* vero.

 Andega-

Andegavenſis ex Matilde olim Imperatrice tres ſuſceperat liberos, Henricum, Gaufridum, [1] Wilelmum. Cum ergo ad Henricum primogenitum paterni maternique juris ſpectaret integritas, idem Comes proviſionem reliquorum noluit in totum ex gratia fratris pendere, neſciens qualem ille [2] ad fratres foret habiturus affectum. Itaque in extremis agens, medio filiorum comitatum Andegavenſem teſtamento reliquit. Sed quia tunc Anglia ſub eventu pendebat ambiguo, cum Henricus, inquit, plenitudinem obtinuerit juris materni, id eſt, Normanniam cum Anglia, fratri Gaufrido jus paternum integre dimittat. Interim vero idem Gaufridus tribus caſtellis non ignobilibus, ſcilicet [3] Chinone, [4] Leoduno, Mirabello ſit contentus. Et quoniam Henricus [5] tunc forte aberat, mature affuturus: Epiſcopos & nobiles, qui aderant, adjuravit, ne corpus ſuum ſepulturæ traderetur, niſi prius præſtito ſacramento à filio, quod paternum minime violaret teſtamentum. Denique illo mortuo, ad celebrandas exequias mox filius affuit, adjurationem illam paternam audivit, diu hæſitavit, tandem conclamantibus omnibus, ne ad ſempiternum & inexpiabile dedecus corpus patris ſineret inſepultum tabe corrumpi, victus ſuccubuit, &

1. Guillelmum *Edd. pr.* 2. Foret ad fratres *Edd. pr.* 3. Schinone *hîc loci in MS. ſecus atque infra.* 4. *Antea,* Leoduno. *Vulgo Loudun (inquit Picardus) in Turonica ditione ad fluvios Tuerem & Creuſam.* 5. Forte tunc *antea.*

ſacra-

ſacramentum, quod exigebatur, non ſine fletu præſtitit. Sepulto patre teſtamentum [1] deſignatum eſt. Ille vero pro tempore diſſimulavit dolorem. Cum autem regnum eſſet adeptus, Romano Pontifici (ut dicitur) qua neceſſitate, quod neſciebat juraſſet, intimare curavit. Et quoniam extorta ſacramenta vel vota non obligant, niſi forte ex ſubſequenti conſenſu [2] convaleſcant, [3] facilem (ut dicitur) ab illo ſacramento abſolutionem impetravit. Ingeſta enim neceſſitas jurandi, ſive vovendi, neceſſitatem non ingerit, quod juratum votumve eſt adimplendi, ſed ſola [4] voluntatis hanc neceſſitatem parit libertas. Ea ratione tutus, nec paterni teſtamenti, nec proprii juramenti contemplatione, fratri ſatisfacere voluit. Unde ille indignatus, tribus prænominatis caſtellis, quæ pater ei reliquerat, contra omnes (ut putabat) caſus munitis, vicinas turbabat provincias. Rex autem exercitu propere congregato, Chinonem, caſtellum ſcilicet ſic dictum, quod [5] tantæ erat firmitatis, ut in eo muniendo tuendoque natura & operatio humana concertare viderentur, obſedit, & in brevi per deditionem obtinuit, fratri humiliato & ſupplici veniam dedit, [6] caſtelliſque nudato, ut occaſionem ſuperbiæ tolleret, terram planam conceſſit, ex qua fru-

1. *Antea*, diſſignatum eſt. 2. Convaleſcat *MS. noſter.* 3. Facile *MS. Pic.* 4. *Antea*, voluntas. hanc *&c.* 5. Tanta erat firmitate *Edd. priores.* 6. *Antea*, caſtelloque.

ctuum

ctuum utilitas proveniret. Cumque idem mœrore contabesceret, & nunc fratris [1] duritiam, nunc fortunæ cum gemitu accusaret invidiam; felicior eum subito exhilaravit eventus. Cives enim præclaræ urbis [2] Nammetensis, certum, vel in quo sibi complaceret Dominum non habentes, ejus industria & strenuitate invitati eum sibi in verum certumque Dominum elegerunt, atque accersito civitatem cum adjacente provincia tradiderunt. At [3] non diu hac felicitate functum mors immatura sustulit, moxque eandem civitatem Comes Richemundensis, qui tunc transmarinæ Britanniæ magna ex parte præsidebat, tanquam verus possessor intravit. Quibus auditis, Rex dato mandato Richemundensem comitatum fisco applicari, illico [4] ex Anglia Normanniam transfretavit, & [5] civitatem Nammetensem tanquam jure [6] fraternæ successionis reposcens, eundem Comitem magni apparatus terroribus ita præstrinxit atque infregit, ut vix tepide obluctari conatus, civitate resignata insistentem placaret.

De subversione Mediolani, & Magorum reliquiis.

CAP. VIII.

ISDEM fere temporibus Fredericus Teutonicus atque Italicus Imperator Mediola-

1. Duritiem *Edd. pr.* 2. Nanmetensis *MS. Pic.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, nondum hac. 4. Ex Anglia in Normanniam *Edd. pr.* 5. *Ita quoque MS. Pic. Antea desiderabatur*, civitatem. 6. Fraterno *Edd. pr.*

num

num urbem, opum viriumque ſuarum fiducia diu rebellem expugnavit, cepit, evertit. Et quidem Longobardi gens inquieta & bellicoſa, immoderatæ libertatis æmula, & tam numero urbium quam magnitudine virium ſuperba, ante annos plurimos ab Imperatore Romano magna ex parte deſciverat: ſed dum inter ſe ampliſſimæ civitates de prioratu diſceptarent, atque aliæ aliis imperare cuperent, imperatoris contra ſe vires auxerunt. Denique Mediolanenſes opibus viribuſque præcellentes, totius Longobardiæ affectabant imperium; jamque aliquot urbes ſubegerant, quaſdam etiam rebelles everterant, cum Papienſes viribus [1] quidem impares, ſed tamen eorum imperium aſpernantes, ad partes [2] imperatorias ſe tranſtulerunt. Quorum exemplum ſecutæ urbes ceteræ, in fœdus imperatoris venerunt. Aggreſſurus ergo Mediolanenſes, defectu omnium ſociorum remiſſius jam agentes, Imperator vires imperii contrahebat. Illi quoque dominandi libidinem in tuendæ libertatis conſtantiam convertentes, totis ſe opibus adverſus Imperatorios impetus muniebant. Cumque ſuburbana demolirentur atque diruerent, [3] ne tantum obſeſſis nociva quantum obſidentibus uſui forent, eadem ratione monaſterium quoque antiquum & nobile, & ſanctorum inſigne reliquiis extra

1. *Deeſt* quidem *in Edd. priorib.* 2. Se imperatorias *antea.* 3. Ne tam obſ. n. quam obſ. uſ. forent, ea de re monaſterium *Edd pr.*

moenia

mœnia deſtruentes, quicquid in eo ſacrum reverendumque [1] repertum eſt, in urbem tranſtulerunt. trium præcipue Magorum corpora, [2] qui Salvatoris infantiam myſticis honorando muneribus, [3] facti ſunt ex gentibus primitiæ Deo & agno. Et quidem theſaurus iſte olim in ejuſdem Eccleſiæ ſecreto repoſitus, ipſos quoque monachos clericoſque ibidem miniſtrantes latebat. Sed cum uſque ad fundamentum deſtrueretur ipſa Eccleſia, repertus & revelatus eſt cum manifeſtis indiciis, quibus declarabatur, quod viri illi (quorum memoria in benedictione eſt) honorato & adorato Salvatore puero, in regionem ſuam reverſi, etiam poſt paſſionis ejus triumphum ſuperſtites fuerint: [4] & percepta prædicantibus Apoſtolis baptiſmi gratia, ad ipſum, quem in cunabulis olim honoraverant, ab eodem in dextera patris ſedente honorandi, migraverint. [5] Nec non [6] & à quibus perſonis ſacræ illorum reliquiæ illuc delatæ, ibique repoſitæ fuerint. Eædem vero reliquiæ oſſibus & nervis compactæ cutem quoque aridam atque imputribilem ſuperductam habebant, vi, ut putatur, balſami, quo poſt mortem (gentili more) corpora eorum delibuta creduntur. Sed [7] & aureus circulus eadem (ut dicitur) corpora cum reperta

1. *Antea*, inventum eſt. 2. *Matt.* 12. P. 3. *Apocal.* 14. *Vide Cæſarem Baro. & Petr. Galchinium in notis in Martyrol. Roman. ad 6. Janu.* Pic. 4. Et percepta à prædicantibus *Edd. priores.* 5. Nec notum eſt à quibus *Edd. pr.* 6. *Vide notas.* P. 7. *Deeſt* & *in Edd. pr.*

ſunt,

ſunt, ambiebat: ut ſibi mutuo cohærerent. Igitur [1] obſeſſa eſt urbs Mediolanenſis ab Imperatore Frederico, cujus quantus exercitus fuerit eo ipſo cognoſcitur: quo Mediolanum potuit obſidere, urbem ſcilicet potentiſſimam, & de ſuorum numeroſitate atque ferocia filiorum [2] immenſius gloriantem. Quæ nimirum poſt caſus varios multipliceſque conflictus deditioni addicta, incidit in manus hoſtiles. Victor Imperator civitatem evertit, cives, quoniam ſe dediderant, non diſperdidit, ſed diſperſit, præclaras illas Magorum reliquias ibidem reconditas (Longobardis ægre ferentibus) in regnum Teutonicum tranſtulit, & theſauri hujus cuſtodia civitatem Coloniam inſignivit.

De ſchiſmate Romanæ Eccleſiæ, & Papienſi concilio, & [3] conventu Gallicano.

CAP. IX.

ILLUSTRIS Anglorum Rex Henricus, anno regni ſui V. apud Lincolniam ſolemniter coronatus eſt in natali Dominico, non quidem intra mœnia, credo propter vetuſtam illam ſuperſtitionem, quam Rex Stephanus (ut ſupra [4] dictum eſt) laudabiliter contempſit atque deriſit: ſed in vico ſuburbano. Sequenti vero

1. *Integram prolixamque narrationem lege apud Radevicum l. 3. à c. 28. ad 44. & l. 4. à cap. 25. ad 39. & ſequentia.* Pic. 2. Inmenſium *MS. noſter.* 3. Coventu *MS. noſter.* 4 *L.* 1. *c.* 18.

anno Adrianus Papa naturæ debitum ſolvit; quo ſublato Cardinales in ſummi Pontificis electione diſcordes Eccleſiam ſciderunt,[1] & dum in ſe mutuo partes ſævirent, in orbe quoque terrarum vinculum Eccleſiaſticæ pacis ruperunt. Et quidem pars major ſaniorque in Rollandum ejuſdem Eccleſiæ Cancellarium, virum religioſum & litteratum, concordans, eundem ritu canonico conſecravit. Pars vero nonnulla, & fere nulla in [2] Octovianum nobilem virum conveniens, eundem, divinum non verita judicium, execrationis elogio maculavit. Uterque in alterum excommunicationis & damnationis ſententiam promulgavit. Uterque partem ſuam Eccleſiarum & nobilium perſonarum favoribus munire curavit. Ille Alexander dictus eſt, juxta cauſæ meritum victor futurus. Iſte nudo nomine, & fallaci omine Victor dictus eſt, victi dedecus habiturus. Poterat ſane ſciſſura illa cito reſarciri, poterat multitudini paucitas cedere atque uniri, niſi Fredericus Imperator veteri odio Rollandi Alexandrum non ferens, partem [3] Octoviani tuendam fovendamque modis omnibus ſuſcepiſſet. Denique ſuæ ditionis Epiſcopos, ſcilicet Italicos & Teutonicos, præcepit [4] Papiam convenire, tanquam ad diſcuſſionem & examen, cujuſnam partis merita præ-

---

1 Et ut in ſe *Edd. priores.* 2. Octavianum *Edd. pr.* 3. Octavianam *Edd. priores.* Octaviani *tamen in Cod. ſuo legi teſtatur Picardus.* 4. *Vide Notas.* P.

ponde-

ponderarent, re autem vera, ut Alexandri parte depressa, partem alteram approbantes, dicti Victoris præmaturam victoriam celebrarent. Partibus quoque mandavit, ut adessent, concilii suscepturæ decretum. Et dictus quidem Victor tanquam subiturus judicium affuit. Alexander vero [1] præjudicium, quod ei sub nomine judicii parabatur, non solum caute, sed etiam libere recusavit. Itaque ex Teutonico simul & Italico regno, [2] Episcopi, imperiali jussione cum ingenti multitudine Prælatorum inferioris ordinis Papiæ congregati in gratiam Imperatoris, qui cum suis ducibus terribilis aderat, quæcunque causam Alexandri juvare poterant, cum pro eo nemo allegaret, vel silentio supprimentes, [3] vel callide invertentes & corrumpentes, quod pro parte altera minus de veritate suppetebat, arte suppleverunt: & dictum Victorem, tanquam verum beati Petri successorem, solemniter recipientes, in Alexandrum, tanquam in Schismaticum & Deo rebellem, sententiam generali decreto tulerunt. Amplexus est Imperator cum omni frequentia Ducum & Procerum acta concilii, pœnam non recipientibus comminatus. Illustres quoque Francorum & Anglorum Reges [4] modis omnibus sollicitare curavit, ut ad perpetuandam

1. *Antea*, judicium. 2. *Quid contigerit in Danico, vide apud Saxon. Grammat. l.* 14. *Hist. Dan.* Pic. 3. *Desunt* vel cal. inv. & cor. *in Edd. priorib.* 4. Omnibus modis *Edd. priores.*

amicitiam mutuam, ſibi in hac parte concordes exiſterent. Illi vero inflexi, ſententia caute ſuſpenſa, donec rei tam ſcrupuloſæ plenius veritatem agnoſcerent, celebrem & ipſi ex utroque regno Epiſcoporum & nobilium loco & tempore congruo conventum fecerunt. Aderant à parte [1] Octoviani duo principales ejus complices, qui ejus fuerant electores, ſchiſmatiſque auctores, Guido ſcilicet Cremenſis & Joannes de Sancto Martino Cardinales. Nam Imarus Tuſculanus Epiſcopus, manus illi execrationis auſus imponere, jam [2] exuerat hominem. Aderant & à parte domini Alexandri tres Cardinales, ſcilicet Henricus Piſanus, Joannes Neapolitanus, [3] Willelmus Papienſis. Surgens [4] igitur ille Cremenſis in conſpectu Regum & Præſulum, coram univerſa, quæ convenerat, multitudine Cleri & populi, pro parte ſua, & contra adverſam totis ingenii atque facundiæ viribus allegavit. Qui cum peroraſſet, ſurgens [5] Willelmus Papienſis [6] vir eloquentiſſimus, perſpicuis [7] rationibus objecta eliſit; & fere quicquid ille pro ſe dixerat in ipſum ita retorſit, ut propriis irretitus captuſque ſermonibus videretur. Denique in illo altercationis mutuæ quaſi duello totius ita negotii veritas claruit, ut neuter ulterius Princeps cuncta-

1. *Antea,* Octaviani. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* vitaverat hom. 3. *Antea,* Guillelmus. 4. Ergo *Edd. priores.* 5. *Antea,* Guillelmus. 6. *Eo nomine commendatur à Petro Bleſenſi Epiſt.* 48. Pic. 7. *Antea,* orationibus.

retur,

retur, repudiata parte [1] Octoviani, Dominum Alexandrum recipere, & cum regnis sibi subditis ei de cetero in [2] hiis quæ Dei sunt, [3] tanquam patri parere. Prænominatis ergo schismaticis cum confusione & dedecore disceden-tibus, Principes & Pontifices nostri lata solemniter in schismaticos excommunicationis sententia solverunt conventum. Interim Dominus Papa Alexander in terra Regis Siciliæ, cujus fideli [4] favore fruebatur, tutus consistens, opportunitatem transeundi in Gallias præstolabatur. Parebatque ei in [5] hiis, quæ ad curam spectant Pastoralem, totus orbis Latinus, exceptis Provinciis Alemannicæ ditionis. Imperator enim ex privata simultate semel in reprobum sensum datus, & vel à ratione vinci indecorum imperatoriæ reputans majestati, multo tempore distulit palmam dare perspicuæ veritati.

De expeditione Tolosana, & de illustri Comite Barcinonensi.

CAP. X.

MEMORABILIS Rex Anglorum Henricus II. anno regni sui septimo in partes Gasconiæ duxit exercitum, cujus [6] famosæ expeditionis causa hæc erat. Comes [7] Pictavensis,

1. *Antea*, Octaviani. 2. Iis *Edd. priores.* 3. Tanquam Papæ patri *Ed. Pic.* 4. Fervore *MS. Pic.* 5. Eis *Edd. pr.* 6. *Sic etiam MS. Pic. Antea desiderabatur*, famosæ. 7. Pictaviensis *Edd. pr.*

qui

qui & dux Aquitanus, avus ſcilicet [1] Alianoris, prius Francorum, poſtea vero Anglorum Reginæ, cum eſſet in expenſis profuſior, & propriorum reddituum quantalibet affluentia tantæ voragini nequaquam ſufficeret, accepta à Comite S. Egidii, viro pecunioſo, pecunia copioſa, nobilem illi cum pertinentiis civitatem Toloſam appoſuerat, atque in fata concedens, abſolvendi appoſiti operam ad filium tranſmiſerat. Qui nimirum in expenſarum profuſione patriſſans, ipſe quoque liberandi pignoris in heredes transfudit negotium. Reliquit autem unicam filiam heredem, quæ cum Regi Francorum Lodovico nupſiſſet, idem Rex uxoris nomine Toloſam repetiit. Comes vero Sancti Egidii nihil quidem juris obtendens, [2] ſed tamen Toloſæ totus incumbens, tandem opportunitatem nactus, Regem nuptiis Germanæ placavit, Conſtantiæ ſcilicet, Euſtachio, Regis Stephani filio, [3] olim nuptæ, & poſt mortem ejus ad fratrem reverſæ. Verum cum poſtea [4] celebrato inter Regem Francorum & uxorem ejus divortio, eadem ad nuptias Regis tranſiſſet Anglorum, mota eſt [5] rurſum quæſtio ſuper Toloſa juſtis heredibus reſignanda. Memorato vero Comite negante, & ſuæ poſſeſſionis Regem Francorum laudante auctorem, Rex An-

1. Alienoræ *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* ſed dolo totus. 3. *Deeſt* olim *in Edd. priorib.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* facto. 5. Rurſus *Ed. Pic.*

glorum

glorum contracto ex universis terris suæ ditionis exercitu, Gasconiæ fines ingressus est. Invitati quoque ab eo amici ut sequerentur vel occurrerent, ingentibus copiis auxerunt exercitum, præcipue Comes Barcinonensis vir magnus & potens, nec infra Reges consistens. Sane hujus in regali magnificentia animum plusquam regalem paucis perstringere, quoniam se præbet occasio, operæ pretium videtur. Illustris quidem Rex Arragonum paulo ante nostram memoriam, cum haberet liberos, unum eorum piæ devotionis instinctu Christo dicatum in monasterio tonsoravit, reliquos pro tempore successores designans. Verum præmortuis, qui successuri sperabantur; [1] contigit patrem humanis novissimum rebus excedere. Veriti autem Optimates & [2] populus ne forte nepotibus de successione contendentibus, regnum discerperetur, propere convenientes, & venienti periculo occurrentes, Regis filium claustro festinanter extractum sublimaverunt in Regem, regnoque disposito, ad procreandos qui succederent liberos, uxorem [3] ducere compulerunt, necessitatis obtentu excusantes excessum, & necessitatem legi non esse subjectam allegantes. Denique nata est ei unica filia. Cumque regnum laudabili moderamine admi-

1. Contingit *Ed. Pic.* 2. Populus de successione nepotibus contendentibus, ne regnum *Edd pr.* 3. Compulerunt ducere *Edd. priores.*

nistrasset

niſtraſſet uſque ad annos filiæ nubiles, convocatis nobilibus, & coram ſe ſolemniter apparentibus cum univerſa pene militia ditionis ſuæ taliter eos eſt allocutus: *Parcat mihi & vobis Omnipotens Deus cariſſimi. factus ſum enim inſipiens. vos me coëgiſtis. Sed nunquid qui cecidit non adjiciet, ut reſurgat? Nunquid quod uſurpavit infelix neceſſitas, quam eſſe dixiſtis* [1] *exlegem, eadem ceſſante ratum eſſe debebit, quod uſurpatum eſt contra legem? En ex me natam* [2] *regni habetis heredem. Provideantur huic puellæ honorabiles nuptiæ: & regno erit conſultum. Redeat ergo monachus* [3] *veſter ad regulam, & ſauciam de cetero ſanet conſcientiam.* Reclamatum eſt ab omnibus: ſed cum pium felixque propoſitum diſſuaderi non poſſet, de conſilio Procerum juveni clariſſimo, Barcinonenſis Comitis filio, filiam deſpondit; regnoque illi cum filia tradito, vir memorabilis, præcipuuſque mundi contemptor, pungentes conſcientiæ ſtimulos ultra non paſſus, poſita purpura cucullam reinduit, & [4] regnum clauſtro mutavit. Quibus actis ſuaſum [5] eſt juveni, ut regni inſignia, id eſt, coronam & purpuram ſolemniter ſumeret, cum regnum haberet. Negavit ſe ille hoc facturum, ita allegans: *Cum nullus progenitorum meorum ſupra Comitem fuerit, natura ſum Comes: qua contentus,*

1. Ex lege *Ed. Pic.* 2. Habetis regni *Edd. priores.* 3. Iterum *pro* veſter *in Edd. priorib.* 4. Regno *MS. noſter.* 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* eſt.

ſicut

ſicut non ſum melior, ita nec excellentior eſſe volo quam patres mei. Ut ergo in me fortuna naturam non ſuperet, nomen & inſignia Regis omitto. Porro ut in me etiam ſerviat fortuna naturæ, retento Comitis nomine regni amplitudinem & poteſtatem non reſpuo. Huc accedit, quod regia dignitate aſſumpta [1] *nonnullis Regibus in divitiis & gloria cederem. At cum mihi regni ſint opes cum poteſtate regia, Barcinonenſi Comiti nullus in mundo Comes poteſt æquari. Proinde malo eſſe Comitum primus, quam Regum nec ſeptimus.* Sic itaque vir mirabilis nobili quodam regii honoris contemptu vel allegabat vel jocabatur, cum ab amicis excellentiam induere [2] regiam moneretur. Nec unquam vel Rex, vel Dux, ſed Comes tantum Barcinonenſis appellari voluit, licet ducatum Provinciæ, id eſt, illius regionis quæ ſic dicitur, & à Rhodano uſque ad Italiæ fines extenditur, cum regno Arragonum poſſideret. Porro ejus filius poſt [3] patris deceſſum, juxta materni prærogativam generis, à Romano Pontifice in Regem eſt ſolemniter conſecratus. Pater vero [4] tum propter amicitiam regis Anglorum, tum quia Comiti S. Egidii infeſtus erat, cum immodicis gentis ſubditæ copiis Toloſanæ (ut dictum eſt) expeditioni interfuit. Guilelmus quoque cognomento [5] Trencheveil, vir nobilis

1. Non multis *Edd. priores.* Quammultis *conjecerat eruditus quidam ad marg. exemplaris Ed. Pic. quod mutuo ſumpſi à Richardo Rawlinſono, A. M.* 2. *Deeſt* regiam *in Edd. priorib.* 3. Deceſſum patris *Edd. priores.* 4. Cum *Edd. priores.* 5. *Antea,* Trentheveil.

& potens, nonnullarum civitatum & multorum Dominus caſtellorum, odio memorati Comitis, in cujus manus (ut dicitur) ante inciderat, & de quibus ægre, ac non niſi plurima terrarum ſuarum parte mutilatus evaſerat, cum quantis poterat viribus regi Anglorum aſſiſtebat. Idem vero Comes, tanti exercitus impetum pertimeſcens, regis Francorum, qui uxoris ſuæ germanus, & filiorum erat avunculus, auxilium imploravit. Qui zelando pro nepotibus, feſtinus adveniens, cum aliquanta militia Toloſam intravit. Quod cum innotuiſſet regi Anglorum, perſonæ regis ibidem conſiſtentis deferens, civitatem oppugnare diſtulit, & ad pervadendam provinciam expugnandaſque munitiones convertit exercitum. Caturcenſem civitatem, quæ à ſe defecerat, & fines ejus cum numeroſis caſtellis deditione recepit, plurima quoque expugnavit & cepit. Quibus actis, & memorato Guilelmo [1] Trencheveil munitionibus, quas illi ſorte bellica Comes Egidienſis extorſerat, redditis, [2] Normanniam rediit.

De horrenda interfectione [3] Wilelmi Trencheveil, & ultione ejus.

CAP. XI.

SANE quoniam de eodem Guilelmo incidenter facta eſt mentio, ſilendum non

---

1. Coadjutori ſuo *addit MS. Pic.* 2. In Normanniam *Edd. pr.*
3. *Antea*, Guillelmi.

eſt

eſt quid in illum poſtea, excreſcente ſupra modum malitia, ſit à ſuis commiſſum, quam levis occaſio piaculare peperit ſcandalum, & quam terribile ſubſecutum ſit inauditæ ultionis exemplum. Res enim recentis memoriæ eſt, crebro certoque mihi comperta relatu. Idem vir nobilis & magnus, juxta nomen magnorum qui ſunt in illa terra, cum poſt Toloſanam, cui interfuit, expeditionem finibus ſuis per circuitum fortiter defenſis in pace ageret, cauſſa exſtitit, ut nepoti in curſu hoſtium laboranti ſubvenire deberet. Denique ipſe cum manu non parva præcedens, præcepit ut reliquus exercitus ſequeretur. Erumpens ergo ex ſubjectis [1] urbibus, Bederenſi ſcilicet & [2] Carcaſumenſi, juventus non modica, armis animiſque inſtructa, properabat. Contigit autem ut quidam [3] Bederenſis, numero fretus concivium, Equiti [4] cuidam non ignobili ſimul procedenti petulanter injuriam faceret, equo ejus militari, quem Dextrarium vocant, ablato, & ferendis in via ſarcinis deputato. Eques [5] vero toto ſibi ordine equeſtri adjuncto in præſentia ducis acerrimam movit querelam, illatam injuriam tanquam [6] minus damnoſam, ſed multum dedecoroſam exaggerans. Dux

1. *Vide notas.* P. 2. Carcaſonienſi *Edd. priores.* 3. *Sic quidem v c. ſed melius,* Beterenſis, *aut* Biterrenſis. *Pic.* 4 *Deeſt* cuidam *in Edd priorib.* 5. Vero ſibi toto ordini *Ed. Pic.* 6. Minus quidem damnoſam *Edd. priores.* Nimis *tamen pro* minus *in Cod. ſuo legi teſtatur Picardus.*

vero placare volens Equites, constanter pronunciantes quod protinus ab exercitu discederent, si Bederenses concivis sui impunitate gauderent, auctorem injuriæ conquerentium tradidit voluntati. Quem illi levi quidem sed aliquantulum indecora multatum pœna tanquam dehonestatum, & [1] de cetero sine honore victurum dimiserunt. Unde vehementer indignata est civitas Bederensis, quasi unius civis vel exiguum dedecus universitatem suam maculasset. Itaque universi cives Domino suo ab expeditione reverso lacrimabiliter supplicarunt, ut aliquo honesto & competenti modo subjectæ & devotæ sibi urbis dedecus aboleret. Ille, ut erat animi satis civilis, clementer humiliterque respondit; seque id, quod necessitate placandi Equites actum fuisset, libenter emendaturum, & civibus optimis die [2] certo prout ipsi dictarent solemniter satisfacturum spopondit. Quam illi sponsionem amplexi, [3] interim quieverunt. Statuto die sponsor cum amicis & subjectis nobilibus affuit; & basilicam cathedralem ingressus, civium, quibus præsente Episcopo satisfaceret, præstolabatur adventum. Illi quoque furore callide dissimulato mox affuere, loricas & sicas veste superducta tegentes. Procedensque in medium qui injuriam fecerat, & ignominiam reporta-

---

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* deinceps sine. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* certo ex eorum arbitrio solemniter. 3. *Ita quoque MS. Pic. Antea omittebatur,* interim.

rat,

rat, *ecce ego*, inquit, *homo infelix & vitæ pertæſus, eo quod mihi contigerit cum dedecore vivere. Dicat nunc* (*ſi placet*) *dignatio tua, Domine mi, utrum velit quod circa me actum eſt emendare : ut velim poſſimque vivere.* Tunc vir memorabilis ſatis civiliter & [1] citra perſonam dominantis, *paratus ſum*, inquit, *ſuper hoc præſentium Procerum* [2] *conſilio civiumque arbitrio ſtare, ſicut ſpopondi.* Rurſus ille ; *Bene*, inquit, *diceres, ſi alicujus exhibitione honoris à te noſtra poſſet confuſio compenſari. Nunc autem cum* [3] *tu ea menſura, qua menſus es nobis dedecus, non poſſis remetiri honorem : noſtram non aliter quam tuo neceſſe eſt ſanguine maculam expiari.* Quo dicto, arma cives nequiſſimi, quæ occuluerant retexerunt, & impetu facto coram ſacro altari, fruſtra ſe pene uſque ad periculum proprium objectante Epiſcopo, Dominum proprium cum amicis & Proceribus ſuis laniſtæ crudeliſſimi peremerunt. Quod cum eſſet omnibus per circuitum gentibus in ſtuporem & ſibilum, cunctis factum deteſtantibus, & peſtiferæ conſpirationis [4] collegio merita imprecantibus, finitimi Principes arbitrantes obſequium ſe præſtare Deo, ſi gentem malignam abraderent ; ad faciendam vindictam in nequiſſimos junctis ſe viribus præparabant. Illi quoque urbis ſuæ firmitate confiſi, quantis ſe poterant apparatibus muniebant. Ac primo quidem Ro-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, infra. 2. *Antea*, concilio. 3. In *pro* tu *in Ed. Pic.* 4. Collegia meritò impr. *Edd. priores.*

manus

manus Pontifex tanti ſceleris atrocitate audita ſceleſtiſſimos illos eccleſiaſticæ maledictionis jaculo perculit, Rex vero Arragonum cum aliis Principibus conſequenter maledictam urbem obſedit. Cumque obſidio aliquandiu traheretur, & obſidentibus tum propter loci munimina, tum quia obſeſſis pro anima res erat, fere inextricabilis capiendæ urbis difficultas obſiſtere videretur; obſeſſores moræ prolixioris pertæſi, ne non aliquid ageretur, cum illis, quos expugnare non poterant, pacem fecerunt, eoſque Domino proprio, illius ſcilicet filio quem [1] mactaverant, pactis pro ſatisfactione paternæ necis intervenientibus reconciliaverunt. Fœderibus ergo celebratis, ſoluta eſt obſidio, & bene actum videbatur. Quod utique divina, ſicut poſtea claruit, ordinatione provenit, ut ſcilicet viribus inexpugnabiles congruam ad interitum acciperent talionem qui Dominum modeſtum & bonum artificioſa perfidia crudeliter trucidarant, & eodem illis [2] modio remetiretur à filio, quo ipſi prius patri menſi fuerant. Nam cum forte eidem filio poſtmodum joco vel ſerio improperatum eſſet à quodam nobili, quod perfidis civibus extincti patris ſanguinem vendidiſſet, ita eſt ſauciatus hoc verbo, ut fidem ſervare perfidis indecorum reputans, doloris ſimul & pudoris urgentibus ſtimulis, feſtinam paternæ necis quo-

1. *Antea*, mactaverunt. 2. Medio *MS. Pic.*

cunque

cunque modo meditaretur ultionem. Mox illuſtri Arragonum Regi myſterium conceptæ intentionis aperiens, accepit ab eo, tanquam in adjutorium contra Comitem Egidienſem, non parvas gentis ferociſſimæ copias. Et præcurrens ad civitatem Bederenſem fama prius arte diſperſa, quod idem Comes irruptionem moliretur, civibus ſupplicavit, ut quoniam Regis Arragonum amicitia & ope gaudebat, mox affuturis Arragonibus hoſpitium in tranſitu exhibentes, juſtæ [1] commutationis modum, victualia miniſtrando, ſervarent. Venientes ergo Arragones, non quidem ſimul ne eſſent terribiles, & eorum ingreſſus nequaquam pacificus videretur, ſed pauci & pauci per dies aliquot, tandem omnes ingreſſi urbem repleverunt. Cumque per totam eſſent in hoſpitiis civitatem, repente ad ſignum [2] ab arce datum, raptis armis impetum in proximos quoſque cives fecerunt, totumque urbis populum furore inſatiabili fere in momento peremerunt. Sic maledictus ille populus juſta [3] Dei ordinatione mercedem, quam oportuit, perfidiæ ſuæ & crudelitatis accepit. Porro miniſtri ultionis pro mercede ſui operis, habitationem (ut dicitur) acceperunt perfidorum cædibus civium expiatæ civitatis. [4] Hiis explicitis, quoniam pro tempore memorabilia videbantur, ad ſuſceptæ hiſtoriæ ſeriem redeamus.

---

1. Communicationis *MS. Pic.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur*, ab arce. 3. *Deeſt* Dei *in Edd. priorib.* 4. Iis *Edd. pr.*

Quo-

Quomodo Reges, Francorum ſcilicet & Anglorum, diſſidentes pacificati ſunt.

CAP. XII.

IGITUR Rex Anglorum Henricus ſecundus ab expeditione Toloſana reverſus, brevi quievit. Sequenti enim anno, qui fuit regni ejus octavus, ira inter ipſum & Regem Francorum, tempore ejuſdem expeditionis [1] concepta cauſis ingraveſcentibus, tandem quaſi parta erupit, & ſubditarum quietem provinciarum motibus turbulentis corrupit. Denique immenſis hinc inde exercitibus congregatis, in terrarum confiniis caſtris è regione diſpoſitis uterque Princeps cum ſuis copiis conſiſtebat, quia & progredi periculoſum, & [2] retrogradari indecorum videbatur: paratiorque [3] erat uterque vel Princeps vel exercitus propter bellici diſcriminis ambiguos exitus prœlium excipere quam inferre. Viri ergo pacifici hanc hæſitationem [4] ſeminandæ pacis occaſionem habentes, ne duorum zelus & ſuperbia hominum ſtrages innoxiorum parerent populorum, pie cauteque ſategerunt. Et quoniam ſub clypeo, ut dici ſolet, melius plerumque procedit pacis negotium: Principibus quod prius ne audire quidem ſuſtinebant, ſine magna difficultate per-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* conceptis. 2. Retrogredi *Edd. pr. Vide l.*IV. *c.*17. 3. Uterque erat *Edd. pr.* 4. *Deſunt* ſeminandæ pacis occaſionem *in Edd. priorib.*

ſuaſum

ſuaſum eſt. Itaque pacificati ſunt Principes, & populi rediere in ſua. Sane eodem anno Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus deceſſit, cui Thomas, Cancellarius regius, anno ſequenti ſucceſſit.

De hæreticis Angliam ingreſſis, & quomodo exterminati [1] *ſunt.*

CAP. XIII.

IISDEM diebus Erronei quidam venerunt in Angliam, ex eorum (ut creditur) genere quos [2] vulgo Publicanos vocant. Hi nimirum olim ex Gaſconia incerto auctore habentes originem, regionibus plurimis virus ſuæ perfidiæ infuderunt. Quippe in latiſſimis Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ, Germaniæque provinciis tam multi hac peſte infecti eſſe dicuntur, ut, ſecundum [3] prophetam, multiplicati eſſe ſuper [4] numerum videantur. Denique cum à Præſulibus eccleſiarum, & Principibus provinciarum in eos remiſſius agitur, egrediuntur de caveis ſuis vulpes nequiſſimæ, & prætenta ſpecie pietatis, ſeducendo ſimplices, vineam Domini Sabaoth tanto gravius, quanto liberius demoliuntur. Cum autem adverſus eos igne Dei fidelium zelus ſuccenditur, in ſuis foveis deliteſcunt, minuſque ſunt noxii: ſed tamen occultum ſpargendo

1. Sint juſto Dei judicio *Edd. pr.* 2. *Vide notas.* P. 3. *David Pſal.* 138. P. 4. Numerum arenæ videantur *Edd. priores.*

virus nocere non desinunt. Homines rusticani & idiotæ, atque ideo ad rationem hebetes, peste vero illa semel hausta ita imbuti, ut ad omnem rigeant disciplinam, unde rarissime contingit eorum aliquem, cum è suis latebris proditi extrahuntur, ad pietatem converti. Sane ab hac & ab aliis pestibus hæreticis immunis semper extitit Anglia, cum in aliis mundi partibus tot pullulaverint hæreses. Et quidem hæc insula, cum propter incolentes Britones Britannia diceretur, [1] Pelagium in Oriente hæresiarcham futurum ex se misit, ejusque in se processu temporis errorem admisit: ad cujus peremptionem Gallicanæ ecclesiæ pia provisio semel & iterum beatissimum direxit Germanum. At ubi hanc insulam expulsis Britonibus natio possedit Anglorum, ut non jam Britannia sed Anglia diceretur, nullius unquam ex ea pestis hæreticæ virus ebullivit: sed nec in eam aliunde usque ad tempora Regis Henrici secundi tanquam propagandum & dilatandum introivit. Tunc quoque, Deo propicio, pesti, quæ jam irrepserat, ita est obviatum, ut de cetero hanc insulam ingredi [2] vereretur. Erant autem tam viri, quam feminæ paulo amplius quam triginta, qui, dissimulato errore, quasi pacifice huc ingressi sunt propagandæ pestis gratia

1. *Lege Prosper. Aquit. Chron. Anno* 403. *Constant. presbyt. in vita sancti Germ. Antissiodor. & vitam S. Genove.* Pic. 2. Vererentur *Edd. priores.*

duce

duce quodam Gerardo, in quem omnes tanquam præceptorem ac Principem reſpiciebant. Nam ſolus erat aliquantulum litteratus: ceteri vero ſine litteris & idiotæ, homines plane impoliti & ruſtici, nationis & linguæ Teutonicæ. Aliquamdiu in Anglia [1] commorantes, unam tantum mulierculam venenatis circumventam ſuſurris, & quibuſdam (ut dicitur) faſcinatam præſtigiis, ſuo cœtui [2] aggregarunt. Non enim diu latere potuerunt, ſed quibuſdam curioſe indagantibus, quod peregrinæ eſſent ſectæ, deprehenſi, [3] comprehenſi tentique ſunt in cuſtodia publica. Rex vero nolens eos indiſcuſſos vel dimittere vel punire, Epiſcopale præcepit Oxoniæ concilium congregari. Ubi dum ſolemniter de religione convenirentur: eo, qui litteratus videbatur, ſuſcipiente cauſam omnium, & loquente pro omnibus, Chriſtianos ſe eſſe, & doctrinam Apoſtolicam venerari reſponderunt. Interrogati per ordinem de ſacræ fidei articulis: de ſubſtantia quidem superni medici recta, de ejus vero remediis, quibus humanæ infirmitati mederi dignatur, id eſt, divinis ſacramentis, perverſa dixerunt; ſacrum Baptiſma, Euchariſtiam, Conjugium deteſtantes, atque unitati catholicæ, quam hæc divina imbuunt ſubſidia, auſu nefario derogantes. Cumque ſumptis de ſcriptura [4] ſacra divinis

---

1. *Antea*, morantes. 2. *Antea*, aggregaverunt. 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur*, comprehenſi. 4. *Deeſt* ſacra *in Edd. priorib.*

urgerentur teſtimoniis, ſe quidem ut inſtituti erant credere, de fide vero ſua diſputare nolle reſponderunt. Moniti, ut pœnitentiam agerent, & corpori eccleſiæ unirentur, omnem conſilii ſalubritatem ſpreverunt. Minas quoque [1] pie prætentas ut vel metu reſipiſcerent, deriſerunt, verbo illo dominico abutentes: [2] *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Tunc Epiſcopi, ne virus hæreticum latius ſerperet præcaventes, eoſdem publice pronunciatos hæreticos corporali diſciplinæ ſubdendos catholico Principi tradiderunt. Qui præcepit hæreticæ infamiæ characterem frontibus eorum inuri, &, ſpectante populo, virgis coërcitos urbe expelli, diſtricte prohibens ne quis eos vel hoſpitio recipere, vel aliquo ſolatio confovere præſumeret. Dicta ſententia, ad pœnam juſtiſſimam ducebantur gaudentes, non lentis paſſibus præeunte magiſtro eorum & [3] canente, [4] *Beati eritis cum vos oderint homines.* In tantum deceptis à ſe mentibus ſeductorius abutebatur ſpiritus. Illa quidem muliercula quam in Anglia ſeduxerant, metu ſupplicii diſcedens ab eis, errorem confeſſa reconciliationem meruit. Porro deteſtandum illud collegium, cauteriatis frontibus, juſtæ ſeveritati ſubjacuit: eo, qui primatum gerebat in eis, ob inſigne

1. *Ita quoque MS. Pic. Antea deſiderabantur*, pie prætentas. 2. *Matt.* 5. P. 3. *Antea*, cantante. 4. *Matt.* 5. P.

magi-

magiſterii, inuſtionis geminæ, id eſt, in fronte & circa mentum, dedecus ſuſtinente. Sciſſiſque cingulo tenus veſtibus publice cæſi, & flagris reſonantibus, urbe ejecti, algoris intolerantia (hiems quippe erat) nemine vel exiguum miſericordiæ impendente, miſere interierunt. Hujus ſeveritatis pius rigor non [1] ſolum à peſte illa, quæ jam irrepſerat, Angliæ regnum purgavit, verum etiam, ne ulterius irreperet, incuſſo hæreticis terrore præcavit.

De Concilio [2] Turonis celebrato ab Alexandro Papa.

CAP. XIV.

EODEM tempore Romanus Pontifex Alexander de Apulia liquido itinere venit in Gallias. Cum enim illi (ut ſuperius dictum eſt) præter terras Alemannicæ ſubditas poteſtati totus, in [3] hiis quæ Dei ſunt, orbis pareret Latinus, vias tamen obſidentibus [4] Octoviani ſatellitibus, & vel eum adeuntes, vel ab eo redeuntes, ſi qui forte inciderent, rebus omnibus ſpoliatos carcerali quoque cuſtodiæ mancipantibus, rariſſimus ad illum poterat eſſe acceſſus, unde nec ipſe poterat ut volebat & decebat fungi ſummo ſacerdotio, & longius Apoſtolicæ brachium extendere poteſtatis. Hu-

---

1. *Sic plane in MS. noſtro, licet τὸ à ſupra lin. idque, ut videtur, ab alia manu ſcribatur. Antea,* non peſte illa. *Picardus tamen fatetur in Cod. ſuo* ſolum *itidem exſtare.* 2. Turone *Edd. pr.* 3. His *Edd. pr.* 4. *Antea,* Octaviani.

jus

jus rei gratia mari ſe credens, & cum ingenti periculo provincias adiens Occidentis, occurrentibus ei Præſulibus & nobilibus regionum Gallicanæ Eccleſiæ, multorum deſideriis expectatus advenit. Magni quoque Francorum & Anglorum Reges adventum ejus ſolemni honorantes occurſu, qualia regiam decebant magnificentiam, inſigni exuli hilariter obſequia præſtiterunt. Principum itaque favore adjutus, convocatis eccleſiarum paſtoribus, in octavis Pentecoſtes generale concilium cum multa gloria [1] Turonis celebravit, anno ab incarnatione
1163. Domini M.C.LXIII. [2] Hujus autem concilii decreta noſtræ duximus hiſtoriæ inſerenda.

Decreta Turonenſis Concilii.

CAP. XV.

[3] *Canon* I. V. QUONIAM enormis quædam conſuetudo in quibuſdam locis, contra ſanctorum patrum inſtitutiones, invaluit, ut ſub annuo precio ſacerdotes ad eccleſiarum regimen ſtatuantur, ne id fiat modis omnibus prohibemus; quia dum ſacerdotium ſub hujuſmodi venali mercede diſponitur, ad æternæ retributionis præmium conſideratio non habetur.

---

1. Turone *Edd. pr.* 2. *Hanc quidem clauſulam & in ſuo Cod. exſtare teſtatur Picardus; in quo tamen deeſſe decreta monuit.* 3. *Numeri iſti marginales deſunt in MS. noſtro. Neq; exſtant in Ed. Antv. Neque, ut conjicio, exſtabant in Cod. Picardi. Cum Picardi tamen Ed. adpoſuimus. Sciendum autem in Baronii Tom.* 12. *An.* 1163. *alio ordine n.* 18. *recenſeri hos Canones, quem proinde numeris majoribus diſtinximus.*

NON

NON ſatis utiliter avaritia redarguitur in populo, ſi ab [1] hiis, qui in Clero [2] conſtituti videntur, & præcipue qui contempto ſeculo religioſorum nomen profitentur & regulam, [3] modis omnibus non cavetur. Prohibemus igitur ne ab [4] hiis qui ad religionem tranſire voluerint, aliqua pecunia requiratur; neve prioratus aut capellanæ quælibet monachorum aut clericorum annua [5] diſtractione vendantur: neque ab eo, cui regimen ipſarum committitur, pro earum commiſſione ullum precium exigatur. Hoc autem Simoniacum eſſe, ſanctorum [6] patrum auctoritas manifeſte declarat. Unde quiſquis hoc de cetero præſumpſerit attentare, partem ſe cum Simone non dubitet habiturum. Pro [7] ſepultura quoque, vel chriſmatis [8] & olei ſacri perceptione, nulla cujuſquam precii venalitas intercedat, neque ſub obtentu alicujus conſuetudinis reatum ſuum aliquis tueatur: quia diuturnitas temporis non minuit peccata, ſed auget. *Can. 2.* VI.

QUIA in quibuſdam epiſcopatibus Decani vel Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum vel Archidiaconorum, & terminandas cauſas eccleſiaſticas ſub annuo precio ſtatuuntur, quod ad ſacerdotum gravamen, & ſubverſionem judiciorum non eſt dubium redundare: *Can. 3.* VII.

---

1. Iis *Edd. priores.* 2. Conſtitui *Ed. Pic.* 3. Omnibus modis *Edd. priores.* 4. Iis *Edd. pr.* 5. Diſtrictione *Edd. priores.* 6. Autoritas patrum *Edd. pr.* 7. *Vide Notas.* P. 8. Seu *pro* & *in Edd. priorib.*

id

id ulterius fieri diſtrictius prohibemus. Quod qui fecerit, removeatur à Clero. Epiſcopus quoque, qui hoc in ſua diœceſi ſuſtinuerit, & eccleſiaſtica judicia ſua patitur diſſimulatione perverti, canonica diſtrictione plectatur.

Can. 4. I. MAJORIBUS eccleſiæ beneficiis in ſua integritate manentibus, indecorum nimis eſſe videtur, ut [1] minores clericorum præbendæ recipiant ſectionem. Idcirco, ut ſicut in magnis, ita quoque in minimis membris ſuis firmam habeat eccleſia unitatem, diviſionem præbendarum aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.

Can. 5. II. PLURES clericorum & (quod mœrentes dicimus) eorum quoque qui præſens ſeculum profeſſione, [2] votis, & habitu reliquerunt, dum communes uſuras manifeſtius damnatas exhorrent, commodata pecunia indigentibus poſſeſſiones eorum in pignus accipiunt, & provenientes [3] fructus percipiunt ultra ſortem; idcirco generalis concilii decrevit auctoritas, ut nullus amodo conſtitutus in clero, vel hoc vel aliud uſuræ genus exercere præſumat; & ſi quis hactenus alicujus poſſeſſionem data pecunia ſub hac ſpecie in pignus accepit, ſi ſortem ſuam [4] deductis expenſis de fructibus jam percepit, abſolute poſſeſſionem reſtituat debitori. Si autem aliquid minus habet, eo recepto poſſeſſio

1. *Antea*, juniores. 2. Votiſque *pro* votis *in Edd. priorib.* 3. Fructibus *MS. noſter.* 4. Diductis *Edd. pr.*

libere

libere ad Dominum revertatur. Quod si post hujusmodi constituta in clero quisquam extiterit, qui detestandis usurarum lucris insistat, ecclesiastici officii periculum patiatur; nisi [1] forte beneficium ecclesiæ fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laïca [2] videatur.

[3] IN partibus Tolosæ damnanda hæresis dudum emersit, quæ more cancri paulatim se ad vicina loca diffundens, per Gasconiam & alias provincias, quamplurimos jam infecit: & dum in modum serpentis [4] infra suas revolutiones absconditur, quanto serpit occultius, tanto gravius dominicam vineam in simplicibus demolitur. Unde Episcopos & omnes domini sacerdotes in illis partibus commorantes invigilare præcipimus, & sub interdictione anathematis prohibere, ne, ubi cogniti fuerint illius hæresis sectatores, receptaculum quisquam eis in [5] sua terra præbere, aut præsidium impertiri præsumat: sed nec in venditione & emptione, aliqua cum eis communio habeatur, ut, solatio humanitatis amisso, ab errore viæ suæ resipiscere compellantur. Quisquis autem contra hæc venire tentaverit, tanquam particeps iniquitatis eorum anathemate feriatur. Illi vero si deprehensi fuerint per catholicos Principes custodiæ mancipati, omnium bonorum amissione multentur. Et quoniam de diversis parti- *Can. 6. IV.*

1. *Deest* forte *in Edd. priorib.* 2. *Antea,* videbatur. 3. A partibus *Edd. priores.* 4. *Antea,* intra. 5. Terra sua *Edd. pr.*

bus [1] in unum latibulum crebro conveniunt, & præter conſenſum erroris nullam cohabitandi cauſam habentes in uno domicilio commorantur: talia conventicula & inveſtigentur attentius, & ſi inventa fuerint, canonica ſeveritate vetentur.

Can 7. III. QUAMVIS grave nimis, & divini animadverſione judicii dignum habeatur, quod Laïci quidam, quod ſacerdotum eſt, in eccleſiaſticis rebus uſurpant: majorem tamen incitat formidinem ac dolorem, quod fomitem ſui erroris in ipſo clero dicuntur [2] aliquotiens invenire, dum quidam fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum aliorumque prælatorum eccleſiæ decimas eis, & eccleſiarum diſpoſitiones indulgent: & in devia eos mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad vitæ viam fuerant revocandi, de quibus Dominus dicit per [3] prophetam, ***peccata populi mei comedunt, & ad iniquitatem provocant animas eorum.*** Unde ſtatuimus, ut quiſquis alicui laïco in ſeculo remanenti eccleſiam decimamve conceſſerit, à ſtatu ſuo tanquam arbor, quæ inutiliter terram occupat, ſuccidatur, & donec [4] emendetur, ruinæ ſuæ jaceat dolore proſtratus.

Can. 8. VIII. NON magnopere antiqui hoſtis invidia infirma eccleſiæ membra præcipitare laborat; ſed manum mittit ad deſiderabilia ejus, & electos quoſque nititur ſupplantare, dicente ſcriptura,

1. *Relege notas ad c.* 13. *hujus libri.* P. 2. Aliquoties *Edd. pr.* 3. *Oſee* 4. P. 4. Emendet *MS. noſter.*

ptura, [1] *Escæ ejus electæ.* Multorum ſiquidem [2] caſum operari ſe reputat, ubi precioſius aliquod membrum eccleſiæ ſua fuerit calliditate detractum. Inde nimirum eſt quod ſe in Angelum lucis more ſolito transfigurans, ſub obtentu languentium fratrum conſulendi corporibus, & eccleſiaſtica negotia fidelius pertractandi, regulares quoſdam ad legendas leges & confectiones phyſicas ponderandas de clauſtris ſuis educit. Unde ne ſub hac occaſione ſpirituales viri mundanis [3] rurſum actionibus involvantur, & in interioribus ex eo ipſi deficiant, ex quo ſe aliis putant in exterioribus providere: de præſentis concilii aſſenſu ſtatuimus, ut nullus omnino poſt votum religionis, poſt factam in aliquo religioſo loco profeſſionem, ad phyſicam, legeſve mundanas legendas permittatur exire. Si vero exierit, & ad clauſtrum ſuum infra duorum menſium ſpatium non redierit, ſicut excommunicatus ab omnibus evitetur, & in nulla cauſa, ſi patrocinium præſtare voluerit, audiatur. Reverſus vero, in choro, in capitulo, in menſa, & ceteris, ultimus fratrum ſemper exiſtat: & (niſi ex miſericordia forte Apoſtolicæ ſedis) totius ſpem promotionis [4] amittat.

---

1. *Job.* 39. *juxta* 70. P. 2. *Antea,* caſu. 3. *Antea,* rurſus. 4. *Sic plane Cod. noſter MS. Neque aliter ipſe Codex Picardi. Quin & ita etiam Ed. Antverpienſis. At mox poſt* amittat *ſequentia ſubtexuit in ſua Edit. Picardus, ex l.* V. *c.* 9. *Decret.* Epiſcopi vero, Abbates, Priores tantæ enormitati conſentientes & non corrigentes, ſpoli-

entur

De ira Regis in venerabilem Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum.

CAP. XVI.

ANNO concilii ejuſdem nondum emenſo, adverſus venerabilem Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum ira Regis Anglorum excanduit, multorum & enormium malorum, quæ ſecuta noſcuntur, infame principium. Sane idem Thomas Lundoniis oriundus, vir acris ingenii & competentis eloquii, vultu & moribus elegans, in efficacia quoque rerum agendarum nulli ſecundus, in obſequio Theobaldi Cantuarienſis Archiepiſcopi præcipuus fuerat, & ab eo Archidiaconatum Cantuarienſem, Rogerio ad Eboracenſis eccleſiæ Pontificatum aſſumpto, acceperat. Cum autem Henricus ſecundus, defuncto Stephano (ut ſuperius [1] expoſitum eſt) regnum hereditarium [2] ſuſcepiſſet, virum coram Regibus ſtare idoneum ſibi deeſſe non paſſus, ſublimitatis regiæ fecit Cancellarium. Quo officio inſignis, tam egregie ſeculo militavit, tanti apud Principem amoris [3] ſimul

entur propriis honoribus, & ab eccleſiæ liminibus arceantur, calumniam, & audaciam temere litigantium condemnando in expenſis, & alio multiplici remedio ſanctio imperialis compeſcit. Quoniam igitur ſacris inſtitutis conſonare dignoſcitur: præcipimus ut de cetero in cauſis pecuniariis victus, victori in expenſis legitimis condemnetur: niſi ſententia pro abſente feratur.

1. Dictum eſt *Edd. priores.* 2. Suſcepit *Ed. Pic.* 3. *Id fuſius narrat Matth. Parkerus in Antiquit. Eccleſiæ Britann.* Pic.

&

& honoris prærogativam obtinuit, ut conregnare videretur. Fluxerant ei anni aliquot in militia ſeculari, cum ecce Eccleſiaſticæ militiæ aſcribitur, & voluntate regia Cantuarienſis eccleſiæ pontificatum ſortitur. Mox tanti honoris quantum eſſet onus, pia & ſagaci conſideratione permetiens, habitu & moribus ita repente mutatur, ut quidam dicerent, *digitus* [1] *eſt hic*: alii autem, *hæc mutatio dexteræ excelſi.* Secundo promotionis ſuæ anno concilio Turonenſi interfuit: ubi (ut dicitur) pontificatum, minus ſincere & canonice, id eſt, per operam manumque regiam, ſuſceptum, pungentis conſcientiæ ſtimulos non ferens, ſecreto in [2] manus Domini Papæ reſignavit. Qui factum approbans, paſtoralem illi ſarcinam Eccleſiaſtica manu rurſus impoſuit, & in homine ſcrupuloſo turbatæ conſcientiæ læſionem ſanavit. Regreſſis à concilio ad proprias ſedes Epiſcopis, [3] regnum & ſacerdotium in Anglia diſceptare cœperunt, & facta eſt turbatio non modica ſuper prærogativa ordinis clericalis. [4] Regi quippe circa curam regni ſatagenti, & malefactores ſine delectu exterminari jubenti, à judicibus intimatum eſt, quod multa contra diſciplinam publicam, ſcilicet furta, rapinæ, homicidia, à clericis ſæpius committerentur, ad quos ſcilicet

1. Dei *addit MS. Pic.* Et opinor rectius (*inquit cl. D Rog. Twyſdenus*) non tamen ineſt MSo. quo utor optimæ notæ & fidei. 2. Manu *MS noſter.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur,* regnum. 4. Rege *Edd. pr.*

laïcæ non poſſet juriſdictionis vigor extendi. Denique [1] ipſo audiente declaratum dicitur, pluſquam centum homicidia intra fines Angliæ à clericis ſub regno ejus commiſſa. Quamobrem acri motu turbatus, in ſpiritu vehementi contra malefactores clericos poſuit leges, in quibus utique zelum juſtitiæ publicæ habuit, ſed fervor immoderatior modum exceſſit. Sane hujus immoderationis regiæ noſtri temporis Epiſcopos tantum reſpicit culpa, quantum ab eis proceſſit & cauſa. Cum enim ſacri [2] præcipiant canones, Clericos, non ſolum facinoroſos, id eſt, gravioribus [3] irretitos criminibus, verum etiam leviorum criminum reos, degradari; & tot milia talium, tanquam innumeras inter pauca grana paleas, Eccleſia [4] Anglicana contineat; quantos à multis retro annis clericos in Anglia contigit officio privari? Nempe Epiſcopi, dum defendendis magis clericorum libertatibus vel dignitatibus, quam eorum vitiis corrigendis reſecandiſque invigilant, arbitrantur obſequium ſe præſtare Deo & Eccleſiæ ſi facinoroſos clericos, quos pro officii debito, canonicæ vigore cenſuræ, coërcere vel nolunt, vel negligunt, contra publicam tueantur diſciplinam. Unde clerici, qui in ſortem Domini vocati tanquam ſtellæ in

1. *Huc refer c.* 22, 23. *l.* 1. *vitæ S. Thomæ, dictæ hiſtor. quadripartitæ.* Pic. 2. *Antea,* præcipiunt. 3. Hæreticos *pro* irretitos *in Ed. Antv.* 4. *Antea,* Anglica.

firma-

firmamento cœli positæ, vita & verbo lucere [1] deberent super terram, habentes per impunitatem agendi quodcunque libuerit licentiam & libertatem, neque Deum, cujus judicium tardare videtur, neque homines potestatem habentes reverentur; cum & Episcopalis circa eos sollicitudo sit languida, & seculari eos jurisdictioni sacri eximat ordinis prærogativa. Cum ergo memoratus Princeps in paleas sacri ordinis, [2] id est, facinorosos clericos vel discutiendos vel puniendos nova quædam statuta fecisset, in quibus (ut dictum est) modum non tenuit: ita [3] ea demum credidit fore rata, si episcoporum essent consensu roborata. Convocatis ergo ad eliciendum quocunque modo consensum Episcopis, ita omnes usque ad unum vel pellexit blanditiis vel infregit terroribus ut regiæ voluntati cedendum parendumque putarent, & novarum legum illarum conscriptioni propria sigilla apponerent. Usque ad unum dico. nam solus Cantuariensis Archiepiscopus flexus non est, sed ad omnem impulsum stetit immobilis. Tunc vero tanto vehementius [4] Regius in eum furor efferbuit, quanto ipse regali magnificentiæ ratione dati & accepti magis obnoxius videbatur. Unde Rex cœpit ei gravis existere, occasionibus eum undecunque exquisitis pulsare, eorum, quæ olim in regno

1. Debent *Ed. Pic.* 2. Et *MS. Pic.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, ut *pro* ea. 4. *Antea*, Regis.

Cancel-

Cancellarius fecerat, rationem expofcere. Ille intrepida libertate refpondit, fe expleta feculari militia Ecclefiæ à Principe cui militaverat abfolute fuiffe dimiffum, nec debere in fe per occafionem magis quam veritatem vetera replicari. Cumque in dies Regii furoris caufæ ingravefcerent, eo die, quo plenius refponfurus erat objectis, folemne illud officium de beato Stephano, fcilicet: *Sederunt Principes, & adverfum me loquebantur, & iniqui perfecuti funt me*, juffit coram fe in celebratione facrificii folemniter decantari. Mox curiam ingreffus eft, crucem argenteam ante fe portari folitam manu propria bajulans. Volentibufque quibufdam Epifcoporum, qui aderant, minifterium portandæ ante Metropolitanum proprium crucis fufcipere, abnuit, nec alium in illo conventu publico crucis bajulum quantumcunque rogatus admifit. [1] Hiis tanquam excandefcentis jam furoris fomitibus rege fupra modum inflammato, fequenti nocte clam profugiens transfretavit; & fufceptus honorifice à Rege, nobilibus, Epifcopifque Francorum, pro tempore ibidem confedit. Rex vero Anglorum in abfentem irrationabiliter [2] fæviens, & plufquam deceret Principem, effrenato furori indulgens: indecora fatis & [3] miferabili ultione omnem ejus propinquitatem Angliæ finibus exturbavit.

1. Iis *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* fævus. 3. Mirabili *Ed. Pic.*

Sane

Sane cum plerique ſoleant in [1] hiis, quos amant & laudant, [2] affectu quidem propenſiori, ſed prudentia parciori, quicquid ab eis geritur, approbare: plane ego in viro illo venerabili, ea, quæ ita ab ipſo acta ſunt, ut nulla exinde proveniret utilitas, ſed fervor tantum accenderetur regius, ex quo tot mala poſtmodum pullulaſſe noſcuntur, laudanda nequaquam cenſuerim, licet ex laudabili zelo proceſſerint: ſicut nec in beatiſſimo Apoſtolorum Principe, arcem jam Apoſtolicæ perfectionis tenente, quod gentes ſuo exemplo Judaïzare coëgit; in quo eum Doctor gentium reprehenſibilem [3] declarat fuiſſe, licet eum conſtet laudabili hoc pietate feciſſe.

De morte [4] Octoviani, & reditu Alexandri Papæ in Italiam.

CAP. XVII.

ALEXANDRO [5] Papa poſt Turonenſe concilium in Galliis commorante, [6] Octovianus (qui & Victor eſt dictus) extrema ſorte devictus, initi certaminis victoria caruit: & nominis, quod tanquam pro omine à ſuis acceperat, fallax præſagium non implevit. Tunc Joannes de Sancto Martino, imperiali favore

1. *Antea*, iis. 2. *Antea*, effectu. 3. *Galat.* 2. P. 4. Octaviani, & de reditu venerabilis Papæ Alexandri in Italiam *Edd.priores.* 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur*, Papa. 6. Octavianus (qui Victor *&c. Edd. priores.*

adjutus, Guidonem Cremenſem collegam ſuum loco devicti Victoris inſtituit, ne victi viderentur. Alexander vero annis aliquot in Galliis demoratus, repatriandi iter arripuit, apud montem Peſſulanum tranſitum in Apuliam [1] opperiens opportunum. Imperator vero non quieſcens, ſecretis (ut dicitur) litteris, & promiſſis ampliſſimis apud [2] Willelmum [3] ejuſdem urbis Dominum agere ſtuduit, ut proderet hoſpitem. At vir memorabilis integræ fidei [4] eſt inventus, & inſignem hoſpitem decentiſſime honoravit. Cumque Cardinales cum multitudine virorum fortium, qui Jeroſolymam properabant, Dromonem [5] hoſpitalis Hieroſolymitani ingreſſi, Dominum Papam mox ſecuturum jactis in alto mari anchoris expectarent: contigit Dromonem à prætereunte claſſe piratica infeſtari. Advehebatur Pontifex ex Triremi ingreſſurus Dromonem: ſed conſpectis circa Dromonem piratis, mox remis retortis in [6] Magalonenſem ſe portum recepit. [7] At viri virtutis qui erant in Dromone, tam viriliter reſtitere Piratis, ut confuſos nec illæſos abigerent. Itaque Dominum Papam non ulterius cum periculo expectandum cenſentes, curſu proſpero fines regni Siculi attigerunt.

---

1. Reperiens *MS. Pic.* 2. Guillelmum *Edd. pr.* 3. *Illum ipſum eſſe ad quem Innoc. 3. reſcriptum exſtat c.* Pervenit *l.* 4. *nihil repugnat.* Pic. 4. Inventus eſt *Edd. priores.* 5. *Vide notas.* P. 6. Magolonenſem *MS. noſter.* 7. At ii, qui erant *in Edd. priorib.* Viri *tamen in ſuo etiam Cod. exſtare teſtatur Picardus.*

Idem

Idem vero Pontifex post dies aliquot in alia navi mari se credidit, & secundis in Apuliam flatibus nullo prorsus obsistente transivit. Susceptusque reverenter à Rege Siculo & quotquot ejus erant ditioni subjecti, cives quoque Romanos cum optimatibus post modicum devotos & subditos habuit. Verum arcta erat via, quæ ex Transalpinis regionibus ad eum ducebat; eo quod Satellites vel [1] Imperatoris vel Pseudo-papæ itinera sollicite observarent. Porro Imperator Ecclesiasticæ pacis diruptor, pace & integritate diu non est gavisus imperii. Cum enim in Longobardos insolentius ageret, illi jugum Alemannicum non ferentes, in libertatem se pristinam receperunt, & restaurato à propriis civibus ex dispersione confluentibus, cum sociarum auxilio civitatum Mediolano: urbem quoque Alexandriam, ex nomine Domini Papæ, cui se devotos esse gaudebant, sic vocatam, apto loco ad excipiendos primos Alemannorum Italiam ingredientium impetus condiderunt. Quam dum Imperator in ipsis ejus primordiis obsidione cinxisset, expugnare non potuit: sed exercitu frustra fatigato discedens, hostium contra se fiduciam auxit.

1. Imperatores *Ed. Antverp. male.*

De secunda expeditione Walensi, & de adquisitione Britanniæ.

CAP. XVIII.

ANNO quo Papa Alexander (ut dictum est) relictis [1] Galliis Apuliam remeavit, orta [2] inter Regem Anglorum & Walenses rediviva simultas, utrique parti res magni negotii fuit. Cum enim eadem gens effrenis & effera, rupto petulanter fœdere, obsidibusque, quos in fidem pactorum dederant, periculo expositis, vicinos Anglorum fines turbarent: Rex immenso tam ex regno quam ex Transmarinis provinciis exercitu adunato, vi magna hostium fines ingressus est. Et quidem propter inextricabiles locorum difficultates non poterat longius progredi: sed tamen eorum frenatis excursibus ita coarctavit inclusos, ut pacem meditari cogerentur. Rex vero ex [3] Walliis reducto exercitu ad alia vocatus negotia, transfretavit, filiorum propensiori opera futuræ promotioni & ditationi prospiciens. Quippe ex [4] Alianore quondam Francorum regina susceptis quatuor filiis, Henricum natu majorem regni Anglici, & Ducatus Normannici, cum Andegavensi Comitatu successorem relinquere, Richardum vero Aquitaniæ, & Gaufridum Britanniæ præficere cogi-

1. Galliis in Apuliam *Edd. priores.* 2. In *MS. noster.* 3. *Antea,* Waliis. 4. Alienora *Edd. priores.*

tabat:

tabat: quartum natu minimum Joannem sine terra [1] agnominans. Tres [2] quoque ex eadem habens filias, unam Regi Hispaniæ, alteram vero Saxoniæ Duci despondit: tertiam, nondum nubilem, Regi Siciliæ suo tempore comparem daturus. Verum quod [3] de præficiendo Britanniæ filio cogitabat, artibus viribusque paulatim præparabat, cum necdum suæ Britanniam ditioni subjugasset. Jam tamen duos in eandem provinciam præparatos habebat ingressus: civitatem scilicet [4] Nammatensem & Castrum Dolense. Contigit autem Conanum [5] Comitem Richemundensem, qui Majori Britanniæ parti dominabatur, in fata concedere, relicta ex sorore Regis Scottorum herede unica filia. Quam Rex innubilem impuberi filio copulans, [6] & omne jus [7] puellulæ in propriam potestatem redegit. Erant autem in Britannia quidam nobiles tantarum opum & virium, ut nullius unquam dignarentur subjacere dominio. [8] Hiis à multis [9] retro annis dominandi libidine, atque impatientia serviendi hostiliter contendentibus, præclara olim [10] regio ita di-

---

1. *Antea,* cognominans. 2. Quidem *pro* quoque *in Edd. priorib.* 3. De *omittunt Edd. priores.* 4. Naminatensem *Edd. priores, quomodo & in suo etiam Cod. legi testatur Picardus, qui tamen* Nannetensem *necessario esse legendum monuit.* 5. Comitem scilicet Richemontensem *Edd. priores.* 6. *Deest* & *in Edd priorib.* 7. Puellæ *Ed. Pic.* 8. His multis *Ed. Pic.* His *quoque in Ed. Antverp.* 9. Annis retro *Edd. priores.* 10. Provincia *Edd. priores. In suo autem Cod.* Regis regio ita *legi testatur Picardus.*

lacerata

lacerata atque attenuata erat, ut in ea ex agris opulentiſſimis vaſtæ ſolitudines viderentur. Cumque à potentioribus inferiores premerentur, Regis Anglorum auxilium expetentes, ejus ſe ditioni ſpontanee ſubdiderunt. Quibus ille prompto animo & profuſis opibus auxilium ſubminiſtrans, ipſos quoque potentes, qui & magnitudine virium, & vix acceſſibilium natura locorum eatenus inexpugnabiles credebantur, ſubegit; ſicque in brevi Britannia tota potitus, [1] turbatoribus vel expulſis vel domitis, eam in cunctis finibus ſuis ita diſpoſuit atque compoſuit, ut, populis in pace agentibus, deſerta paulatim in ubertatem verterentur.

De tranſitu piiſſimi Regis Scottorum Malcolini.

CAP. XIX.

CIRCA hæc tempora Chriſtianiſſimus Rex Scottorum Malcolinus, cujus in præcedenti libro [2] (prout decuit) fecimus mentionem, Chriſto vocante, hominem exuens, Angelis [3] ſociandis regnum non perdidit, ſed mutavit. Hominem Angelicæ ſinceritatis inter homines, & tanquam terrenum quendam angelum (quo dignus non erat mundus) cœleſtes angeli rapuerunt è mundo. Homo in ætate

1. Turbatoribuſque expulſis *Edd. priores.* 2. *Cap.* 25. P. 3. Sociandus *Edd. priores.*

tenera

tenera mirandæ gravitatis, in regni faſtigio atque deliciis [1] ſtupendæ & ſine exemplo puritatis, ex corpore virgineo raptus eſt [2] ad agnum virginis filium, ſecuturus eum quocunque ierit. Raptus eſt plane morte immatura, ne mirandam ejus innocentiam atque mundiciam, cum regnantem juvenem tot in contrarium occaſiones & incentiva impellerent, mutaret malicia temporum. Verum quia mirabili animæ inter virtutum inſignia non deerant [3] ſordiuſculæ ex Regiis deliciis, quas tamen tolerabat magis quam amabat, contractæ: cœlitus emiſſa, non immiſſa viſitatio paterno eum verbere caſtigavit, & excoxit ad purum. Quippe annis ante exitum aliquot ita elanguit, & præter alia incommoda graviſſimis extremitatum, id eſt, capitis & pedum, laboravit doloribus, ut quilibet peccator pœnitens tantis videretur flagellationibus ad liquidum poſſe purgari. Unde manifeſtum eſt, puerum Dei, non tantum ad purgationem, verum etiam ad probationem & incrementa virtutum, vel augmenta meritorum, ſeveritatem paterni verberis fuiſſe expertum. Dormivit ergo cum patribus ſuis, & ſepultus eſt apud [4] Dunfermelin, locum ſcilicet in Scotia ſic dictum, Regum ſepulturis inſignem.

---

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur,* ſtupendæ. 2. Et *pro* ad *in Edd. priorib.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* ſordeculæ, *quam germaniorem eſſe lectionem monuit Picardus. Codices tamen MSS. authenticos ſequi malui.* 4. Dunfremelin *Edd. priores.*

Succeſſit

Successit ei frater ejus [1] Willelmus, [2] fratri quidem, ut videbatur, ad usum mundi aptior, sed in regni administratione [3] fratri felicior non futurus. Mundo, quo frater simpliciter, ideoque pie & laudabiliter uti voluit, non simpliciter ipse [4] uti sed frui intendens, & fratris modum in temporali excellentia multum conatus transcendere, ejus tamen gloriam nunquam potuit vel in temporali felicitate æquare. Nuptiarum bono, cui frater piæ sanctæque præposuit virginitatis optimum, multo quidem tempore uti, vel ad sobolem, vel pro remedio incontinentiæ distulit. Tandem vero salubrioris instinctu consilii de Transmarinis cujusdam Primarii filiam duxit uxorem: & de cetero non solum vixit correctius, verum etiam regnavit felicius.

De vita & morte venerabilis [5] heremitæ Godrici.

CAP. XX.

ISDEM [6] fere temporibus venerabilis heremita Godricus de Finchala (loco scilicet solitario sic dicto) non longe à civitate Dunelmensi super amnem Wirum, annis maturus & meritis, in domino requievit. in quo plane cer-

---

1. *Antea,* Guillelmus. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* fratre. 3. Fratre *Edd. priores.* 4. *Deest* uti *in Edd. priorib.* 5. *Deest* heremitæ *in Edd. priorib.* 6. *Antea,* temporibus fere.

nere

nere erat pium altumque divinitatis beneplacitum, ad confuſionem nobilium & magnorum, ignobilia mundi & contemptibilia eligentis. Cum enim [1] idem eſſet ruſticanus & idiota, nihilque ſciens niſi Chriſtum Jeſum & hunc crucifixum, quod utique quantumlibet [2] obtunſis & rudibus [3] in fidei cunabulis traditur: in ingreſſu adoleſcentiæ fervere cœpit ſpiritu, totiſque hauſit oſſibus ignem, quem Dominus miſit in terram. Denique cælibatum, quem Deo gratum & ſublimis eſſe meriti forte didicerat, devote amplexus; in cibo & potu, in verbo & geſtu, homo ſimpliciſſimus [4] decentem cum gravitate ſervare modum ſtuduit. Velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & in ipſa locutione parciſſimus. Flere cum flentibus doctus, ridere autem cum ridentibus, & jocari cum jocantibus neſcius. Juvenis ſepulchrum dominicum in multa paupertate nudis incedendo pedibus viſitavit, reverſuſque ad propria, locum [5] aptum ubi Deo ſerviret, ſollicite quæſivit. Accepitque in [6] ſomnis (ſicut aiunt) ut locum Finchala dictum quæreret, ibidem Deo volente victurus. Quem tandem poſt multam luſtrationem inveniens, ibidem cum ſorore paupercula primum, & ea defuncta ſolus multo tempore habitavit. Vitæ autem ejus di-

1. *Deeſt* idem *in Edd. priorib.* 2. Obtuſis *Ed. Pic.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur,* in fidei *&c.* cœpit ſpiritu. 4. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* decente. 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* apertum. 6. Somniis *Edd. priores.*

ſtrictio fere ſupra humanum modum fuiſſe perhibetur. Memoratus quidem locus ſilvoſus eſt, ſed modicam habet planiciem: quam ille fodiendo exercens, fructum ab ea annuum, quo utcunque ſuſtentaretur, exigebat: & quantulamcunque poterat advenientibus exinde charitatem exhibebat. Sane Dunelmenſi eccleſiæ mundiſſimæ vitæ merito commendatus, talem ſancti collegii ibidem conſiſtentis circa ſe providentiam meruit, ut ſenior monachus, ad hoc ipſum deputatus, crebro eum viſitaret, tum [1] pro inſtructione ſimplicitatis ruſticæ, tum etiam ut [2] ſacri participatione myſterii certis diebus muniretur. Diu quidem hoſtis antiquus hominem ſimpliciſſimum inſidiando circumvenire tentavit. ubi autem inſidias vidit minus procedere, ſimplicitatem ſaltem præſtigiis curavit illudere. Sed vir Dei hoſtiles & caute vitavit inſidias, & conſtanter ſprevit deriſitque præſtigias, beatiſſimo maxime Joanne Baptiſta, quem ſpecialiter diligebat, crebrius eum viſitante, informante & roborante. Hoc modo uſque ad decrepitam vivens ætatem, paucis ante mortem annis ſenilium defectu membrorum decubuit, & diebus plurimis quantulaſcunque in moribundo corpore vitæ reliquias modico lactis hauſtu ſervavit. [3] Denique illis die-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabatur*, pro. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, participatione ſacri miniſterii. *At in Ed. Antv.* partitione *pro* participatione. 3. *Ita quoque MS. Pic. Antea omittebatur*, denique.

bus

bus videre eum & alloqui merui, in oratorio proprio juxta ſacrum altare jugiter decumbentem. Cumque toto fere corpore quodammodo præmortuus videretur, expedite tamen loquebatur, illa ori ejus familiaria verba, ſcilicet Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ſæpius replicans. In vultu autem ejus mira quædam dignitas & decus inſolitum viſebatur. Tranſiit ergo ſenex & plenus dierum, idemque loci ſpacium ejus [1] nunc tenet corpus, quo vel orans procumbere, vel ægrotus decumbere conſueverat [2] vivus.

---

[3] *De quodam Ketello, & gratia divinitus illi collata.*

CAP. XXI.

FUIT & alius quidam vir [4] venerabilis in noſtra, id eſt, Eboracenſi provincia, apud vicum, Farneham dictum, nomine Ketellus. Homo quidem ruſticanus, ſed innocentiæ & ſimplicitatis merito ſingularem quandam à Domino gratiam conſecutus. De quo ſane plura memorabilia veracium mihi virorum innotuere relatu, è quibus pauca retexam. Idem cum eſſet adoleſcens, quodam die jumento ſedens domum revertebatur ex agro. Et ecce in via plane jumentum tanquam in aliquod offendi-

1. Nunc corpus occupat, quo *Edd. priores.* 2. *Deeſt* vivus *in Edd. priorib.* 3. *V. C. inſcribit* : de uno digno memorari, ſcilicet Katello ruſtico in provincia Eboracenſi. *Pic.* 4. Memorabilis *MS. Pic.*

culum impingens, in terram decidit, & sessorem dejecit. Qui exurgens vidit duos quasi Ethiopes parvulos sedentes in via, & conridentes. Intellexit esse dæmones non amplius permissos nocere, & gaudentes se vel modicum nocuisse. Accepitque tale donum [1] à Deo, ut ab illa die [2] & deinceps dæmones haberet conspicabiles, & quantumcunque [3] latere cuperent, eum latere non possent. Intuebatur eos, ut homines vel in modico læderent oberrantes, & si forte vel modicum læsionis intulissent, exultantes. Denique hujus sibi gratiæ conscius, cœpit Deo devotus existere, orandi studio crebrius secretum captare, esu carnium & lineis abstinere, ecclesiam, quantum [4] vacare poterat, ita frequentare, ut ingrederetur primus & ultimus egrederetur. Cælibatum amplexus de nuptiis non curavit, usque ad finem vitæ in obsequio positus cujusdam Adæ clerici de Farneham. Accepti muneris secretum tenuit, nec suas passim voluit revelare visiones, nisi forte Sacerdoti tanquam confessionis mysterium, aut domino suo, sive alicui sapienti arctius inquirenti. Stabat aliquando [5] præ foribus domini sui circa solis occubitum; viditque decem dæmones, quorum unus major erat, & præesse ceteris videbatur, vicum ingressos. Cumque

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* ex Deo. 2. *Deest* & *in Edd. priorib.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* lædere cup. 4. *Deest* vacare *in Edd. priorib.* 5. Pro *Edd. pr.*

uno

uno in loco ſubſiſterent, & ſecum confabularentur, tanquam ſecreto deliberantes de agendis, major ille cœpit [1] mittere binos per domos. Ipſe autem cum uno fores, ubi ſtabat Ketellus, ingredi voluit. Tum ille, *in nomine*, inquit, *Chriſti interdico vobis januæ hujus* [2] *ingreſſum, & moram in vico iſto: revocate ſocios veſtros, & abite velociter.* Paruere inviti, ſacri nominis adjurationem non ferentes, & ſuas molitiones ab homine animadverſas dolentes. [3] Item vidit aliquando dæmones tranſeuntes cum carro diligenter clauſo, & audiebatur foris gemitus incluſorum; porro illi ridebant. Tum ille ad eos (nam ſolebat impavidus cum hujuſmodi ſpiritibus miſcere ſermonem) quid eſt, inquit, hoc? Et illi, *animas*, inquiunt, *peccatrices deceptas captaſque à nobis ad loca pœnalia ducimus: illæ gemunt, & nos ridemus. Te quoque nobis tradi optamus, ut etiam ſuper te, cum hoſtis noſter ſis, gratulantius redeamus.* Tum ille, *abite*, inquit, *maligniſſimi; riſus veſter in luctum vertatur.* Contigit [4] autem eum aliquando eorundem pene hoſtium ſævitiam experiri. Feſſus ex agrario opere domum reverſus, dum ſomno gravaretur, ſacri ſe ſignaculi nequaquam impreſſione munivit. Dormienti loco ſolito ſoli aſtitere duo dæmones, ſævi nimis atque terribiles, & excitatum apprehendentes; *euge*, inquiunt, *Ketelle*,

1. Binos mittere *Edd. pr.* 2. Ingreſſu *Ed. Pic.* 3. Idem *Edd. pr.* 4. *Deeſt* autem *in Edd. priorib.*

incidiſti

incidisti in manus nostras: infestos sentire habes, quos provocare minime timuisti, quorum mysteria totiens prodidisti. Ille subito casu attonitus, nomen Christi invocare & signare se voluit, nec valuit. Manus [1] enim & lingua ejus tenebantur, ne sacri se vel signi vel nominis munimine [2] regio tueretur. *Noli* (inquiunt) *Ketelle frustra conari: manum linguamque tuam ligavimus, ut nihil tibi adversum nos valeat suffragari.* Cumque ita de illo triumphare viderentur, & malum, quod ei facere cogitabant, verbis minacibus atque insultatoriis prævenirent, repente juvenis splendidus bipennem manu ferens introiit, stansque in medio, bipenni molliter digito tacta sonitum [3] ingentem dedit. Quo sonitu exterriti dæmones, relicto, de quo triumphare cœperant, homine, diffugerunt. Tum accedens juvenis (quem ejusdem hominis [4] Angelum fuisse credo) *Ketelle*, inquit, *negligentia tua pene te periclitari nunc fecit. Cave ne ulterius te inveniant insidiantes tibi hostes inermem.* Dicebat autem idem Ketellus esse quosdam dæmones magnos, robustos & callidos, multumque [5] nocivos si relaxentur à superiori potestate, quosdam vero parvos ac despicabiles, impotentes viribus & sensu hebetes, omnes tamen pro modulo suo infestos hominibus, multumque lætari, si vel parum

1. Enim ejus & lingua tenebantur *Edd. priores.* 2. *Deest* regio *in Edd. priorib.* 3. *Deest* ingentem *in Ed. Pic.* 4. Credo fuisse Angelum *Edd. priores.* 5. *Antea,* nocuos.

illis

illis moleſtiæ inferant. Vidiſſe ſe quoſdam tales ſedentes ſecus vias, & facientes offendicula tranſeuntibus, petulanterque ridentes, cum vel hominem vel [1] jumentum ejus pedes atterere facerent, & maxime ſi homo hoc ipſum jumento imputans, maledicto in jumentum calcaribuſve ſæviret. Porro ſi homo vel modice turbatus nomen ederet Salvatoris (ut eſt quorundam conſuetudo valde laudabilis) triſtes & confuſi fugiebant. Aiebat [2] quoque ſe aliquando domum potationis ingreſſum vidiſſe hujuſmodi dæmones in ſpecie ſimiarum, ſingulos potatoribus ſingulis in ſcapula ſedentes, illiſque potantibus ſpuentes in phialas, hominumque vecordiam petulanti geſtu & ludicris motibus irridentes. Cumque inter potandum preces ex more indicerentur, & nomen Salvatoris inſonaret, exterriti exiliebant, virtutem ſacri nominis non ferentes, ſed mox reſidentibus ad phialas ruſticis, rurſus introibant, ſeſſionem priorem cum motibus ſolitis repetentes. Sane [3] hic, cui tanta divinitus collata eſt gratia in animadvertendis nequam ſpirituum actibus atque inſidiis, annis vitæ ſuæ in multa innocentia & ſinceritate expletis, dormivit in domino, ſepultuſque eſt apud [4] Farneham.

---

1. Jumenti *Ed. Pic.* 2. Se quoque *Edd. pr.* 3. *Deeſt* hic *in Edd. priorib.* 4. Farnaham *MS. noſter.*

De

De diutina vacatione Ecclesiæ Lincolniensis.

CAP. XXII.

1167. ANNO regni Henrici secundi quartodecimo, qui fuit à partu virginis M.C.LXVII. mortuus est Robertus, Ecclesiæ Lincolniensis Antistes, Alexandri successor; redactoque in Fiscum Episcopatu, vacavit pastorali providentia eadem Ecclesia per annos fere decem & septem, id est, ab anno ejusdem Regis quartodecimo usque ad tricesimum, ita ut aliquis [1] in ea ulterius pontificaturus tepide crederetur, maxime propter verbum cujusdam conversi [2] de Tama à decessu prænominati Episcopi constanter pronunciantis, nullum ulterius fore Ecclesiæ Lincolniensis Episcopum. Is enim (ut dicitur) cum propter religiosæ conversationis meritum, & multorum, quæ similiter prædixerat, eventum, spiritu prophetico pollere videretur, à pluribus in fidem receptum est, quod nec in ea re falleretur. At hæc post modicum fides [3] nutare visa est, Gaufrido, Regis filio naturali, in gratiam ejusdem Regis, ad memoratæ Ecclesiæ Pontificatum electo. Cum autem ille amplissimis contentus redditibus, ut liberius vacaret deliciis, canonicæ consecrationis tempus pro-

1. In ea Pontificatus, futurus ulterius tepide *Edd. pr.* 2. *Vide infra l.* III. *c.* 8. 3. *Sic quidem Cod. noster. Neque aliter conjecerat Picardus.* Mutare *antea.*

traheret,

traheret, ovesque dominicas nesciens pascere, & doctus tondere, multo tempore Lincolniensi Ecclesiæ sub electi nomine incubaret, memorati viri verbum in multorum animis ad fidem cœpit reserpere. Quod [1] utique post modicum fortius movit plurimos, cum Rex pœnitentia ductus, quod delicatum juvenem, & tanti honoris apici minus congruentem, carnali affectu ita promovere voluisset, eo tandem ad refutandum [2] jus & nomen electi prudenter inducto, Episcopatum rursus in Fiscum reduxisset. At illius vel pronunciationis, vel opinionis mendacium sequenti est tempore declaratum, ut suo loco narrabitur.

De duabus expeditionibus [3] Amalrici Regis Jerosolymitani in Ægyptum.

CAP. XXIII.

CIRCA idem tempus Amalricus Rex Jerosolymorum invitatus à Rege Babylonis, Christianam militiam duxit in Ægyptum, quæ nunc terra Babylonis vulgo dicitur: non illius sane vetustissimæ Babylonis, de qua [4] scripturæ sacræ [5] loquuntur, quæ prima post diluvium in terra Chaldæorum à Nino & Semiramide condita, plusquam mille annis Orientis obtinuit

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* itaque. 2. *Hac opinor de causa MSS. Tabulæ Lincolniensium Pontificum carent ejus nomine.* Pic. 3. *Deest* Amalrici *in Edd. priorib.* 4. Scriptura sacra loquitur *Edd. priores.* 5. *Genes.* 11. P.

Principatum, & olim diruta, desertaque nunc dicitur; sed cujusdam Ægyptiæ civitatis, cui (ut legitur) Cambises Rex Persarum [1] in subacta Ægypto à se conditæ nomen indidit [2] Babylonis. Hujus autem expeditionis causa hæc fuit. Turci, gens callida & bellicosa, sub Rege Noradino regnum affectantes Ægypti, eo quod Ægyptii opulentia quidem clari, sed armis minus acres viderentur, duce Saracone, Principe militiæ ejusdem Regis, viro in rebus bellicis experientissimo, clandestinum per extremos Christianorum fines transitum arte moliti, Ægyptiis se provinciis immersere, captisque vel deditis in brevi civitatibus aliquot, Regi Babylonis terribiles intolerabilesque fuere. Qui cum videret eos virtute Ægyptia arceri abigique non posse, Regis Christiani Sarracenus postulavit auxilium, multam de cetero devotionem cum certo & annuo pollicens vectigali. Mox ille, ut erat magnanimus, regno disposito, & parte militiæ ad excipiendos Noradini impetus, si forte interim irrumpere niteretur, deputata, cum parte reliqua Christiani exercitus Ægyptum ingressus, junctis sibi Regis Babylonici copiis, Saraconem cum Turcis in quadam civitate obsedit, & tandem coartatos atque infractos Ægypti finibus expulit, concesso in ter-

1. Tò in *omittunt Edd. priores.* 2. *Guillel. Tyr. l.* 29 *c.* 5. *appellat Belbeis: quem huc referes, Jacobumque Vitriac. cap.* 95. *Histor. Orienta. Babylonis autem Ægyptiæ meminit Diodor. Sicul. l.* 1. Pic.

ram

ram ſuam tranſitu libero per fines Chriſtianos. Dum hæc in Ægypto agerentur, Noradinus non quievit, & quietem ſimulans, arte [1] & dolis plus nocuit. Denique quendam ex noſtris laudatæ fidei & fortitudinis virum, cui urbis noſtræ hoſtium finibus oppoſitæ, quæ nunc [2] Belinas dicitur, olim Cæſarea Philippi dicebatur, cura & cuſtodia commiſſa erat, auro corruptum ad ſuas partes traduxit, [3] quo immittente Turci latenter civitatem ingreſſi neminem quidem peremerunt, ſed expulſis cum Epiſcopo Chriſtianis, novo urbem præſidio munierunt. Hujus caſus adverſitas Regis ex Ægypto revertentis animum ſaucians, triumphantis gloriam denigravit. Poſt annos [4] vero aliquot Turcorum fortiores ſævioreſque copiæ non tam dominandi libidine, quam vindicandæ repulſionis ſuæ ſtimulis incitatæ, duce [5] rurſum Saracone regni Ægyptii intima penetrarunt. Ad quorum ingreſſum Babylonici Regis fiducia omnis elanguit, unde mox per legatos [6] verbis ad deprecandum compoſitis Chriſtiani Regis opem ſolitam flagitavit. Qui mox regno cautius diſpoſito, cum peditum equitumque ingentibus copiis Ægyptum ingreſſus, juncto ſibi Ægyptio exercitu Turcos aggredi ſtatuit. Qui

1. Ac *Edd. pr.* 2. Paneas *ad oram exemplaris Ed. Pic. quod mutuo ſumpſi à V. amiciſſimo Richardo Rawlinſono ſcripſit eruditus quidam.* 3. A quo immiſſi Turci *Edd. pr.* 4. *Deeſt* vero *in Edd. pr.* 5. Rurſus *Edd. pr.* 6. *Antea,* urbis ad deprecandum compoſitos.

 [1] aſtute

[1] aſtute belli diſcrimen declinantes, in [2] ſolitudines refugerunt. Perſequentibus eos Chriſtianis, Paſchalis occurrit ſolemnitas. Unde caſtris poſitis ſuper [3] fluvium clariſſimum Nilum, ſacratiſſimæ diei cum gaudio ſolemnia peregerunt. Cumque eis carnium pro ejuſdem diei lætitia modicus eſſet apparatus, de ſupernæ proviſionis beneficio res memorabilis contigit. Sicut enim ab ipſis accepimus qui interfuere, cum Chriſtianus exercitus in caſtris pro ſacræ diei reverentia excubans miniſterio ſacerdotum cibos ſumpſiſſet cœleſtes, repente grex maximus aprorum ſuumque ſilveſtrium ex vicinis locis erumpens paluſtribus caſtra irrupit. Tum viri virtutis gladiis & lanceis pro venabulis uſi quantos voluere non ſolum eſcæ ſtudio, ſed etiam pro deliciis mactavere. Agentes ergo gratias inſperati muneris largitori, ejuſdem gratiſſimæ venationis tantam copiam habuere, ut ex illius diei reliquiis in cibos craſtinos & diei tertiæ jumenta onerarent. Mane profecti perſequendis hoſtibus inſiſtebant. Verum cum pedeſtres copiæ laſſarentur, Rex eiſdem ſubſiſtere juſſis cum equitatu properabat. Quod ubi hoſtilis exercitus dux calidiſſimus comperit, occurrendum ei prœlioque decertandum putavit, certam ſibi de abſentia pedeſtrium turmarum victoriam pollicens, eo quod ipſe equi-

1. Aſtuti *Edd. priores.* 2. *Antea*, ſolitudinem. 3. Flumen Nilum *Edd. pr. Picardus tamen notat* clariſſimum *in ſuo etiam Cod. legi.*

tatu

tatu longe numerosiore præstaret. Itaque commissum est prœlium atrox nimis & cruentum, quod ab hora diei septima protractum est [1] usque in vesperum. Uterque exercitus alacritate simul & numero minoratus, in castra se recepit, amne medio interlabente discreta, cujus vadum Christiani caute præoccupaverant ad transmeandum. Nocte vero Rex Principibus convocatis damna deplorat, majorem exercitus partem abesse causatus, docet bellum à fatigatis & sauciis non debere mane repeti, sed absque strepitu revertendum [2] esse ad socios. Quod cum omnibus placuisset, nocte intempesta cum silentio per viam, qua venerant, abiere. Hoc ipsum & ab hostibus factum est, metu & cautela non dispari. Et Turci quidem in Alexandriam se receperunt. Christianus vero equitatus pedestribus est copiis redditus. Rex autem refecto exercitu [3] auctusque viribus obsedit Alexandriam; qua tandem post multarum experimenta difficultatum per deditionem potitus, Turcos iterum regno Babylonico expulit, & cum ingenti gloria ad propria remeavit.

---

1. *Deest* usque *in Edd. pr.* 2. *Deest* esse *in Edd. pr.* 3. Auctisque *Edd. priores.*

De

De discordia & reconciliatione [1] *Regis Francorum & Regis Anglorum.*

CAP. XXIV.

Anno [2] regni Henrici secundi sextodecimo, ipse & Rex Francorum, cum jam diuscule fuissent discordes, mediantibus viris pacificis, pacis iterum inter se jura firmarunt. Illius autem discordiæ causa hæc fuit. Rege olim Stephano tumultibus Anglicis occupato, Comes Andegavensis invasit obtinuitque Normanniam, præter Gisorcium & duo alia quasi appendentia Castella quæ in potestatem Regis Francorum cesserunt. Hanc juris Normannici diminutionem processu temporis ejusdem Comitis filius, Rex scilicet Anglorum, Henricus secundus non patiens, arte magis quam viribus in hac parte vidit utendum. Denique per virum industrium, Thomam scilicet Cancellarium suum, egit apud Regem Francorum, ut [3] filia ejus ex filia Regis Hispanici, quæ nupserat ei post [4] Alianorem, primogenito suo Henrico daretur in conjugem, munitionibus illis in dotem cedentibus, quæ tamen à Templariis tanquam in sequestro custodirentur, donec

1. Regum Francorum & Anglorum *Edd. priores.* 2. *Deest* regni *in Edd. priorib.* 3. *Nomine Margareta triennis desponsata Henrico septenni anno* 1164. *Non. Novemb. Henrico Pisano & Willelmo Papiensi Cardinalibus & Legatis sacra ministrantibus, inquit Matt. Parkerus in antiquit. ecclesiæ Britan.* Pic. 4. Alienoram *Edd. pr.*

pueri,

pueri, qui nondum per ætatem nuptias contrahere poterant, ſuo tempore nuptialiter convenirent, Rege Anglorum interim utriuſque pueri habente cuſtodiam. Verum idem Rex aliquot annis elapſis productioris moræ impatiens, inter eoſdem pueros nuptias celebravit præmaturas & à Templariis caſtella recepit. Quamobrem ſævientibus Francis, & ipſum quidem prævaricationis, Templarios vero proditionis accuſantibus, ad lites & bella ventum eſt. Sed crebris experimentis [1] edocti, ejuſdem Regis potentiæ vim inferri non poſſe, ira paulatim deferveſcente tandem pactis quibuſdam mediantibus adquieverunt, ut fieret pax, & facta eſt pax: non quidem ſolida, ſed temporalis ut poſtea claruit. Nempe memorati duo Reges nunquam diu inter ſe quieviſſe noſcuntur, populis [2] hinc inde plecti aſſuetis, quicquid illi per ſuperbiam deliraſſent.

De coronatione Henrici tertii, & interfectione beati Thomæ.

CAP. XXV.

ANNO à partu Virginis M.C.LXX. qui fuit 1170.
Regis Henrici ſecundi ſeptimuſdecimus, idem Rex Henricum filium ſuum in ætate te-

1. Edocti, ſe ejuſd. R. pot. vim inferre non poſſe *Edd. priores.*
2. *Reſpexit ad illud Horat. epiſt.* 2. *l.* 1. Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi. *Pic.*

nera

nera fecit ſolemniter conſecrari & coronari in Regem Lundoniis per manum Rogerii Eboracenſis Archiepiſcopi. Nam venerabilis Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, Rege nondum placato (licet Romanus Pontifex & Rex Francorum plurimum circa reconciliationem ejus ſatagerent) adhuc in Galliis exulabat. Qui cum factum audiſſet, pro eccleſia ſua æmulans, Romano Pontifici, cujus favore & ſuffragiis fovebatur, rem celeriter intimavit, idque in ſuum & eccleſiæ ſuæ præjudicium actum eſſe allegans, ad coërcendos, tam Eboracenſem, qui in aliena provincia hoc attentaverat, quam Epiſcopos, qui præſentes aſſenſum præbuerant, magnæ diſtrictionis litteras impetravit. Sane Rex Anglorum tempore modico poſt filii coronationem in Anglia commoratus transfretavit. Cumque crebris Domini Papæ monitis, atque importunis illuſtris Francorum Regis precibus pulſaretur, ut ſaltem jam poſt ſeptennium exilii inſigni illi exuli placari dignaretur, tandem adquievit: & [1] celebrata eſt inter eos ſolemnis, & quanto ſerior tanto optatior gratiorque concordia. Rege [2] igitur in tranſmarinis partibus conſiſtente, idem Archiepiſcopus cum licentia & gratia regia ad Eccleſiam propriam remeabat. Habebat autem penes ſe,

---

1. *Inter Giſorcium Normanniæ oppidulum & Treiam, præſentibus Willelmo Papienſi Presbytero & Odone Diacono Cardinalibus.* Pic. 2. *Antea,* ergo.

Rege

Rege inſcio, litteras domini Papæ contra Eboracenſem & [1] reliquos Epiſcopos, qui illi infauſtiſſimæ coronationi [2] interfuerant, impetratas; factæ jam concordiæ irritatrices, & majoris iræ provocatrices futuras. Has in Angliam ad ſuſpenſionem Epiſcoporum præmiſſas, ipſe ſequebatur zelo juſtitiæ fervidus, utrum autem plene ſecundum ſcientiam, novit Deus. Noſtræ enim parvitati nequaquam conceditur, de tanti viri actibus temere judicare. Puto tamen quod beatiſſimus Papa Gregorius in molli adhuc teneraque Regis concordia mitius egiſſet; & ea, quæ ſine fidei Chriſtianæ periculo tolerari potuiſſent, ratione temporis & [3] compenſatione pacis diſſimulanda duxiſſet, juxta illud Propheticum, [4] *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum eſt.* Itaque quod à venerabili Pontifice tunc actum eſt, nec laudandum eſſe judico, nec vituperare præſumo: ſed dico [5] quia ſi vel modice in hujuſmodi à ſancto viro per zeli laudabilis paulo immoderatiorem impetum eſt exceſſum, hoc ipſum eſt ſacræ, quæ conſecuta noſcitur, igne paſſionis excoctum. Ita quippe ſancti viri vel amandi vel laudandi ſunt à nobis, qui nos illis longe impares eſſe cognoſcimus: ut [6] tamen ea, in quibus homines vel forte fue-

1. Alios *Edd. pr.* 2. *Antea,* interfuerunt. 3. Compoſitione *Ed. Pic.* 4. *Amos* 5. P. 5. *Deeſt* quia *in Edd. priorib.* 6. *Antea,* tantum ea, in quibus, *vel* (*ut Ed. Pic.*) *omiſſo* ea, tantum, in quibus. *Et tamen Picardus ad oram libri teſtatur in ſuo etiam Cod.* tamen *legi.*

runt, vel fuisse noscuntur, nequaquam vel amemus, vel laudemus, sed ea tantum, in quibus eos sine scrupulo imitari debemus. Quis enim dicat eos in omnibus quæ ab ipsis fiunt, esse imitabiles, [1] cum dicat Apostolus Jacobus: *in multis offendimus omnes?* Non ergo in omnibus quæ faciunt, sed sapienter & caute debent laudari, ut sua Deo prærogativa servetur: in cujus utique laudibus nemo potest esse nimius, quantumcunque laudare conetur. Igitur Episcopis pro memorato excessu, (qui utinam pro tempore dissimulatus fuisset) ad instantiam venerabilis Thomæ, Apostolicæ sedis auctoritate ab omni Episcopalis officii dignitate suspensis, Rex quorundam querelis exasperatus infremuit, & turbatus [2] est supra modum, atque in ipso fervore erumpentis furoris parum sui compos, ex abundantia cordis turbidi eructavit verba non sana. Tunc quatuor [3] assistentium Procerum viri genere nobiles, & militiæ actibus clari, æmulando pro Domino temporali inflammati ad facinus: mox egressi sunt à facie ejus, & tanta velocitate transfretantes (ut quasi ad solemnes epulas festinare viderentur) concepti furoris stimulis agitati, quinto natalis Dominici die Cantuariam venerunt, & venerabilem Archiepiscopum religiosa lætitia præclaræ solemnitati intentum ibidem invenerunt.

1. *Desunt* cum d. A. J. in m. o. omnes *in Edd. priorib.* 2. Est *omittunt Edd. priores.* 3. *Vide notas.* P. 4. *Antea,* artibns.

Ingres-

Ingreſſique ad eum jam pranſum & ſedentem cum viris honoratis, ſalutatione non præmiſſa, ſed regii nominis terrore prætento, juſſerunt magis quam petierunt aut monuerunt, ut quoniam Epiſcoporum ſuſpenſio, qui [1] regiæ paruerant voluntati, in ipſius Regis contemptum & contumeliam redundaret, eandem maturius relaxaret. Illo reſpondente, ſuperioris ſententiam à minori poteſtate convelli non poſſe: proinde ſua non intereſſe relaxare, non à ſe, ſed à Pontifice Romano ſuſpenſos, voces ſermonum grandium emittebant. Quibus ille non territus, furentibus granditerque frementibus mira libertate [2] atque fiducia loquebatur. Unde magis accenſi concite egreſſi ſunt, & ſumptis armis (nam ſine armis ingreſſi fuerant) ad atrociſſimum ſe facinus cum ingenti ſtrepitu fremituque præparabant. Suaſum eſt [3] venerando Pontifici [4] à ſuis, ut [5] in ſacram ſe Baſilicam recipiens, inhumane ſævientium rabiem declinaret. Cumque non facile acquieſceret, paratus ad ſubeundum diſcrimen: tandem irrumpentibus atque urgentibus adverſariis, amica ſuorum violentia ad ſacri loci munimina trahebatur. Canebantur à monachis Omnipotenti Deo ſolemniter laudes veſpertinæ, & ipſe venerabile Chriſti templum ingreſſus eſt, ſacri-

---

1. Regis *Edd. priores.* 2. Et *Edd pr.* 3. Venerabili *Edd. priores.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea deſiderabantur,* à ſuis. 5. *Hæc & ſuperiora prolixius enarrantur l. 4. c. 13, & 14. vitæ proceſſuſque ejuſdem S. Tho.* Pic.

ficium vespertinum mox [1] futurus. Insecuti enim satellites diaboli neque sacri ordinis, neque sacri vel loci vel temporis reverentiam, ut Christiani, habuerunt: sed sacerdotem magnum, stantem ad orationem ante venerandum altare, aggressi, in ipsis Christi natalitiis Christiani nequissimi gladiis crudelissime peremerunt. Quo facto, tanquam triumphantes [2] egressi, cum infelici lætitia abierunt. Reputantes autem, ne forte quod actum erat, ei, pro quo æmulati fuerant, displiceret: in Aquilonales Angliæ partes secesserunt, animum erga se Principis plenius pro tempore cognituri. Porro beati [3] Pontificis in conspectu Domini quam preciosa mors fuerit, quantaque facinoris in eum commissi atrocitas ratione & loci & temporis & personæ, signorum sequentium frequentia declaravit. Sane tanti piaculi fama in brevi per omnes fere Latini orbis fines dispersa, illustrem Anglorum Regem infamavit, & præclaram ejus inter Reges Christianos gloriam ita denigravit, ut, quoniam [4] credi vix poterat, illud absque ejus voluntate & mandato fuisse attentatum, fere omnium imprecationibus impeteretur, & publicis insectandus odiis censeretur. Ipse quoque, audito quod à suis actum fuerat, intelligens datam esse maculam in gloriam suam, & vix expiabilem sibi nævum

1. *Sic etiam MS. Pic. Anted,* facturus. 2. *Antea,* ingressi.
3. *Vide Notas.* P. 4. Vix credi *Edd. priores.*

inustum,

inuſtum, ita doluit, ut diebus aliquot perhibeatur nihil guſtaſſe. Sive autem parceret homicidis illis, ſive non, conſiderabat proclives eſſe homines ad male ſentiendum de eo. Nam ſi parceret ſceleratiſſimis, tanti mali auſum vel auctoritatem præſtitiſſe videretur. Si vero in eis plecteret, quod abſque ejus mandato non attentaſſe putabantur, utrobique nequiſſimus diceretur. Idcirco parcendum eis duxit, & tam famæ ſuæ quam illorum ſaluti proſpiciens, ſedi eos Apoſtolicæ ad ſuſcipiendam ſolemnem pœnitentiam præſentari præcepit. Quod & factum eſt. Nam ſtimulante conſcientia Romam profecti, ad agendam pœnitentiam à ſummo Pontifice Jeroſolymam ſunt directi, ubi annis aliquot indictum ſatisfactionis modum non [1] ſegniter (ut dicitur) exequentes, vitam omnes finiere. Sed hoc poſtea. Tum vero idem Rex, dum fere omnes in eum beati viri necem refunderent, & Francorum maxime Principes, qui felicitatis ejus æmuli ſemper extiterant, adverſus eum, tanquam in verum certumque tantæ enormitatis auctorem, ſedem Apoſtolicam inſtigarent, reſponſales Romam direxit, ut precum verecundia ferventem invidiam [2] temperarent. Qui cum Romam veniſſent, cunctis Regem Anglorum execranti-

1. *V. C.* inſigniter. *Sepulti autem fuerunt ante fores templi Hieroſolymitani, cum hoc elogio*: Heic jacent miſeri qui martyriſaverunt B. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, *ut Rog. Hov. in annal. auctor eſt.* Pic. 2. *Antea*, temperaret.

bus

bus ægre admiſſi ſunt. Conſtanter vero allegantes, quod Domini ſui mandato ſive conſenſu tantum facinus non fuiſſet commiſſum: tandem impetraverunt, ut à latere Domini Papæ legati in Gallias cum plenitudine poteſtatis mitterentur, qui, re diligenter inquiſita & cognita, eundem Regem vel ad purgationem famæ ſuæ admitterent, vel reum inventum cenſura eccleſiaſtica coërcerent. Quod & factum eſt. Miſſi enim à ſede Apoſtolica Cardinales [1] duo, venerabilis ſcilicet [2] Albertus, qui poſtea eidem ſedi præfuit, & Theodinus, in Gallias venerunt: factoque in terra Regis Anglorum celebri conventu Eccleſiaſticorum virorum atque nobilium, ejuſdem Principis humiliter ibidem apparentis, & conſtanter aſſerentis, quod ſua neque voluntate neque juſſione illud, quo fama ejus gravabatur, contigerit, & quod de nulla [3] unquam re magis doluerit, purgationem ſolemniter ſuſceperunt. Sane non negavit, homicidas illos ex aliquibus forte verbis ejus incautius prolatis occaſionem auſumque tanti furoris [4] ſumpſiſſe, cum de ſuſpenſione Epiſcoporum accepto nuncio ira immoderatiori abſorptus minus ſobrie loqueretur; & propter hoc, inquit, diſciplinam non refugio Chriſtianam, decernite quod placuerit, devote

---

1. *Sic è Cod. noſtro edidimus. Antea,* duo venerabiles, ſcilicet *&c.* 2. *Ad hunc inſequentemque exſtant Epiſtolæ Arnulphi Lexovienſis.* Pic. 3. Re unquam *Edd. priores.* 4. *Antea,* ſuſcepiſſe.

amplectar,

amplectar, exequarque decretum. Quo dicto, & veste abjecta, juxta morem publice poenitentium, nudum se ecclesiasticæ submisit disciplinæ. Hac tanti Principis humilitate delectati, & præ gaudio lacrimati Cardinales, collacrimantibus & Deum laudantibus plurimis, confortata ejusdem Principis conscientia, & fama minus laborante, solverunt conventum. Successit autem beato Thomæ in cathedra Cantuariensi Richardus Prior Doverensis.

De expugnatione Hiberniensium ab Anglis.

CAP. XXVI.

ISDEM temporibus Angli sub specie militantium Hiberniæ insulæ irrepserunt, eandem postea crescentibus viribus invasuri, & partem ejus non modicam armis subactam possessuri. Est autem Hibernia [1] (ut accepimus) inter insulas secundæ à majori Britannia magnitudinis, sed eadem (ut ait venerabilis Beda) serenitate & salubritate aëris multo præstantior, [2] egregie pabulosa atque piscosa, & glebæ satis uberis, si non desit industria boni cultoris; sed populos habet moribus incultos & barbaros, legum & disciplinæ fere ignaros, in agriculturam desides, & ideo lacte magis quam pane viventes. Hanc autem singularem præ

1. *Vide notas.* P. 2. *Lege c. 4. Giraldi Camb. in Topograph. Hiberniæ.* Pic.

cunctis

cunctis regionibus habet à natura prærogativam & dotem, ut nullum gignat venenatum animal, nullum reptile noxium. [1] Cujus utique certa citaque mors est ad primum Hibernici aëris attactum, si forte aliunde advehatur. Porro quicquid inde advehitur, contra venena valere probatum est. Sane hoc quoque de hac insula mirabile est, quod cum major Britannia, æque Oceani insula, nec spacio longiori sejuncta, tantos bellorum casus experta sit, totiens exteris gentibus præda fuerit, totiens externam dominationem incurrerit, expugnata & possessa primo à Romanis, deinde à Germanis, consequenter à Danis, postremo à Normannis, Hibernia, Romanis etiam Orchadum insularum [2] dominantibus, inaccessa raro & tepide ab [3] ulla unquam gente bello pulsata, nunquam expugnata & subacta est, nunquam externæ subjacuit ditioni, usque ad annum à partu virginis millesimum centesimum septuagesimum primum, qui fuit Regis Anglorum Henrici secundi octavus decimus. Quod enim Britones dicunt eandem insulam suo paruisse Arturo fabulosum est, sicut & cetera quæ de ipso mentiendi libidine petulantia quorundam confinxit. Quomodo autem Hibernici, incidendo in potestatem Re-

1. Quinimo certa citaque mors eorum est, ad p. H. a. attractum: si f. al. advehantur. *Edd. priores. Fatetur tamen Picardus in suo etiam Cod.* advehatur *legi.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* dominium tenentibus. 3. *Antea,* ullo unquam expugnata. *Agnoscit tamen Picardus in suo etiam Cod.* ab ulla unquam gente bello expugnata *legi.*

gis Anglorum, longam & nunquam à ſeculo interruptam, & quaſi ingenitam [1] finierint libertatem, [2] expoſitu facile eſt, cum res ſit recentis memoriæ. Denique mutandi ſtatus illi [3] vel nationi vel regioni hæc fuiſſe occaſio traditur. Hibernia juxta priſcum Angliæ morem in plura ſe regna conſcindens, & conſueta Reges habere plurimos, [4] eiſdem plerumque [5] diſceptantibus diſcerpebatur; & quanto externorum inexpertior erat bellorum, tanto interdum indigenis tanquam propriis viſceribus in mutuam cædem ruentibus miſerabilius eviſcerabatur. Contigit autem [6] quendam Regum terræ illius à finitimis impetitum Regibus coartari nimis, & defectu virium, crudelitatem hoſtium pene experiri. Inito ergo conſilio & miſſo feſtinanter in Angliam filio accerſivit viros militates, & juventutem ſtrenuam, ſpe lucri profuſioris illectam. Quorum ope ſublevatus, primo reſpirare, deinde roborari, poſtremo ſubactis hoſtibus triumphare cœpit. Nec ſuos adjutores abire paſſus eſt, ſed tanta eos largitate donavit, ut obliti populum ſuum & domos patrum ſuorum, ibidem eligerent habitare. Cum autem ferociſſimi totius Hiberniæ populi contra eundem Regem indignari & tumultu-

1. *Antea*, finierunt. 2. Exponere *MS. Pic.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur*, vel nationi vel. 4. *Antea*, iiſdem. 5. *Ita quoque MS. Pic. Antea*, diſcrepantibus. 6. *Scilicet Dermicium principem: cujus adventum ad Henricum Anglorum Regem ſuppetiaſque promiſſas, dicit Girald. c. 1, 2, & 3. Hiberniæ expugnatæ.* Pic.

ari inciperent, quod gentem Anglicam Hiberniæ immisisset, illi metuentes paucitati suæ, accitis ex Anglia viris inopia laborantibus & lucri cupidis vires paulatim auxerunt, & quia nondum habebant Principem, erantque adhuc tanquam oves non habentes Pastorem, [1] accersierunt ex Anglia præficiendum sibi virum nobilem & [2] potentem, Comitem scilicet Richardum. Qui nimirum cum esset magnanimus, & supra vires rei familiaris [3] in expensarum effusione profusus, amplissimis redditibus exinanitis, & exhausto fere patrimonio creditoribus erat supra modum obnoxius; atque ideo proclivius ad majora invitantibus adquievit. Armatorum ergo juvenum plurima validaque manu contracta, in terra juris sui classem transfretaturus in Hiberniam præparabat. Cumque jam solvere pararet, affuerunt qui ex parte Regis transfretationem inhiberent. Ille vero nullius rei, quam in Anglia possidere videbatur, remoratus affectu, nihilominus transfretavit, atque expectantes socios optato lætificavit adventu. Junctis mox copiis aliquid audendum aggrediendumque ratus, quo in posterum barbaris foret terribilis, pervicaci impetu irruit super [4] Divelinum, urbem maritimam, totius

1. Accersiverunt *Edd. pr.* 2. *Sic distinguimus cum MS. nostro. In Edd. pr. non post* potentem, *sed mox post* comitem *ponitur comma.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur,* in exp. effusione. 4. *Sic Hiberni vulgo appellant: Latini Scriptores, Giraldus Cambrensis in Topograph. Hibern. & alibi,* Dublinam: *Saxo Grammat.* Duflynum *sub finem l.* 4. Pic.

Hiberniæ

Hiberniæ Metropolim, portuque celeberrimo in commerciis & commeatibus noſtrarum æmulam Lundoniarum. Qua fortiter celeriterque expugnata & capta, plurimos etiam longius poſitos metu perculſos in fœdus venire coëgit. Inſiſtebat finitimis pertinacius, priſcam tueri nitentibus libertatem, munitiones locis opportunis conſtruens, & dominationem paulatim protendens. Porro quantulamcunque nationis barbaræ gratiam per affinitatem affectans, fœderati Regis filiam uxorem accepit, & partem regni plurimam nomine dotis percepit. Cujus tam fauſti ſucceſſus cum regi innotuiſſent Anglorum, motus quod eo non ſolum inconſulto, ſed etiam inhibente rem tantam fuiſſet aggreſſus, & præclaræ adquiſitionis gloriam illi potius, ut præcellenti, adſcribendam in ſe convertiſſet, omne ejus in Anglia patrimonium fiſco addixit, &, ne quod ex Anglia ſubſidium Hiberniæ inferretur, commeatus navium interdixit. Fortiora quoque comminans, in gratiam maturius redire compulit jam pene regnantem. Itaque extorſit ei [1] famoſiſſimam civitatem Divelinum, & cetera quæ in adquiſitione potiora videbantur: parte vero reliqua cum patrimonio ſuo Anglico [2] integre illi reſtituto, juſſit eſſe contentum. Quibus actis, idem Comes, qui paulo ante, exinanito prodige patrimonio, fere nihil aliud quam nudam nobilitatem

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* nobilem. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* integro.

bilitatem habuerat, Hibernicis Anglicisque opibus inclytus, in multa felicitate agebat, quam tamen post annos aliquot mors immatura [1] corrupit. Plane hoc ipso declaratum est, quam vanum sit quod in homine illo ita evanuit: & quam fallax, quod eundem sibi incumbentem repente elabendo delusit. Ex Hibernicis manubiis, quibus multum inhiaverat, & pro quibus [2] tam multum etiam cum periculo [3] salutis sudaverat, nihil secum hinc abiens homo ille portavit, sed laboriose periculoseque quæsita ingratis relinquens heredibus, salubrem quoque multis ex suo occasu doctrinam reliquit. Rex autem Anglorum post modicum in Hiberniam cum ingenti militia transfretavit, Reges insulæ, qui eatenus rebelles extiterant, adventu ejus pavefactos sine sanguine subjugavit, rebusque pro voto dispositis, eodem anno in Angliam cum salute & gaudio remeavit.

Quomodo Henricus tertius recessit à patre, & [4] commovit contra eum Regem Francorum & alios.

CAP. XXVII.

1173. ANNO à partu virginis M.C.LXXIII. qui fuit Regis Henrici secundi vicesimus, cum idem Rex in Angliam reversus ex Hibernia, in

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, corripuit. 2. Etiam tam multum *Edd. pr.* 3. Sudaverat salutis *Edd. priores.* 4. Commovit eum contra Regem Franciæ (*omissis* & alios) *Edd. priores.*

Nor-

Normanniam post modicum transisset ex Anglia, facta est execrabilis & fœda dissensio inter ipsum & filium ejus Henricum tertium, quem ante biennium, ut superius dictum est, in Regem fecerat solemniter consecrari. Cum enim idem crevisset, & pubes jam factus vellet cum sacramento & nomine rem sacramenti & nominis obtinere, & patri saltem conregnare: cum solus, ut ei à quibusdam insusurrabatur, de jure regnare deberet, quasi eo coronato regnum expirasset paternum, indignans maxime expensas Regie faciendas sibi à patre parcius ministrari; contra patrem intumuit atque infremuit, clamque ad socerum suum Regem Francorum, patri tædium moliturus, profugit. A quo nimirum grate susceptus, non tam quia gener erat, quam quia à genitore desciverat, ejus se in omnibus consilio credidit. Francorum [1] igitur virulentissimis adhortationibus animatus atque instigatus in patrem, quo minus jus violaret naturæ, exemplo [2] non est territus scelestissimi Absalonis. Pater vero filii aversione comperta, & quo profugisset agnoscens, misit ad Regem Francorum viros honoratos cum verbis pacificis, filium paterno jure reposcens; &, si quid circa illum emendandum videretur, ejusdem se Regis consilio mature emendaturum pollicens. Ad [3] hæc ille, Quis mihi, inquit, talia mandat? Rex, aiunt, Anglorum.

1. *Antea*, ergo. 2. *Vide notas*. P. 3. Hoc *Edd. pr.*

rum. Et ille: Falſum eſt, inquit. Rex Anglorum ecce adeſt, per vos mihi [1] nil mandat. Si autem patrem hujus olim Anglorum Regem [2] etiam nunc Regem appellatis, ſcitote, quia ille Rex mortuus eſt. Porro quod adhuc pro Rege ſe gerit, cum Regnum filio, mundo teſte, reſignaverit: mature emendabitur. Sic deluſi reſponſales ad dominum ſuum rediere. Mox idem Henricus junior, Francorum conſilio, malum patri undecunque moliens, partes Aquitaniæ clam adiit, & duos fratres impuberes ibidem cum matre conſiſtentes, Richardum ſcilicet & Gaufridum ſollicitatos, connivente (ut dicitur) matre in Franciam ſecum traduxit. Alteri enim Aquitaniam, alteri Britanniam ſuo tempore poſſidendas pater conceſſerat, & propterea per illum Aquitanos, per hunc vero Britones proclivius ſuis partibus applicandos Francis docentibus intelligebat. Comitem quoque Flandrenſem patris ſui conſobrinum, virum magnarum virium, & innumeræ bellicoſæque, cui præerat, gentis fiducia in immenſum gloriantem, grandibus promiſſis [3] illectum [4] annitente Rege Francorum ſibi adjunxit. Tunc multi potentes & nobiles, tam in Anglia, quam in partibus Tranſmarinis, vel mero odio eatenus diſſimulato impulſi, vel vaniſſimis pollicitationibus ſollicitati, à patre ad filium

1. *Antea,* nihil. 2. *Deſunt* etiam nunc Regem *in MS. Pic.* 3. *Deeſt* illectum *in Edd. priorib.* 4. Annuente *MS. Pic.*

paula-

paulatim cœperunt deficere, & ad motus ſe bellicos modis omnibus præparare. Comes ſcilicet Leiceſtrenſis, Comes Ceſtrenſis, Hugo Bigotus, Radulphus de [1] Fougeriis, aliique complures amplitudine opum & firmitate munitionum terribiles. Multi etiam ſuis rebus viribuſque minus confidentes, ne nil agerent, concedendo in Franciam hoſtilem animum declararunt. [2] Hiis acceſſit hoſtis truculentior Rex Scottorum, immites populos, & neque ſexui, neque ætati parcituros finibus immiſſurus Anglorum. Cum ergo tot tantique Proceres à rege ſeniore deſciviſſent, omneſque contra eum tanquam pro anima ſua gererent: admodum pauci erant, qui ei fideliter & firmiter adhærerent, ceteris circa eum pendule fluitantibus, dum à regis junioris abſorberi victoria ſcrupuloſius formidarent. Tunc demum vidit rex ſenior (ſic enim vulgo dicebatur) quam inconſulte, immo quam ſtulte egerit, præmature creando ſibi ſucceſſorem, minus attendens, quod novarum rerum aucupatores Regem proclivius ſequerentur juniorem. Turbatis ergo rebus anxius, dum hoſtes interni externique urgerent: [3] hiis quoque, qui ſibi adhærere videbantur, in gratiam filii remiſſius agentibus minus ſe credens, ſtipendiarias [4] Bribancionum

1. *Germanius*, Fulgeriis, *ut appendix Sigeb. ipſeque Radulphus in confirmatione cœnobii S. Petri ad oppidum Fulgerius conditi in Armorica Britannia ſub annum* 1160. Pic. 2. His *Edd. pr.* 3. His *Edd. pr.* 4. Brab. *ad oram MS noſtri à manu recentiori. Quod idem valet ac* Brabancionum.

copias,

copias, quas [1] Rutas vocant, accersivit, eo quod de thesauris regiis, quibus in tali articulo parcendum non esset, pecunia copiosa suppeteret.

Qualia contigerunt apud Albemarliam, & Castellum novum, & Vernullium.

CAP. XXVIII.

IGITUR mense Junio, quando solent Reges ad bella procedere, finitimi principes contractis undecunque viribus Regem hostiliter aggrediuntur Anglorum, sub obtentu quidem quasi pro filio æmularentur contra patrem, qua nimirum æmulatione nil stultius, re autem vera proprii vel odii, ut Rex Francorum, vel emolumenti, ut Comes Flandrensis, negotium porrecta occasione agentes. Porro Rex Anglorum ad excipiendos tantorum hostium impetus minus se poterat præparare propter suorum tumultus internos, quibus vehementissime angebatur. Cum ergo propter manum imparem irrumpentibus non posset occurrere, munitiones [2] tamen, quæ erant in terminis, dispertitis præsidiis cautius studuit munire. Itaque Rex Francorum oppidum Vernullium, nullius rei necessariæ ad tolerandam obsidionem diutinam indigum, circumfuso [3] conclusit exercitu, non nisi capto eo vel dedito progressurus. Comes vero Flandrensis cum suis copiis à parte Flandriæ

---

1. Putas *MS. Pic.* 2. Tantum *Edd. pr.* 3. *Antea*, concludit.

irruens,

irruens, obſedit [1] Albemarliam, valido quidem inaniter fultam præſidio: cum ejuſdem oppidi Dominus, Comes ſcilicet Albemarlenſis, [2] circa ſeniorem Regem, ceu multi alii fluctuaret. Qui nimirum pro eo quod oppidum minus oppugnatum cito expugnatum eſt, cum Flandrenſi creditus eſt [3] comite colluſiſſe. A quo captus cum omnibus quos illic Rex cauſa præſidii miſerat, alia quoque caſtella ſua reſignavit. Progredienſque Flandrenſis exercitus ad majora fauſtis animatus principiis, munitionem regiam, quæ [4] Caſtellum novum dicitur, per dies aliquot adhibitis machinis fortiter [5] oppugnavit. Qua tandem dedita, Comes tamen Flandrenſis gaviſus non eſt. Frater namque ejus Matheus, Comes Bononienſis, quo ille tanquam futuro ſucceſſore gaudebat, qui de conjuge propria ſobolem nequaquam ſuſceperat, aut ſperabat, in ejuſdem oppidi oppugnatione ictu ſagittæ circa genu ſaucius, caſu vulneris in pejus vergente decubuit, & poſt dies pauciſſimos inter curandum in fata conceſſit, fratri tantum ex ſuo interitu luctum relinquens, ut ſoluta mox expeditione lugubris ad propria remearet, ſiniſtrum ſibi eventum objectans atque imputans, qui Regem conſobrinum, à quo nunquam læſus, crebro autem beneficiis præventus extite-

1. *Antea*, Albemarlam valido inaniter ful. pr. cum ejus oppidi *Edd. priores.* 2. Contra ſen. *Edd. pr.* 3. *Deeſt* comite *in Edd. pr.* 4. *Vulgo* Neuchaſtel *in tractu Caletenſi, diœceſique Rothomagenſi.* Pic. 5 Expugnavit *Edd. priores.*

rat, causa nequissimi filii hostiliter impetendum duxisset. Quo comperto, considerans idem rex se jam bellicæ sollicitudinis parte dimidia pro tempore liberatum, adversus partem reliquam propensiorem mox sumpsit fiduciam. Convocatis ergo stipendiariis copiis, & quotquot eum in illo articulo non deserendum putabant, denunciavit regi Francorum, qui jam partem [1] æstatis plurimam in prænominati oppidi obsidione consumpserat, eoque mature se potiturum sperabat, ut vel obsidionem desereret, vel ad diem certum discrimen sibi bellicum impendere minime dubitaret. Primum quidem Franci, natura feroces simul & arrogantes, præsertim cum numero & apparatu bellico præstare viderentur, denunciationem derisere, id eum nullatenus ausurum arbitrantes. Verum agnito, quod impavidus cum instructo adventaret exercitu, tunc primum suspicari potuere [2] eum aliquid ausurum. Illico rex eorum accitis festine optimatibus, tractare cum eis cœpit de bello. Missisque obviam regi [3] Anglorum Episcopo & Abbate, qui ab ore ejus acciperent, utrum congressurus accederet: ipse interim pro tempore copias instruebat. [4] Et ecce missi eidem regi [5] occurrunt, qui nescio quid ordinans, seseque cum multa confidentia osten-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, ætatis. 2. Aliquid eum *Edd. pr.*
3. Anglorum uno Episcopo *Edd. priores.* 4. *Deest* & *in Ed. Pic.*
5. *Antea*, occurrerunt.

tans,

tans, armatus cum paucis aliquot ſtadiorum ſpatio exercitum anteibat. Cui cum dicerent, Regem Francorum velle certificari de prœlio; vultu feroci & voce terribili, "Ite (inquit) "[1] dicite Regi veſtro, quia ecce adſum"; cumque feſtinanter reverſi, inſtantis jam de proximo Principis ferociam & obſtinationem indicaſſent: conſilium habuerunt Rex & optimates Francorum, ut pro tempore cederent, & pugnaturi pro hereditate patrum ſuorum impetum declinarent. Itaque caſtris relictis cum tremendis illis copiis in Franciam refugerunt, armati tamen & compoſitis ordinibus, ne fugere viderentur. Sicque [2] illi qui paulo ante ferocibus animis, & grandium rugitu verborum leones videbantur, tanquam lepores cedendo fugiendoque repente inventi ſunt. Porro Rex Anglorum indecora ſuperborum hoſtium fuga contentus, urgere & perſequi noluit [3] abeuntes: ſed exercitu ad hoſtilium direptionem [4] caſtrorum converſo, oppidum cum ſolemni lætitia ſuis, qui ibidem fortiter egerant, congratulaturus intravit. Repertum eſt autem in caſtris frumenti & vini & eſcarum plurimum, cum [5] ſuppellectile varia, quam abeuntes inſtantibus adverſariis aſportare non poterant.

---

1. Et dicite *Edd. priores.* 2. *Deeſt* illi *in Edd. pr.* 3. *Antea*, fugientes. 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea, omittebatur*, caſtrorum. 5. Supellectile *Edd. priores.*

De [1] *hiis qui capti sunt apud* [2] *Dolum.*

CAP. XXIX.

EXTERNIS [3] igitur hostibus, quorum maxima erat potentia, rege scilicet Francorum & Flandrensi Comite, [4] dei voluntate propulsatis, interni minime quievere. Quorum plurimi condicto convenientes & conglobati [5] Dolense oppidum obtinuerunt: quod juris quidem est Britannici, sed Normannicis collimitatur finibus. Quo audito [6] Bribanciones regii mature affuerunt, & congressi cum eis, primo eorum multitudinem in oppidum refugere, mox etiam capto oppido in unius arcis angustias secedere compulerunt. Quibus ita conclusis, res cum summa celeritate defertur ad regem Rothomagi consistentem. Ille cibi somnique oblitus, mutando vehicula, longa terrarum spatia transmeans, tam festinus affuit, ut volasse videretur. Cumque [7] oppugnando arci intenderet, conclusa multitudo angustias illas non ferens, misericordiam imploravit. Pactus ergo eis rex vitam cum integritate membrorum, arce dedita insignem illam captivitatem custodiæ mancipavit. Ibi quippe [8] Comes Cestrensis, & Radulphus de Fougeriis, aliique

1. His *Edd. pr.* 2. *V. C.* Dolnacum. *Sed prior lectio certior. Est enim Dolum urbs episcopalis in Britann. Gallica.* Pic. 3. *Antea,* ergo. 4. *Antea,* divina. 5. Dolum *Edd. priores.* 6. Brab. *MS. noster. V. sup. p.* 199. 7. Oppugnandæ *Edd. pr.* 8. *Illi ipsi sunt de quibus supra cap* 27. Pic.

nobiles

nobiles fere centum, in manus regis, quem atrocissimis fuerant odiis insectati, Dei judicio inciderunt. A quo nimirum multo clementius quam eorum meritis debebatur tractati, pro tempore in vinculis quieverunt. Duo vero prænominati, qui clariores videbantur inter captivos, regi de fidelitate servanda satisfacientes, relaxari meruerunt. In qua re procul dubio tanti Principis in prævaricatores infidelissimos hostesque atrocissimos clementia jure miranda laudandaque censetur.

De obsidione Leicestriæ, & Guerra Regis Scottorum, & captione Comitis Leicestrensis.

CAP. XXX.

DUM in Transmarinis partibus à rege vel circa regem talia gererentur, in Anglia quoque non dissimilia provenerunt. Cum enim Comes Leicestrensis, qui primus à rege defecerat, plurimos petulanti corrupisset exemplo, Richardus de Lusci, qui tunc Angliæ sub Rege præerat, accepto à Rege mandato, & exercitu propere convocato, Leicestriam obsedit: qua dedita & incensa, oppugnationem castelli omittens, eo quod ad urgentiora negotia vocaretur, recessit. Porro Rex Scottorum agnito, quantum Rex Anglorum in Normannia laboraret, cum gentis barbaræ & sitientis sanguinem

nem immaniſſimis copiis Anglorum fines ingreſſus civitatem [1] Cardulienſem obſidione circumdedit, totamque adjacentem provinciam cædibus & rapinis fœdavit. Comperto [2] autem quod ingens ex ſuperiori Anglia exercitus adventaret, obſidionem reliquit, & poſt vaſtam provinciæ, quæ Northumbria dicitur, depopulationem, à facie Procerum noſtrorum in propria ſe recepit. Qui nimirum advenientes cum militaribus copiis amnem Tuedam, quæ regnum Anglicum Scotticumque diſterminat, tranſgreſſi, terræ hoſtili talionem nullo obſiſtente intulerunt. Sed mox ferventibus nunciis ad ſuperiora Angliæ revocantur; Regis tamen hoſtis ferocia neceſſariis pro tempore induciis caute ſuſpenſa, cum eum callida noſtrorum diſſimulatione laterent adhuc quæ nunciabantur. Comes enim Leiceſtrenſis cum claſſe hoſtili ex Flandria apud Orientales Anglos applicuit, ſuſceptuſque à complice proprio, Hugone ſcilicet Bigoto, viro potente & callido, ibidem aliquandiu cum adducto conſedit exercitu. Mox eodem Hugone duce & cooperatore idem exercitus irruens ſuper civitatem Norwicenſem, eandem præſidio vacuam & repentino terrore perſtrictam minimo negotio effregit, ejuſque opibus abraſis, præda onuſtus ad caſtra rediit. Cumque eodem auctore atque in-

1. Carlill *ad oram exemplaris Ed. Pic. mecum à R. Rawlinſono communicati ſcripſit eruditus quiſpiam.* 2. *Deeſt* autem *in Edd. priorib.*

centore

centore insignem vicum maritimum variis opibus [1] refertum, qui dicitur Donewic, similiter irrupturus accederet, habitatorum, qui se ad excipiendum hostilem impetum constanter præparabant, fiducia territus, & nihil adversus hujusmodi audendum ratus, vacuus recessit. Hugo vero ejusdem exercitus, quantum volebat, opera usus, denunciavit Comiti Leicestrensi, ut copias peregrinas quas adduxerat ad terram & castella proprii juris traduceret. Qui nimirum diu multumque hæsitans, eo quod per medios hostium fines, qui ejus dicebantur transitum observare, absque grandi non posset periculo Leicestriam transmeare; tandem confidens de numero & virtute sociorum, (habebat enim equites circiter octoginta electos, [2] & peditum fortium quatuor vel quinque milia;) reputans etiam neminem sibi obstiturum in via, eo quod in eis, qui Regi favere videbantur, amicos haberet plurimos, constanter cum uxore & quodam nobili viro ex Francia, Hugone scilicet de Castello, totisque copiis iter arripuit. Regii autem Proceres apud Sanctum Edmundum cum copiosa militia observabant. Cumque illi prope jam essent, instructum contra eos exercitum produxerunt. Porro illi neque ad dexteram neque ad sinistram declinare valentes, & necessitatem in alacritatem vertentes, turmis dispositis audacter processere. Commissum est

1. *Antea*, refectum. 2. *Deest & in Edd. priorib.*

itaque

itaque prœlium grave, his pro gloria, illis pro ſalute certantibus. Sed victoria conceſſit ad Regios. Captuſque eſt Comes cum conjuge, virilis animi femina, & memorato Hugone de Caſtello, & toto fere equitatu, peditum vero multitudo fere omnis interiit. Inſignes captivi in Normanniam [1] ad Regem ſunt miſſi. de ceteris quoque factum eſt quod voluit.

De David Scotto, & quibuſdam aliis qui à Rege defecerunt.

CAP. XXXI.

SANE cum illà filii contra patrem infilialis veſania fere biennio debacchata [2] noſcatur; primi anni inſigniora geſta ſuperiori ſunt relatione digeſta. Hieme [3] quippe pauliſper à bellicis tumultibus ceſſatum eſt in partibus tranſmarinis; in Anglia vero non ita. Viri enim, qui erant in munitionibus Comitis Leiceſtrenſis, cum propter hoc, quod domino ſuo acciderat, aliquamdiu quieviſſent, rurſus efferati, & tanquam ad Domini ſui ultionem inflammati, aggregata ſibi improborum multitudine, vicinas provincias excurſionibus infeſtare cœperunt. Et ut Principem magni nominis habentes fiducialius agerent, Huntedunienſem Comitem David, fratrem Regis Scottorum,

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* à Rege. 2. *Antea,* dinoſcatur. 3. Quidem paul. *Edd. priores.*

ducem

ducem sibi ac Principem delegerunt. Quo tanquam feliciter debacchante, [1] & prospere procedente ad plurima, Comes quoque [2] Ferrariensis, & vir nobilis [3] Rogerius de [4] Moubrai animum diu dissimulatum declarantes, post defectores ceteros abierunt: vixque sacris Quadragesimæ diebus concepti furoris impetum cohibentes, post solemnitatem Paschalem ad ausus improbos proruperunt. Nec cessabat eo tempore Rex junior optimates Anglorum, qui patri adhærere videbantur, per clandestinas litteras vel promissionibus allicere, vel comminationibus pulsare: ut eos ad suas quocunque modo partes traduceret. Quamobrem tunc in Anglia pauci admodum nobiles fuisse traduntur, qui non circa Regem vacillarent, ab eo [5] pro tempore defecturi, nisi maturius eorum fuisset meditationibus obviatum.

De adventu Regis in Angliam, & qualia Scotti fecerunt [6] in Anglia.

CAP. XXXII.

IGITUR secundo initæ contentionis anno, rursum à magnis hostibus, scilicet Rege Francorum, Comite Flandrensi, Rege Scottorum, bellum adversus seniorem Anglorum Re-

1. Et re prosp. *Edd. priores.* 2. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* Farrariensis. 3. *Conditor cœnobiorum Bellelandæ & Neub. sup. l.* 1. *c.* 15. *& inf. cap.* 32. Pic. 4. Mubrai *Edd. priores.* 5. *Deest* pro *in Ed. Pic.* 6. In Anglia *omittunt Edd. priores.*

gem totis viribus inſtauratur. Et Comes quidem Flandrenſis, fraterni jam oblitus exitii, [1] præ ambitu Anglicanæ provinciæ quæ Cantia dicitur, de qua ſcilicet Regi juniori jam hominium fecerat, cum eodem in Angliam tranſiturus [2] transferendis copiis claſſem parabat. Rex vero Francorum contractum undecunque exercitum invaſurus Normanniam inſtruebat. Quibus cognitis Rex Anglorum ſenior malens ſibi fines [3] ſuos tranſmarinos periclitari quam regnum (quos tamen caute credidit muniendos, prævidebat enim neminem in Anglia ſe abſente, & tanquam non extante, illi, qui ſucceſſurus expectabatur, obſtiturum) præventis hoſtibus cum aliquanto equitatu, & una [4] Bribantionum turma in Angliam mature advehitur. Interea Rex Scottorum cum propriæ gentis infinita barbarie atque accerſitorum ex Flandria ſtipendiariorum equitum peditumque manu non modica fines Anglorum ingreſſus, duas in [5] Weſtmeria munitiones regias, ſcilicet Burgum & Appelbi, præoccupatas & ſine præſidiis inventas obtinuit: indeque digrediens, urbem iterum Cardulienſem oppugnare ſtatuit. Sed cautione à [6] trepidis civibus præſtita, quod ad diem certum civitatem illi traderent, niſi interim à Rege Anglorum ſufficiens ſibi præſidium mitteretur, ad quandam munitionem ſu-

1. Pro *Edd. pr.* 2. *Deeſt* transferendis *in Edd. priorib.* 3. *Deeſt* ſuos *in Edd. pr.* 4. Brab. *ad oram Cod. noſtri.* 5. Weſtmaria *Ed. Pic.* 6. Tepidis *Edd. priores.*

per

per amnem Tinum, quæ dicitur Prudehou, oppugnandam convertit exercitum. Tunc accessit ad eum prædictus Rogerius de [1] Moubrai auxilium flagitans. Duabus quippe munitionibus suis à Gaufrido Regis Anglorum filio naturali, tunc Lincolniensi electo, fortiter expugnatis & captis, tertiam, Tresch vocatam, cum periculo possidebat. Qui nimirum Rogerius Regi Scottorum, in Eboracensem provinciam irruptionem meditanti, jam pridem [2] filii primogenitum obsidem dederat, quod illi assisteret & pareret in omnibus; & ab eo vicissim sponsionem acceperat, quod in quacunque [3] necessitate ejus nequaquam auxilio fraudaretur. Verum idem Rex cum per dies aliquot apud Prudehou casso & suis magis noxio fuisset labore sudatum, audiens Eboracensis provinciæ contra se militiam excitari, Tino transmisso Northumbriæ fines invasit. Corrosum est à Scottis, quibus nulla esca [4] infamis, quicquid vel à canibus mandi potuit; & dum prædæ insisterent, jugulare senes, trucidare parvulos, eviscerare feminas, & hujusmodi quæ horrendum est [5] & dicere, genti inhumanæ & feris plus [6] efferæ voluptas fuit. Immisso [7] igitur miserabili provinciæ immanissimorum prædonum exer-

1. Mubrai *Edd. pr.* 2. Filium *Edd. priores.* 3. *Sic cum MS. nostro distinguimus. Neque aliter Ed. Antverp. At commate mox post* necessitate *utitur Picardus.* 4. Infamis est, quicq. *Edd. pr.* 5. Vel *pro* & *in Edd. priorib.* 6. Efferæ facere voluptas f. *Edd. priores.* 7. Ergo *Edd. priores.*

citu, barbariſque inhumane debacchantibus, Rex ipſe, excubante circa ſe honeſtiori mitiorique ſtipatus militia, vacare videbatur, obſervabatque circa caſtellum firmiſſimum, [1] Alnewich nominatum, ne forte manus ex eo militaris irrumpens, circumquaque graſſantes perturbaret prædones.

De captione Regis Scottorum.

CAP. XXXIII.

REBUS ſe ita circa [2] Aquilonales Angliæ partes habentibus, Eboracenſis provinciæ regii Proceres ingenue indignati, quod Scotti fines Anglicos infeſtarent, apud Caſtellum novum ſuper fluvium Tinum cum equitatu valido convenerunt. Urgente quippe negotio, pedeſtres non poterant copias congregare. Venerunt autem [3] illuc ſexta Sabbati, longo & laborioſo itinere fatigati. Ibi ſane cum in commune tractarent, quid eſſet agendum; prudentiores allegarunt, multùm jam eſſe actum, cum Rex Scottorum adventu eorum præcognito longius receſſerit; ſuæ hoc mediocritati pro tempore debere ſufficere, ſibi non eſſe tutum, nec Regi Anglorum utile ulterius progredi, ne forte paucitatem ſuam devorandam ſicut eſcam panis infinitæ barbarorum multitudini expo-

1. Alnewic *in proximo cap.* 2. Aquilonares *Edd. pr.* 3. Illuc die Sabbati *Edd. priores.*

nere

nere viderentur; ſibi non eſſe pluſquam quadringentos equites, in hoſtili vero exercitu pluſquam [1] octoginta armatorum milia æſtimari. Ad hæc ferventiores [2] reſponderunt, hoſtes nequiſſimos modis omnibus eſſe impetendos, victoriam deſperari non debere, quæ proculdubio juſtitiam ſequeretur. Denique horum ſententia prævalente (quia Deus ſic voluit, ut voluntati magis divinæ, quam [3] potentiæ prudentiæve humanæ, aſcriberetur eventus) [4] viri virtutis, in quibus erant præcipui Robertus de [5] Stutevilla, Ranulphus de [6] Glanvilla, Bernardus de Baliolo, [7] Willelmus de Veſci, nocturna requie pauliſper recreati ſummo mane progreſſi ſunt, tanta velocitate, tanquam propellente vi aliqua, properantes, ut, quod armorum pondere gravatis minus tolerabile videbatur, ante horam quintam viginti quatuor milia paſſuum tranſmearent. Verum dum irent, tam denſa, ut dicitur, eos operuit nebula, ut pene neſcirent quo irent. Tum prudentiores periculoſum iter cauſantes, certum ſibi imminere diſcrimen allegarunt, niſi mox converſi redirent. Ad hoc Bernardus de Baliolo, vir nobilis atque magnanimus, recedat, inquit, qui voluerit, ego autem etiamſi nullus ſequatur, procedam & perpetuam mihi macu-

---

1. Octo armatorum milia *Edd. priores.* 2. Reſpondentes *Edd. pr.* 3. Potentiæ vel humanæ prudentiæ aſcriberetur *Edd. pr.* 4. Viri potentes, *MS. Pic.* 5. Stotevilla *MS. Pic.* 6. Clanvilla *MS. Pic.* 7. Guillelmus *Edd. priores.*

lam

lam non inuram. Cum ergo procederent, ſubito evaneſcente nebula, caſtellum de [1] Alnewic præ oculis habentes, id ſibi tutum fore receptaculum, ſi hoſtes urgerent, læti cenſuerunt. Et ecce Rex Scottorum cum turma equitum circiter ſexaginta aut paulo amplius [2] haut procul in campis patentibus tanquam ſecurus & nihil minus quam noſtrorum irruptionem [3] metuens obſervabat, barbarorum multitudine cum parte equitatus ad prædas late diſperſa. Qui nimirum noſtris conſpectis, primo quidem eos de ſuis à præda redeuntibus eſſe ratus eſt. Sed mox vexillis noſtrorum caute notatis, tunc demum intellexit noſtros jam auſos, quod ipſos nec ſuſpicari potuit eſſe auſuros. Attamen non eſt territus. ſuo quippe tam vaſto quamvis minus conglobato circumvallatus exercitu, concluſam illam paucitatem facile abſorbendam eſſe à circumfuſa multitudine nec ambigere dignabatur. Illico ferociter arma concutiens, [4] ſuoſque verbo ſimul & exemplo accendens, modo, inquit, apparebit quis miles eſſe noverit. Primuſque in hoſtem ſequentibus ceteris irruens, mox à noſtris excipitur, atque interfecto dejectus equo, cum tota fere turma ſua capitur. Nam & qui per fugam evadere [5] potuere, eo capto fugam detrectantes, ut cum eo caperentur, in manus ſe hoſtium ſponte de-

1. *Vide ad finem cap. præcedentis.* 2. Haud *Edd. pr.* 3. Intuens *Edd. priores.* 4. Suoque *Ed. Pic.* 5. Potuerunt *Edd. pr.*

dere.

dere. Quidam etiam nobiles, qui forte tunc aberant, ſed non longe erant, agnito quod acciderat, curſu mox rapidiſſimo affuere, atque in manus hoſtium ingerentes ſe potius quam incidentes, dominico communicare periculo honeſtum duxere. Porro Rogerius de [1] Moubrai, qui ibidem tunc aderat, Rege capto elapſus evaſit, refugitque in Scotiam. Noſtri vero proceres nobilem cum gaudio prædam revehentes, Caſtellum novum, unde mane digreſſi fuerant, [2] veſpere rediere, eamque ad dominum ſuum illuſtrem Anglorum Regem opportune mittendam, apud Richemontem cautiſſime cuſtodiri fecere. Geſtum eſt hoc feliciter Deo propicio anno à plenitudine temporis quo verbum caro factum eſt M.C.LXXIV. tertio Idus Julii, die Sabbati, & mox late vulgatum, atque in cunctis Anglorum provinciis grate ſuſceptum eſt, campanis pro ſolemni lætitia [3] concrepantibus.

Qualia in exercitu & [4] terra Regis Scottorum eo capto provenerunt.

CAP. XXXIV.

REGE igitur Scottorum in manus hoſtium tradito, funeſtiſſimum quoque ejus exercitum perſpicua Dei non permiſit ultio abire

1. Mubrai *Edd. pr.* 2. *Antea,* veſperi. 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* crepantibus. 4. Regis terra *Edd. priores.*

illæ-

illæſum. Regis quippe captione comperta, Barbari primo attoniti à prædis deſtiterunt, mox tanquam furiis agitati ferrum contra hoſtes ſumptum, jamque [1] innoxio ſanguine ebrium in ſeipſos verterunt. Erat autem in eodem exercitu ingens Anglorum numerus. regni enim Scottici oppida & Burgi ab Anglis habitari noſcuntur. Occaſione ergo temporis Scotti innatum, ſed metu regio diſſimulatum, in illos odium declarantes, quotquot incidebant peremerunt, refugientibus in munitiones regias ceteris qui evadere potuerunt. Erant etiam in illo exercitu duo fratres, Gilbertus ſcilicet & Uctredus Galwadenſis provinciæ domini, cum gentis propriæ turma numeroſa. Hi nimirum Ferguſi, olim Principis ejuſdem provinciæ, filii fuerant: & patri in fata concedenti, Rege Scottorum, qui illius terræ principalis eſt dominus, hereditatem inter eos dividente, ſucceſſerant. Verum Gilbertus natu major, paterni juris integritate fraudatum ſe dolens, fratrem ſemper in corde ſuo oderat, cum tamen concepti furoris impetum metus regius cohiberet. Capto autem Rege, liberatus hoc metu, mox fratri nihil verenti manus injecit, & non nece ſimplici, ſed pro exaturando execrabili odio excruciatum ſuppliciis interfecit. Illico fines invadens fraternos, barbaris in barbaros ſævientibus, non modicam hominum ſtragem fecit.

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* innoxio eorum ſanguine.

Erat

Erat autem fratri nefarie interempto filius, nomine [1] Rollandus, acer atque induſtrius adoleſcens, qui, paternis amicis cooperantibus, debacchanti patruo pro viribus reſiſtebat. Eratque totum regnum Scotiæ turbatum, Deo æquiſſime diſponente, atque ea menſura remetiente improbis, qua ipſi menſi fuerant; ſcilicet, ut qui paulo ante gentis innoxiæ quietem turbaverant, & Anglorum ſitierant ſanguinem, ordine pulcherrimo à ſemetipſis reciperent talionem.

De [2] memorabili humilitate Regis Anglorum, & de eo quod conſecutum eſt.

CAP. XXXV.

JAM venerat in Angliam à Normannia Rex Henricus ſecundus, filio cum Flandrenſibus copiis adventuro ſuæ murum præſentiæ objecturus. Recordatus autem quantum in Eccleſiam Cantuarienſem deliquiſſet, eandem mox, ut applicuit, concite adiit, [3] ad ſepulchrum beati Pontificis Thomæ, fuſis ubertim lacrimis, oravit. [4] Ingreſſuſque capitulum monachorum, proſtratus humi humillime veniam poſtulavit, & propriæ petitionis inſtantia, à cunctis per ordinem fratribus virgis eſt vir tantus corpora-

1. *Antea*, Rolandus. 2. *Deeſt* memorabili *in Edd. priorib.* 3. Et ad *Edd. pr.* 4. *Idem ſcribunt magiſter Edvar. c. 26. vitæ S. Thomæ apud Sur. & Scriptores vitæ proceſſuſque ejus l. 4. c. 7.* Pic.

liter caſtigatus. Sequenti vero nocte cuidam venerabili ejuſdem Eccleſiæ monacho ſeniori dictum eſt in ſomnis: *Nonne vidiſti hodie humilitatis Regiæ tam grande miraculum? Scito quod in brevi quantum hæc regia humilitas Regi Regum placuerit, rerum, quæ circa ipſum geruntur, exitus declarabit.* Sane hoc ipſum, viro [1] reverentiſſimo & ſinceriſſimo, [2] Rogerio ſcilicet Abbate Bellelandenſi, referente, cognovi, quod utique ſibi fideli innotuiſſe relatione dicebat, dum forte ipſo tempore in Cantia moraretur. Denique, ipſe [3] qui tangit montes & fumigant, illam montis fumigantis devotionem quanti appenderit, inſigni mox indicio claruit. Quippe ipſa die, atque ipſa (ut dicitur) hora, qua mons ille Cantuariæ fumigavit, hoſtem ejus immaniſſimum, ſcilicet Regem Scottorum, in extremis Angliæ finibus virtus divina peſſundedit; ut merces pii operis non conſecuta ipſum opus, ſed comitata potius videretur, nulluſque ſuper hoc ambigere ſineretur. Idem autem Princeps Cantuaria digreſſus, Lundonias properavit, [4] & præmiſſis adverſus Hugonem Bigotum militaribus copiis, ipſe vena inciſa modicam ibidem moram fecit. Et ecce circa noctem mediam miſſus à Ranulpho de Glanvilla curſor velociſſimus ad januam pulſavit regiam. In-

1. Reverendiſſimo *Edd. priores.* 2. *Auctor huic Rogerio dicavit ſuos in Cantica Cant. comment.* Pic. 3. *Reſpexit Davidem Pſal.* 143. *canentem*: tange montes, & fumigabunt. *Pic.* 4. *Deeſt* & *in Edd. pr.*

crepatus

crepatus à janitore & vigilibus ut taceret, pulſavit inſtantius, dicens in ore ſuo bonum eſſe nuncium, quem modis omnibus oporteret ipſa nocte à Rege audiri. Vicit tandem inſtantis improbitas, præſertim cum bona nunciaturus ſperaretur. Admiſſus [1] ergo intra januam, eodem modo cubicularios quoque vicit Regios. Introductuſque in cubiculum Regium, audacter acceſſit ad lectum Principis, [2] & excitavit quieſcentem. Qui expergefactus, quis, [3] inquit, es tu? & ille: puer, inquit, ſum Ranulphi de Glanvilla fidelis veſtri, à quo miſſus celſitudini veſtræ bonus venio nuncius. Sanus ne eſt, ait, Ranulphus noſter? Et ille, valet, inquit, idem dominus meus, & ecce hoſtem veſtrum [4] Regem Scottorum captum tenet in vinculis apud Richemontem. Rex vero ad hoc ſtupidus, dic, inquit, adhuc. At ille iteravit verbum; Habes ne, ait, litteras? Mox ille protulit litteras [5] ſignatas, rei geſtæ ſeriem continentes. Quibus Rex ſtatim inſpectis, ſtratu exſiliens, quibus potuit motibus [6] ei, qui facit mirabilia ſolus, piis madidas lacrimis gratias egit. Tunc familiares feſtine accitos conſortes gaudii fecit. Mane autem venerunt & alii curſores id ipſum nunciantes, ſed unus, id eſt, qui primus adve-

1. Igitur *Edd. priores.* 2. *Deeſt* & *in Edd. priorib.* 3. Es tu? inquit. *Edd. priores.* 4. Scottorum Regem *Edd. pr.* 5. Signatas Regi, rei *Edd pr.* 6. *Poſt Regis (inquiunt Scriptores S. Tho. proceſſus l.* 4. c. 8.) *humilem peregrinationem ſenſim in dies nec longa mora ciſmarini & tranſmarini rebelles ceciderunt.* Pic.

 nerat,

nerat, bravium accepit. Vulgatum eſt ſtatim verbum bonum, populis ſolemniter acclamantibus, & campanis per totas Lundonias concrepantibus.

De obſidione Rothomagi, & doloſa oppugnatione obſidentium.

CAP. XXXVI.

INTEREA Rex Francorum cum tremendo exercitu Normanniam ab Oriente ingreſſus, qua ſcilicet captis à Comite Flandrenſi caſtellis patere videbatur, Rothomagum ejuſdem provinciæ Metropolim adiit & obſedit. Eſt autem Rothomagum una ex clariſſimis Europæ civitatibus ſita ſuper Sequanam fluvium maximum, per quem eidem civitati multarum regionum commercia invehuntur, eodem flumine ſimul & objectu montium ita munita, ut ab uno exercitu ejus vix tertia pars valeat obſideri. Porro Rex junior & Flandrenſis Comes cum in portu Morinorum, unde breviſſimus eſt in Angliam tranſitus, claſſe parata, vaſtiſſimis vallati copiis transfretandi opportunitatem captarent, cognito, quod Rex ſenior jam in Anglia conſiſteret, eorum procul dubio ferociter impetum excepturus, tranſire in Angliam nequaquam ſibi tutum duxerunt. Itaque mutato conſilio, & toto illo paratæ jam claſſis

classis apparatu irrito, quanti esset negotii Rothomagensis obsidio, & quanti emolumenti ejusdem civitatis irruptio perpendentes, vastas illas atque terribiles copias Rothomagum transtulerunt, & obsidentem exercitum in immensum auxerunt. Verum cum tantus esset exercitus, quantus in Europa ab annis retro plurimis visus non est, ejusdem tamen urbis propter accessus difficiles, partem vix tertiam potuit obsidere. Eratque per pontem fluminis liber vel ex regione in urbem ingressus, vel ex urbe in regionem egressus, & inferebantur urbi abundanter quæcunque necessaria, vidente cominus [1] atque invidente hostili exercitu. Et forte illa [2] *invidia Siculi non invenere tyranni majus tormentum*, cum viri animosi & fortes tota fere die cominus factitari conspicerent, quod impedire non valentes, tam anxie sustinerent. Paratis ad oppugnandam civitatem machinis, totis viribus oppugnationi insistitur, tripharium ad negotium diviso exercitu, & die naturali per [3] octonas horas partito, ut alii aliis, recreati scilicet lassatis per vices succederent, atque ita jugiter oppugnantes, ne modico quidem diei vel noctis spatio murorum defensores respirare permitterent. At id frustra [4] provisum. Cives enim huic molitioni arte & cautela consimili occurrentes, ipsi quoque suum tripharium nu-

1. Et *Edd. priores.* 2. *Horat.* 1. *Epist.* 2. Pic. 3. Octavas *Edd. pr.* 4. Provisum est. Cives *Edd. priores.*

merum

merum diviſerunt, hoſtibuſque oppugnationem [1] per ſucceſſionem continuantibus diſtributione ſui cautiſſima reſpondentes, contra laboris & laſſitudinis intolerantiam, qua ſuffocandi credebantur, competens remedium habuerunt. Cumque per dies plurimos ſumma vi certaretur, & neque hi neque illi in aliquo remiſſius agerent, beati Laurentii dies natalitius ſupervenit. Rex autem Francorum, pro ejuſdem præcipui martyris reverentia, [2] quem ſpecialiter & devotius conſueverat venerari, requiem ipſo die civitati indultam juſſit ſolemniter præconari. Quam gratiam cives grate amplexi, ocio breviſſimo [3] jocundiſſime fruebantur. Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, tum pro diei lætitia, tum etiam ad irritandum hoſtem canoris in civitate vocibus concrepabant: turma vero militaris extra civitatem ſuper ripam fluminis in conſpectu hoſtium haſtiludio exercebatur. Tum Comes Flandrenſis, ut dicitur, Regem adiens, ecce, ait, civitas pro qua [4] jam multum ſudavimus, his intus choros ducentibus, & illis foris ſecure ludentibus, ſponte nobis offertur. Sumat ergo arma in ſilentio exercitus, ſcaliſque repente muro admotis ante civitatem obtinebimus quam in civitatem regredi valeant, qui extra civitatem pro irritatione noſtra [5] luſibus vacant. *Abſit* (inquit Rex:)

1. *Deſunt* per ſucceſſionem *in Edd. pr.* 2. Quam *Edd. pr.* 3. *Antea*, jucundiſſime. 4. *Deeſt* jam *in Edd. priorib.* 5. Ludis *Edd. pr.*

abſit

absit à me honestatem regiam hac macula [1] *denigrare: nosti enim me pro reverentia beatissimi Laurentii diei hujus requiem indulsisse civitati.* Tunc universis qui aderant Proceribus familiari ausu molliciem improperantibus [2] & dicentibus, dolus an virtus quis in hoste requirat? tandem adquievit. Itaque non per vocem tubæ, sive præconis, sed solis ducum susurris exercitus in tentoriis ad irrumpendam præparabatur civitatem. Contigit autem eadem hora per voluntatem Dei in cujusdam intra civitatem ecclesiæ turri præcelsa, ex qua nimirum pulsata campana vetustissima, sed mire sonora, signum civibus dari mos erat, ut hostibus irruentibus ad murum occurrerent, clericos quosdam nescio quid agendo relaxare animum. Quorum forte unus per fenestram prospiciens, [3] circumferensque oculos per exercitum in tentoriis excubantem, insolitum in castris silentium tanquam arcani alicujus conscium primo miratus, mox clandestinum illum de loco altissimo caute notatum [4] animadvertit apparatum. Cumque rem sociis ostendisset: Ruvello (sic enim campana [5] illa dicebatur) [6] pulsato, notissimum illico signum civitati dederunt. Quo audito, totis viribus utrinque festinatum est. Nam & paratus jam exercitus castris erumpens, cum

---

1. Denigrari *Edd. priores.* 2. *Desunt* & dicentibus *in Edd. priorib.* 3. Et circumferens oc. *Edd. priores.* 4. Animadverterit *Edd. priores.* 5. *Deest* illa *in Edd. priorib.* 6. Pulsato notissimo *Edd.* Pic.

[1] scalis

[1] ſcalis tendebat ad murum, & cives inopinato ſtimulati periculo, raptis armis ſpiritu motuque fervido occurrere ſtuduerunt. Illi quoque qui extra urbem exercebantur, mira celeritate affuerunt. Jam hoſtes admotis muro ſcalis murum aſcenderant, jam ſuper murum voces quaſi triumphantium perſonabant: cum ecce fortiter impetuntur & repelluntur à civibus. Conflictus ſuper murum acerrimus geritur, jaculis vacantibus, arma & corpora colliduntur, multus utrinque ſanguis effunditur. Tandem illi qui ſuperbe aſcenderant ſurſum, præcipites abiere retrorſum. Nox prœlium diremit, prævaricator exercitus longe majori clade accepta quam illata confuſius in caſtra rediit, Rex in Flandrenſem Comitem culpam refudit. Sed perſonæ regiæ tam [2] fœdæ prævaricationis macula plus adhæſit. Denique ab illo die, & deinceps, certum eſt, [3] & obſeſſos fiducialius, & obſeſſores deſperatius remiſſiuſque egiſſe.

Quomodo Rex Anglorum pacificavit Angliam, & liberavit Rothomagum.

CAP. XXXVII.

INTEREA rex Henricus ſenior in Anglia conſiſtens, accerſivit præpoſitos caſtellorum Comitis Leiceſtrenſis, quem ſecum ex Normannia

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* ſcutis. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* perfidæ. 3. *Deſunt* & obſeſſos fiducialius *in Edd. priorib.*

mannia vinctum adduxerat, & monuit pro salute domini sui eadem resignare castella, quibus provincias infestabant. [1] Illi vero copiam loquendi cum domino suo postulantes, non impetrarunt: cumque se dicerent non aliter quam pro certa Domini sui relaxatione voluntati regiæ parituros, ille respondit: Nihil super hac re vobis paciscar, sed si feceritis quod volo, bene actum erit. Et sacris (ut dicitur) adhibitis, juravit dicens: Sic me Deus adjuvet, & hæc sacra, quia Comes Leicestrensis non gustabit quidquam, donec de castellis ejus fiat quod volo: vos autem abite maturius. Tunc illi certum citumque domino suo, si ulterius obsisterent, exitium impendere videntes, munitiones illico resignarunt. Comes autem David qui fuerat Princeps eorum, relicto Huntedunensi castello, quod mox regi cessit, trepidus in Scotiam concessit. His regiis successibus territi Hugo Bigotus & Comes Ferrariensis, ipsi quoque cautionibus de pace & fidelitate præstitis in fœdus sponte venerunt. Rebus igitur in Anglia, Deo volente, ad votum dispositis, rex cum ingentibus copiis celeriter transfretavit, ducens secum paulo ante sibi exhibitum regem Scottorum, Comitemque Leicestrensem, aliosque captivos insignes. Populis autem per Normanniam ob celerem & felicem ejus redi-

1. *Sic etiam MS. Pic.* Illis vero copiam loquendi cum domino suo postulantibus: ille respondit. Nihil *&c. tantummodo in Edd. priorib.*

tum exultantibus, Rothomagum in conſpectu hoſtium pompatice ingreſſus eſt. Hoſtes accepto ante dies paucos de captione Regis Scottorum nuncio faucii, ejus quoque ſunt repentino & triumphali ex Anglia reditu ſtupefacti. Attamen in robore multitudinis innumeræ confidentes, in obſidione perſiſtebant. Porro ipſe Walenſium turmam ex Anglia accitam per noctem latenter [1] emiſit, ut ſilvarum opacitate tecti (nam hoc genus hominum agile & ſilvarum gnarum eſt) locis opportunis obſervarent, [2] qua tanto exercitui neceſſaria convehebantur. Hi nimirum captato tempore ſilvis erumpentes commeatum invaſerunt, equitibus, à quibus deducebatur, in fugam actis. [3] & toto illo apparatu peſſundato cum ingenti hominum & jumentorum exitio, in ſilvas ſe receperunt. Tunc vulgatum eſt, ſilvas Walenſibus eſſe refertas, atque ita intercepto commeatu exercitus per biduum inedia laboravit. Hac neceſſitate ſoluta eſt obſidio, & Principes nullam aliam tanti laboris mercedem quam ignominiam reportantes, cum vaſto illo exercitu abierunt, compoſitis tamen ordinibus, [4] ob repellendum periculum, ſi forte hoſtes à tergo urgerent. Ita quicquid in Regem Anglorum ab hoſtibus malitioſe agentibus vel concinnatum eſt, vel attentatum, Deo illi propicio in ejus eſt gloriam commutatum.

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, emiſit ſylvarum opacitate tectam (nam *&c.* 2. *Sic Cod. noſter. Neque aliter Picardus è Cod. ſuo. Antea*, quo. 3. Et *omittunt Edd. pr.* 4. Ad *Edd. pr.*

De

De concordia Regum, & pace regnorum.

CAP. XXXVIII.

CUM ergo eidem Principi in omnibus quæ ab ipso, vel circa ipsum fiebant, propicia arrideret divinitas, hostes ejus [1] tot claris ejus successibus territi & humiliati de pace tractare cœperunt: ipsis reformandæ pacis mediatoribus jam effectis, [2] qui fuerant discordiæ præcipui incentores. Itaque celebri inter partes colloquio habito, exitialis [3] ille rancor Principum & inquietudo provinciarum pariter quieverunt. Comes Flandrensis Regi Anglorum restituit, quod de jure ejus bellicus ei casus contulerat: fidelis de cetero amicitiæ, sive hominii supererogans cautionem. Ingratissimus quoque filius in gratiam patris rediit, non solum obedientiam & reverentiam de cetero filialem sub fidejussoria multorum cautione pollicitus, verum etiam nova contra [4] ingratos & suspectos filios cautela, prudenter exacto & solemniter præstito hominio, patri astrictus. Volebat enim pater, ut, qui fortissimum naturæ vinculum tanquam telam araneæ irreverenter diruperat, saltem jure civili vel gentium ad ho-

1. *Desunt* tot claris ejus *in Edd. priorib.* 2. Qui discordiæ præcipui fuerant incentores *Edd. pr.* 3. *Ita quoque MS. Pic. Antea*, illa simultas Principum. 4. Ingratos, & suspectos filios cautela prudenter exacta, & *Edd. priores.*

neſtum & utile teneretur : & quoniam ſcriptum eſt, [1] *Funiculus triplex difficilè rumpitur*, naturæ violator in lege naturali circa patrem ſervanda, ſaltem contemplatione hominii & duplicis, id eſt, juratoriæ ſimul & fidejuſſoriæ cautionis, perſiſteret, & caveret de cetero, ne ſibi à patre non jam tantum patre, ſed etiam domino de jure diceretur, quod prævaricatrici olim plebi à domino dominorum per Prophetam dictum eſt: [2] *Si pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi dominus* [3] *ego ſum, ubi eſt timor meus?* Fratres quoque impuberes, quos Francorum conſilio patri ſollicitatos ſubtraxerat, ad patrem reduxit; de quibus utique modica fuit quæſtio, cum ætatis beneficio excuſabiles viderentur. Præterea ad inſtantiam Regis Francorum, aliorumque qui aderant Principum, idem illuſtris Rex Anglorum Comitem Leiceſtrenſem, reliquoſque captivos, præter Regem Scottorum, abſolute relaxavit, & relaxatis bona honoreſque reſtituit: in eundem quoque regem ſuo tempore prudenter ſimul & clementer acturus. Proceſſu vero temporis cum eorum, quæ in ſe ab ingratis & infidis commiſſa fuerant, immemor videretur, muros Leiceſtrenſes repente ſubrui, & munitiones omnium, quia à ſe defecerant, complanari præcepit: præcavens ſcilicet in futurum, confringendo cornua ſuperborum, ne quid ſimile occaſione aliqua in poſterum attentarent. Tandem

1. *Eccleſ.* 4. P. 2. *Malac.* 1. P. 3. *Deeſt* ego *in Edd. priorib.*

dem vero [1] etiam regem Scottorum pactis interpositis sub cautela obsidum relaxavit. Veniensque in Angliam, apud [2] Eboracam Metropolim eorundem celebrationem pactorum instituit. Quo cum venisset Optimatum suorum vallatus frequentia, prout condictum erat, occurrit ei rex Scottorum cum universis regni sui nobilibus. Qui omnes in Ecclesia beatissimi Apostolorum Principis regi Anglorum, tanquam principali domino, hominium cum ligiantia, i. solemni cautione standi cum eo, & pro eo contra omnes homines, rege proprio præcipiente fecerunt. Ipse quoque rex Scottorum coram universa multitudine nobilium utriusque regni regem Anglorum modis solennibus dominum suum, seque hominem & fidelem ejus declaravit; eique tria præcipua regni sui munimina, scilicet Rokesburg, Berewic, Castellum puellarum loco obsidum tradidit. Quibus actis, optata populi pace fruebantur; & rex Anglorum tantorum operum atque successuum titulis clarus nominatus est usque ad fines terræ. Bellum [3] igitur plusquam civile inter patrem & filium cum tanto multorum discrimine gestum, hunc finem accepit. Nostræ quoque historiæ liber secundûs hoc exposito finem accipiat.

Explicit liber secundus. Incipiunt capitula libri tertii.

---

1. *Deest* etiam *in Edd. priorib.* 2. Eboracensem *Edd. pr.* 3. Ergo *Edd. priores.*

1. De

1. Et iis *Edd. pr.* 2. Contigerunt *Edd. pr.* 3. *Deeſt* epiſcopi *in Edd. priorib.* 4. Eventis *Edd. pr.* 5. Eſt *omittunt Edd. pr.* 6. In Angliam. De Epiſtola *Ed. Antv.* In Angliam & Epiſtola *Ed. Pic.* 7. Lucii *pro* Domini *in Ed. Pic.* 8. Anglorum Regem *Ed. Pic.* 9. Chriſtianorum *Edd. pr.*

XVIII. Quo-

Expliciunt capitula. Incipit liber tertius.

De Lundoniensi Concilio, & contentione Archiepiscoporum, & inundatione [6] Hoilandiæ.

CAP. I.

ANNO à plenitudine temporis quo [7] veritas de terra orta est, M.C.LXXV. 1175. qui fuit Regis Henrici II. vicesimus [8] secundus, provinciale Concilium Lundoniis celebratum à Richardo Cantuariensi

1. Regis & captione *Edd. pr.* 2. *Deest* cum *in Cod. nostro. Sed exstat ad principium ipsius capituli.* 3. Plurimis nobilibus *Edd. priores.* 4. Item Statuta *Edd. pr.* 5. Guillelmi *Edd. pr.* 6. Hoilandæ *Ed. Antv.* Hollandiæ *Ed. Pic.* 7. *Psal.* 84. P. 8. *Deest* secundus *in Edd. priorib.*

Archi-

Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato, [1] conſidentibus ſuffraganeis, & aliarum eccleſiaſticarum perſonarum cœtu copioſo. Sequenti verò anno Hugo [2] Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legatus, neſcio quid ordinaturus venit in Angliam. Qui cum totius Angliæ generale Concilium celebraturus, favore adjutus regio utriuſque provinciæ, id eſt, Cantuarienſis & Eboracenſis, eccleſiaſticas perſonas Lundonias convocaſſet, ſtatuto Concilii die, cum jam ſumptis inſignibus proceſſurus eſſet, facta eſt contentio vehemens inter ipſos Archiepiſcopos de Prioratu ſeſſionis in Concilio. Quppe illa Apoſtolica regula ([3] *honore invicem prævenientes*) à noſtri temporis Epiſcopis ita eſt abrogata, ut, ſollicitudine paſtorali poſtpoſita, Epiſcopi quanto pervicacius, tanto & vanius de excellentia litigent; & omnis fere epiſcopalis controverſia circa honorum prærogativas verſetur. Denique Eboracenſis maturius adveniens, primam ſedem præoccupavit, eandem ſibi allegans competere ex antiquo beati Gregorii decreto, quo ſtatutum noſcitur, ut Metropolitanorum Angliæ ipſe prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Cantuarienſis vero ſolemniter poſita præoccupatæ ſedis querela, ſecundam ſedem, tanquam paſſus præjudicium, recuſavit. Mox ſubditis ejus ferocius pro ipſo æmulantibus, ſimplex verborum contentio crevit in rixam. Eboracenſis

1. Conſedentibus *Edd. pr.* 2. *Vide Notas.* 3. *Rom.* 12. P.

autem,

autem, quoniam pars adverſa fortior [1] erat, loco præmature occupato, cum contumelia deturbatus, cappam conſciſſam illatæ ſibi violentiæ indicem legato exhibuit, & Cantuarienſem [2] cum quibuſdam ejus ſubditis ad ſedem Apoſtolicam provocavit. Metropolitanis [3] igitur ita contendentibus, rebuſque turbatis, Concilium non celebratum, ſed diſſipatum eſt, & qui tanquam ad Concilium evocati convenerant, rediêre in ſua. Eodem ſane anno, quo memoratus Cardinalis venit in Angliam, Occeanus, tanquam peccatis hominum irritatus, plus ſolito efferbuit, ruptiſque in [4] Hoilandia repagulis, olim contra tempeſtivos undarum impetus præparatis, eandem humilem planamque regionem ſeptimo Idus Januarii violentus irrupit, jumenta fere omnia, hominum vero multitudinem necavit, reliquis aſcenſu vel arborum vel domorum ægre ſalvatis, & quaſi poſt biduum furore ſatiato in ſemetipſum rediit, cujus nimirum idcirco ſupra modum fuit hominibus & jumentis exitialis irruptio, quia tanquam fur everſor nocturnus adveniens prævideri & præcaveri non potuit.

---

1. Erat *omittunt Edd. priores.* 2. *Deſunt* cum quibuſdam ejus ſubditis *in Edd. priorib. Et tamen fatetur Picardus in ſuo etiam Cod. extare* cum quibuſdam ſubditis. 3. *Antea*, ergo. 4. Hoilanda *Edd. pr.*

De reconciliatione domini Papæ & Imperatoris.

CAP. II.

1177. ANNO à partu virginis M.C.LXXVII. Pontificatus autem Domini Papæ Alexandri anno XVIII. [1] Frederici Imperatoris in eundem venerabilem Pontificem inveterata rabies conquievit. Maledictus furor ejus, quia pertinax; & indignatio ejus, quia dura. Benedictus autem Dominus qui tangit montes & fumigant: ipsum enim & pertinacem domuit, & durum mollivit. Siquidem principalibus [2] schismaticis judicio Dei absorptis, [3] Octoviano scilicet, qui Papatum prior invaserat, & Guidone Cremensi, qui ejusdem vesaniæ successor extiterat: cum quidam Joannes Strumensis, tertius continuaret errorem, compunctus tandem Imperator per viros sapientes & nobiles tractare cœpit de pace. Itaque duo magni Principes, sacerdotii scilicet [4] atque imperii, solemniter convenientes, Deo propicio in patrem & filium transierunt nono Calendas Augusti, sicque ecclesia unita est, cunctis jam [5] schismatis auctoribus atque fautoribus extinctis sive compunctis. [6] Nam & ille, qui Octoviano & Guidoni de medio factis schismatici furoris continuator extiterat, confusus & dejectus elanguit, cum favor circa eum

1. *Idem scribunt Guil. Tyr. l. 21. ca. 25. Appendix Sigib.* Pic.
2. Schismatis *Edd. pr.* 3. Octaviano *Edd. pr.* 4 Et *Edd. pr.*
5 Scismaticis *MS. noster.* 6. Nam ille qui Octaviano *Edd. pr.*

impe-

imperatorius expiravit. Quibus feliciter geſtis, Dominus Papa, tanquam poſt tanti temporis ſcandala reſarcitæ [1] unitatis gaudia ſolemniter celebraturus [2], generale Concilium [3] anno pontificatus ſui xx. à partu autem Virginis anno M. LXXIX. quinto Idus Martii Lateranis celebrandum inſtituit; ad quod nimirum totius Latini orbis Epiſcopos cum majoris loci Abbatibus evocavit. Quod autem convocandi concilii intentio ſatis ſincera non [4] fuerit, Romanæ avaritiæ artificioſa proviſio patefecit. Multi enim evocati, quibus iter eundi ad Concilium difficile vel intolerabile videbatur, interventu pecuniæ impudentius turpiuſque exactæ quam præſtitæ, relaxari meruerunt. Sane hujus concilii decreta noſtræ duximus hiſtoriæ inſerenda.

Decreta Lateranenſis Concilii.

CAP. III.

[5] *Canon* I.

LICET de vitanda diſcordia in electione Romani Pontificis manifeſta ſatis à prædeceſſoribus noſtris inſtituta manaverint; quia ſæpe

1. Veritatis *Edd. pr.* 2. *Vide Notas.* 3. *Deeſt* anno *in Edd. priorib.* 4. Fuit *Edd. pr.* 5. *Numeros Canonum cum Picardo adjecimus, quantumvis non exſtent in Cod. noſtro MS. deſintque etiam in Ed. Antverpienſi. Variat ordo in Edd. Conciliorum, quæ conſulas velim. Canones quoſdam titulis inſignivit Picardus, è Conciliorum nimirum Corpore petitis; quos tamen quia deſiderantur in Cod. MS. omittere viſum eſt, uti etiam diſcrepantias vocum in eod. Corpore comparentes, quas ipſorum lectorum diligentiæ commodius eſſe relinquendas cenſuimus.*

[1] poſt illam, per improbæ ambitionis audaciam, gravem paſſa eſt ſciſſuram Eccleſia, nos etiam ad hoc malum evitandum de [2] conſilio fratrum noſtrorum, & ſacri approbatione concilii aliquid decernimus adjungendum. Statuimus ergo, ut ſi fortè [3] inimico homine ſuperſeminante [4] Zizania inter Cardinales de ſubſtituendo Pontifice non potuerit eſſe plena concordia, & duabus partibus concordantibus, tertia pars concordare noluerit, aut ſibi alium præſumpſerit nominare: ille ab univerſa eccleſia [5] recipiatur Epiſcopus, qui à duabus partibus electus fuerit & receptus. Si quis autem de tertiæ partis nominatione confiſus, quia rem non poteſt, nomen · ſibi Epiſcopi uſurpaverit: tam ipſe, quam qui eum receperint excommunicationi ſubjaceant, & totius ſacri ordinis privatione multentur; ita ut viatici etiam eis niſi tantum in ultimis communio denegetur; & niſi reſipuerint [7] cum Dathan & Abiron (quos terra vivos abſorbuit) accipiant portionem. Præterea ſi à paucioribus aliquis quam à duabus [8] partibus electus fuerit ad Apoſtolatus officium, niſi major aſſenſus & concordia interceſſerit, nullatenus aſſumatur, & [9] prædictæ pœnæ ſubjaceat, ſi humiliter noluerit abſtinere. Ex hoc tamen

---

1. Per illam *Ed. Ant.* Poſt illa *Ed. Pic.* 2. Concilio *Ed Pic.* 3. *Deſunt* inimico homine *in Edd. prioribus* 4. *Alluditur ad parabolam Evangelicam Matt.* 13. Pic. 5. Accipiatur *Edd. priores.* 6. Epiſcopi ſibi *Edd pr.* 7. *Num.* 16. P. 8. *Deeſt* partibus *in Edd. priorib.* 9. Dictæ *Edd. pr.*

nullum

nullum Canonicis institutionibus & aliis ecclesiis præjudicium generetur, in quibus majoris & sanioris partis debet sententia prævalere. Quia quod in eis dubium venerit, superioris judicio poterit diffiniri. In Romana vero Curia & ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non potest ad superiorem recursus haberi.

Canon II.

QUOD à prædecessore nostro felicis memoriæ Innocentio factum est innovantes: ordinationes ab [2] Octoviano & Guidone Hæresiarchis, nec non [3] & Joanne Strumensi, qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis ab eis irritas esse censemus. Adjicientes etiam, ut qui dignitates ecclesiasticas seu beneficia per prædictos Schismaticos acceperunt, careant impetratis. Alienationes quoque seu invasiones, quæ per eosdem Schismaticos, sive per laïcos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant [4] firmitate; & ad ecclesiam, sine omni ejus onere, [5] revertantur. Si quis [6] contraire præsumpserit, excommunicationi se noverit subjacere. Illos autem, qui sponte juramentum de tenendo schismate præstiterunt, à sacris ordinibus & dignitatibus decernimus esse suspensos.

---

1. Definiri *Edd. priores.* 2. Octaviano *Edd. priores.* 3. Et à Joanne *Edd. priores.* 4. Infirmitate *Edd. pr.* 5. Vertantur *Edd. pr.* 6. Contra ire, *binis dictionibus, Ed. Pic.*

Canon

Canon III.

CUM in cunctis ſacris ordinibus & eccleſiaſticis miniſteriis & ætatis maturitas, & gravitas morum, & litterarum ſcientia ſit attendenda & quærenda: multo fortius in Epiſcopo hæc oportet inquiri, qui ad curam aliorum in ſe ipſo debet oſtendere, qualiter alios [1] oporteat in domo Domini converſari. Ea propter ne, quod de quibuſdam [2] ex neceſſitate temporis factum eſt,in exemplum trahatur à poſteris: præſenti decreto ſtatuimus, ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam triceſimum annum ætatis impleverit, & de legitimo ſit matrimonio natus, qui etiam vita & ſcientia commendabilis demonſtretur. Cum autem [3] qui electus fuerit, & confirmationem electionis acceperit, & eccleſiaſticorum bonorum adminiſtrationem habuerit, decurſo tempore de conſecrandis Epiſcopis à Canonibus definito, is ad quem ſpectant beneficia quæ habuerat, diſponendi de illis liberam habeat facultatem. Inferiora etiam miniſteria, ut puta Decanatus, Archidiaconatus, & alia quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino ſuſcipiat, ſed nec parochialium eccleſiarum regimen, niſi qui jam viceſimum quintum annum ætatis attigerit, & qui ſcientia & moribus commendandus exiſtat.

1. Oportet *Edd. priores.* 2. *Deeſt* ex *in Edd. priorib.* 3. Quis *Edd. priores.*

existat. Cum vero quis assumptus fuerit, si Archidiaconus vel Decanus & reliqui [1] admoniti non fuerint præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati: & ab illo removeantur officio, & alii [2] conferatur qui & velit & possit illud convenienter implere. Nec prosit ei [3] appellationis diffugium, si forte in transgressione constitutionis istius per appellationem voluerit se tueri. Hoc sane non solum de promovendis, sed de [4] hiis etiam qui jam promoti sunt (si canones non obsistant) præcipimus observandum. Clerici sane si contra formam istam quenquam elegerint, & eligendi tunc potestate privatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se esse suspensos. Dignum est enim, ut quos [5] dei timor à malo non revocat, ecclesiasticæ saltem coërceat severitas disciplinæ. Episcopus etiam, si aut fecerit contra hoc, aut senserit fieri, in conferendis prædictis officiis potestatem suam amittat per Capitulum, aut per Metropolitanum etiamsi Capitulum concordare [6] noluerit.

Canon IV.

SICUT ait beatus Leo Papa: licet Ecclesiastica disciplina, sacerdotali contenta judicio, cruentas effugiat ultiones: catholicorum tamen Principum constitutionibus adjuvatur, ut sæpe

1. Ammoniti *MS. noster.* 2. Conferat *Edd. priores.* 3. Appellatione, si forte *Edd. priores.* 4. *Antea*, his. 5. Domini *Edd. pr.* 6. Voluerit *Edd. pr.*

quærant

quærant homines ſalutare remedium, dum corporale [1] ſuper ſe metuunt judicium, vel ſupplicium evenire. Ea propter quia in Waſconia, Albegeſio, & partibus Toloſanis, & aliis locis ita hæreticorum (quos alii Catharos, alii Publicanos, alii Paterinos, alii aliis nominibus vocant) invaluit damnanda perverſitas, ut jam non in occulto, ſicut alii, nequitiam ſuam exerceant, ſed errorem ſuum publice manifeſtent, & ad conſenſum ſuum ſimplices [2] attrahant & infirmos: eos, & defenſores eorum, & receptores, anathemati decernimus ſubjacere, & ſub anathemate prohibemus, ne quis eos in domo, vel in terra ſua tenere vel fovere, vel negotiationem cum eis exercere præſumat. Si autem in hoc peccato deceſſerint, nec ſub privilegiorum noſtrorum quibuſcunque indultorum obtentu, [3] nec ſub alia quacunque occaſione, aut oblatio pro eis fiat, aut inter Chriſtianos [4] accipiant ſepulturam.

Canon V.

DE [5] Brebantionibus & Arragonenſibus, [6] Navariis, Baſculis & Coterellis, qui tantam in Chriſtianos immanitatem exercent, ut [7] nec eccleſiis nec monaſteriis deferant, nec viduis [8] & pupillis, non pueris aut ſenibus, non cuilibet parcant ætati aut ſexui, ſed more Paganorum

1. Supra *Edd. pr.* 2. Attrahunt *Edd. pr.* 3. Niſi *pro* nec *in Edd. priorib.* 4. Sepulturam accipiant *Edd. pr.* 5. Brebationibus *Edd. pr.* 6. Et Navariis *Edd. pr.* 7. *Deſunt* nec eccl. *in Edd. pr.* 8. Ac *Edd. pr.*

omnia

omnia perdant & vaſtent, ſimiliter conſtituimus, ut ipſi, qui eos conduxerint, vel tenuerint, vel foverint, per regiones, in quibus taliter debacchantur, in dominicis & aliis [1] diebus ſolemnibus in eccleſiis excommunicati publice denuncientur. & eadem omnino ſententia & pœna cum prædictis hæreticis habeantur aſtricti: nec ad communionem recipiantur eccleſiæ, niſi ſocietate illa peſtifera & hæreſi abjuratis. Relaxatos autem ſe noverint à debito fidelitatis, ſeu hominii, aut totius obſequii, donec in tanta iniquitate permanſerint, quicunque illis aliquo pacto tenentur annexi. Cunctis autem fidelibus in remiſſionem peccatorum injungimus, ut tantis cladibus ſe opponant, & contra eos armis tueantur populum Chriſtianum. Confiſcentur quoque bona eorum, & liberum ſit Principibus hujuſmodi peſtilentes homines [2] ſubjicere ſervituti. Qui autem in pœnitentia vera [3] ibi deceſſerint, & peccatorum indulgentiam, & fructum mercedis æternæ ſe non dubitent habituros. Nos etiam de miſericordia Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli auctoritate confiſi, fidelibus Chriſtianis, qui contra eos arma ſuſceperint, & ad Epiſcoporum ſive aliorum Prælatorum conſilium ad eos decertaverint expugnandos, biennium de injuncta pœni-

1. *Deeſt* diebus *in Edd. priorib.* 2. Subicere *MS. noſter.* 3. *Deeſt* ibi *in Edd. priorib.*

tentia relaxamus: aut ſi longiorem ibi moram habuerint, Epiſcoporum diſcretioni, quibus hujus rei cura fuerit injuncta, committimus, ut ad eorum arbitrium, ſecundum modum laboris, major eis indulgentia tribuatur. Illos autem qui [1] admonitioni Epiſcoporum in hujuſmodi parere contempſerint, à perceptione [2] corporis & ſanguinis Domini jubemus fieri alienos. Interim vero eos, qui ardore fidei ad expugnandum eos laborem iſtum aſſumpſerint, ſicut eos, qui ſepulchrum Domini viſitant, ſub eccleſiæ defenſione recipimus; & ab univerſis inquietationibus, tam in rebus, quam in perſonis ſtatuimus manere ſecuros. Si vero quiſquam interim eos moleſtare præſumpſerit, per Epiſcopum loci excommunicationis ſententia feriatur: & tam diu ſententia ab omnibus obſervetur, donec & ablata reddantur, & de illatis injuriis congrue ſatisfiat. Epiſcopi vero ſive Presbyteri, qui talibus fortiter non reſtiterint, officii ſui ſuſpenſione multentur, donec miſericordiam Apoſtolicæ ſedis obtineant.

Canon VI.

NON minus pro illorum peccato qui faciunt, quam pro eorum detrimento qui ſuſtinent, grave nimis eſſe dinoſcitur, quod in diverſis partibus mundi Rectores & Conſules civitatum, necnon & alii qui poteſtatem habere

1. Ammonitioni *Ed. Antv.* 2. Et corporis & Sang. *Ed. Pic.*

videntur,

videntur, tot ecclesiis onera frequenter imponunt, ita gravibus eas & crebris exactionibus premunt, ut deterioris conditionis sub eis factum sacerdotium videatur, quam [1] sub Pharaone fuerit, qui divinæ legis notitiam non habuit. Ille quidem omnibus aliis servituti subactis, sacerdotes suos & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit. Isti vero universa fere onera sua imponunt ecclesiis, & tot angariis ipsas affligunt, ut illud eis, quod Jeremias [2] deplorat, [3] competere videatur; *Princeps provinciarum facta est sub tributo.* Sive fossata, seu expeditiones, [4] sive alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis ecclesiarum & clericorum pauperum Christi usibus deputatis cuncta volunt compleri. Jurisdictionem etiam & auctoritatem Episcoporum & aliorum Prælatorum ita evacuant, ut nil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. Super quo dolendum est [5] pro ecclesiis, dolendum nihilominus [6] & pro ipsis qui timorem Dei & ecclesiastici ordinis reverentiam videntur penitus abjecisse. Quo circa sub anathematis districtione severius prohibemus, ne talia de cetero attemptare præsumant, nisi Episcopus vel Clerus tantam necessitatem & utilitatem inspexerint, ut absque coactione ad relevandas communes necessitates (ubi laïco-

1. *Gen.*47. P. 2. *Thren.* 1. P. 3. Videatur competere *Edd. pr.*
4. Seu *Edd. pr.* 5. *Deest* pro *in Edd. priorib.* 6. *Deest* & *in Edd. pr.*

rum non ſuppetunt facultates) ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem conſules aut alii de cetero iſta commiſerint, & commoniti deſiſtere forte noluerint; tam ipſi quam fautores eorum excommunicationi ſe noverint ſubjacere: nec communioni fidelium reddantur, niſi ſatisfactionem fecerint competentem pœnitentes.

Canon VII.

PRÆTEREA quia in tantum quorundam laïcorum proceſſit audacia, ut Epiſcoporum auctoritate neglecta clericos inſtituant in eccleſiis, & removeant etiam cum voluerint, poſſeſſiones quoque [1] atque alia eccleſiaſtica bona pro ſua plerumque voluntate diſtribuant, & tam eccleſias ipſas, quam homines earum talliis & exactionibus [2] gravari præſumant, eos [3] qui amodo iſta commiſerint anathemate decernimus feriendos. Presbyter autem ſive clericus, qui eccleſiam per laïcos ſine proprii Epiſcopi auctoritate receperit, communione privetur, & ſi perſtiterit, à miniſterio eccleſiaſtico & ordine deponatur.

Canon VIII.

SANE quia laïci [4] quidam Eccleſiaſticas perſonas & ipſos etiam Epiſcopos judicio ſuo ſtare compellunt, eos qui de cetero id præſumpſe-

1. Et *Edd. pr.* 2. Gravare *Edd. pr.* 3. Quia modo *Edd. priores.*
4. Quidem *Edd. priores.*

rint,

rint, à communione fidelium decernimus ſegregandos. Prohibemus inſuper, ne Laïci decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes, in alios laïcos poſſint aliquo modo transferre. Si vero receperint, & eccleſiæ non reddiderint, Chriſtiana ſepultura priventur.

Canon IX.

QUIA in quibuſdam locis fundatores Eccleſiarum, aut heredes eorum, poteſtate in qua eos Eccleſia hucuſque ſuſtinuit, abutuntur; cum in Eccleſia Dei unus debeat eſſe qui præſit, ipſi plures ſine reſpectu ſubjectionis eligere moliuntur, & cum una Eccleſia unius debeat eſſe rectoris, pro ſua diſpenſatione plures repræſentant: Quo circa præſenti decreto ſtatuimus, ut ſi forte in plures partes fundatorum ſe vota diviſerint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurium eligitur & probatur aſſenſu. Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe [1] nequiverit, ordinet Antiſtes Eccleſiam, [2] ſicut melius eam ſecundum Deum viderit ordinandam. Id ipſum etiam faciat, ſi de jure patronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, & cui competat [3] infra tres menſes non fuerit [4] diffinitum.

Canon X.

ITA quorundam animos occupat ſæva cupi-

1. Non poterit *Edd priores.* 2. Prout *in Edd. priorib.* 3. Intra *Edd. pr.* 4. Definitum *Edd. pr.*

ditas,

ditas, ut cum glorientur nomine Chriſtiano, Sarracenis arma, ferrum & lignamina deferant galearum; & pares aut etiam ſuperiores in malitia fiant illis, dum ad impugnandos Chriſtianos arma eis & neceſſaria ſubminiſtrant. Sunt etiam qui pro ſua cupiditate in galeis & piraticis Sarracenorum navibus regimen & curam gubernationis exercent. Tales igitur ab eccleſiæ communione præſciſos, & excommunicationi pro ſua iniquitate ſubjectos, & rerum ſuarum per Principes ſeculi Catholicos, & Conſules civitatum privatione multari, & capientium ſervos (ſi capti fuerint) fore cenſemus. Præcipimus autem, ut per eccleſias maritimarum urbium crebra & ſolemnis in eos fiat excommunicatio. Excommunicationis quoque pœnæ ſubdantur, qui Romanos aut alios Chriſtianos pro negotiatione, vel aliis honeſtis cauſis navigio vectos, aut capere, aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt. Illi etiam, qui Chriſtianos naufragium patientes, quibus ſecundum regulam fidei auxilio eſſe tenentur, damnanda cupiditate rebus ſuis ſpoliare præſumunt, niſi ablata reddiderint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere.

Canon XI.

MONACHI non pretio recipiantur in monaſterio. non peculium permittantur habere. non ſinguli per villas & oppida ſeu quaſcunque parochi-

parochiales ponantur ecclesias: sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant, ne soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent; Salomone dicente: [1] *Ve soli; quia cum ceciderit, non habet sublevantem.* Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros ordines non ascendat. Is autem qui eum receperit, officii privatione multetur. Qui vero peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione commissum, à communione removeatur altaris. & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam. Quod etiam de diversis religiosis præcipimus observari. Abbas autem, qui ista non curaverit, officii sui jacturam se noverit incursurum. Prioratus quoque, seu obedientiæ, pretii datione nulli tradantur. Alioquin dantes & accipientes à ministerio [2] fiant ecclesiastico alieni. Priores autem in conventualibus ecclesiis constituti, nisi pro manifesta & rationabili causa non mutentur, videlicet si dilapidatores fuerint, si incontinenter vixerint, aut tale quid egerint, pro quo amovendi sint merito, aut etiam pro necessitate majoris officii de consilio fratrum fuerint transferendi.

Canon XII.

CUM dicat Apostolus Paulus [3] abundantio-

1. *Eccl.* 4. P. 2. Ecclesiastico fiant *Edd. pr.* 3. 1 *Cor.* 11. P.

rem

rem honorem membris infirmioribus deferendum; [1] è contra quidam, quæ ſua ſunt non quæ Jeſu Chriſti quærentes, leproſos, qui cum ſanis habitare non poſſunt, proprii non permittunt juvari miniſterio ſacerdotis. Quod quia procul à pietate Chriſtiana eſſe dinoſcitur, de benignitate Apoſtolica conſtituimus, ut ubicunque tot ſimul ſub communi vita fuerint congregati, quod eccleſiam cum cœmiterio [2] ſibi conſtituere, & proprio [3] valeant gaudere preſbytero, ſine contradictione aliqua permittantur habere. Caveant [4] tamen ut injurioſi veteribus eccleſiis de jure parochiali nequaquam exiſtant. Quod enim pro pietate eis conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare. Statuimus etiam ut de [5] hortis, & nutrimentis animalium ſuorum decimas tribuere non cogantur.

Canon [6] XIII.

JUDÆI ſive Sarraceni nec ſub alendorum puerorum ſuorum obtentu, nec pro ſervitio vel aliqua alia [7] qualibet cauſa Chriſtiana mancipia in domibus ſuis permittantur habere. Excommunicentur autem qui cum ipſis præſumpſerint habitare. Teſtimonium autem Chriſtianorum adverſus Judæos in omnibus cauſis, cum illi ad-

---

1. *Deeſt* è *in Edd. priorib.* 2 Simul *pro* ſibi *in Edd. pr.* 3. *Deeſt* valeant *in Edd. priorib.* 4. Tamen ne inj. v. e. de j. parochiali exiſtant *Edd. pr.* 5. Ortis *MS noſter. In quo diſtinctio etiam poſt hanc vocem deſideratur.* 6. *Qui tamen in Ed. Antv. cum priore Canone, tanquam parte ejuſdem, continuatur.* 7. *Deeſt* qualibet *in Edd. priorib.*

verſus

verſus Chriſtianos teſtibus ſuis utantur, [1] recipiendum eſſe cenſemus, & anathemate decernimus feriendos, quicunque Judæos Chriſtianis in hac parte præferre præſumpſerint, cum eos Chriſtianis ſubjacere oporteat, & ab eis pro ſola humanitate foveri. Si qui præterea Deo inſpirante ad fidem ſe converterint Chriſtianam, à poſſeſſionibus ſuis nullatenus excludantur, cum melioris conditionis converſos ad fidem eſſe oporteat, quam antequam fidem ſuſciperent habebantur. Si autem ſecus factum fuerit, Principibus ſeu poteſtatibus eorundem locorum ſub pœna excommunicationis injungimus, ut portionem hereditatis & bonorum ſuorum ex integro faciant eis exhiberi.

Canon XIV.

QUIA nonnulli modum avaritiæ non ponentes, & diverſas dignitates eccleſiaſticas, & plures eccleſias parochiales contra ſanctorum canonum inſtituta nituntur adquirere: ita [2] ut cum unum officium vix implere ſufficiant, ſtipendia ſibi vendicent plurimorum, ne id de cetero fiat diſtrictius inhibemus. Cum igitur vel eccleſia vel eccleſiarum miniſterium committi debuerit, talis ad hoc perſona quæratur, [3] qui reſidere in loco, & curam ejus per ſe ipſum valeat exercere. Quod ſi aliter actum fuerit, & qui receperit, quod contra ſacros canones rece-

1. Recipiendos *Ed. Antv. Et ſic quidem MS. noſter.* 2. *Deeſt* ut *in Ed. Pic.* 3. Quæ *Ed. Pic.*

perit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur. Et quia in tantum jam quorundam processit ambitio, ut non duas, vel tres, sed sex, aut plures perhibeantur habere, cum nec duabus possint debitam provisionem impendere: per fratres & coëpiscopos nostros hoc emendari præcipimus, & de multitudine canonibus inimica (quæ dissolutionis materiam & vagationis [1] inducit, & certum continet periculum animarum) eorum, qui in ecclesiis deservire valeant, indigentiam sublevari.

[2] *Canon* XV.

QUIA in omnibus fere locis ita crimen usurarum invaluit, ut multis negotiis aliis prætermissis quasi licite usuras exercere valeant, & qualiter utriusque testamenti pagina condempnentur nequaquam attendant: constituimus, ut usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec Christianam si in hoc peccato decesserint habeant sepulturam, sed nec oblationem eorum quisquam recipiat. Qui autem receperit, aut Christianæ eos tradiderit sepulturæ, & ea quæ accepit reddere compellatur, & donec ad arbitrium sui episcopi satisfecerit, ab officii sui maneat executione suspensus.

---

1. Induxit *Ed. Pic.* 2. *Canones hos omnes sequentes, numero* XIX, *in Edd. prioribus desideratos, è Cod. nostro eruimus.*

Canon

Canon XVI.

CUM in officiis caritatis primo loco illis videamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoſcimus recepiſſe, è contra quidam clerici cum ab eccleſiis ſuis multa bona perceperint, bona per eccleſias adquiſita in alios transferre præſumunt: Hoc igitur quia in antiquis canonibus conſtat eſſe inhibitum, nos etiam nichilominus inhibemus. Integritati itaque eccleſiæ providere volentes, ſive inteſtati deceſſerint ſive aliis conferre voluerint, penes eccleſias eadem bona præcipimus remanere.

Canon XVII.

PRÆTEREA, quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuuntur qui decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate epiſcopalem juriſdictionem exercent: præſenti decreto ſtatuimus, ut qui de cetero id præſumpſerint officio ſuo priventur, & epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.

Canon XVIII.

CUM in cunctis eccleſiis quod pluribus & ſenioribus fratribus viſum fuerit incunctanter debeat obſervari, grave nimis eſt & reprehenſione digniſſimum, quod p̃er quaſdam eccleſias pauci quanquam non tam de ratione quam propria voluntate ordinationem multorum impediunt, & ordinationem eccleſiaſticam procedere

non permittunt. Quo circa præſenti decreto ſtatuimus, ut niſi à paucioribus & inferioribus id rationabile oſtenſum fuerit, appellatione remota prævaleat ſemper & ſuum conſequatur effectum quod à majoris & ſanioris partis conſiliis fuerit conſtitutum: nec conſtitutionem noſtram impediat, ſi forte aliquis ad conſervandam eccleſiæ ſuæ conſuetudinem juramento ſe dicat aſtrictum. Non enim dicenda ſunt juramenta ſed perjuria pocius quæ extra utilitatem eccleſiaſticam & ſanctorum patrum veniunt inſtituta. Si quis autem hujuſmodi conſuetudines quæ non ratione juvantur nec ſacris congruunt inſtitutis jurare præſumpſerit, donec condignam egerit pœnitentiam, à perceptione dominici corporis alienus exiſtat.

Canon XIX.

INNOVAMUS itidem ut Presbyteri, clerici, monachi, peregrini converſi, mercatores, ruſtici, euntes & redeuntes, & in agricultura exiſtentes, & animalia quibus arant, ſive quibus ad agrum ſemina portant, continua ſecuritate lætentur, nec quiſpiam alicubi novas pedagionum exactiones aut ſtatutas de novo tenere, aut veteres augere aliquo modo præſumat. Si quis enim contra hoc venerit & commonitus non deſtiterit, donec ſatisfecerit communione careat Chriſtiana.

Canon

Canon XX.

CUM apoſtolus ſe aut ſuos propriis manibus decreverit exibendos ut locum prædicandi auferret pſeudo-apoſtolis, & illis quibus prædicabat non exiſteret oneroſus, grave nimis & emendatione dignum eſſe dinoſcitur, quod quidam fratrum & coëpiſcoporum noſtrorum ita graves in procurationibus ſubditis ſuis exiſtant, ut pro hujuſmodi cauſa ipſa interdum eccleſiaſtica ornamenta ſubditi exponere cogantur, & longi temporis victum brevis hora conſumat. Quo circa ſtatuimus, quod archiepiſcopi parrochias viſitantes pro diverſitatibus provinciarum & facultatibus eccleſiarum XL. vel L. evectionum numerum, epiſcopi XXX. vel XX. cardinales vero IX. vel XV. nequaquam excedant. Archidiaconi vero V. aut VII. decani autem conſtituti ſub ipſis duobus equis contenti ſubſiſtant. Nec cum canibus venatoriis aut avibus proficiſcantur, ſed ita procedant, ut nunquam quæ ſua ſunt ſed quæ Iheſu Chriſti quærere videantur. Prohibemus igitur ne ſubditos ſuos tailliis & exactionibus gravare præſumant epiſcopi. Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus quæ aliquociens ſuperveniunt, ſi manifeſta & rationabilis cauſa extiterit, ut cum caritate moderatum valeant ex illis auxilium poſtulare. Cum enim dicat apoſtolus, non debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis, multum longe

à paterna

à paterna pietate videtur, si præpositi suis subditis graves existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris debent more fovere. Archidiaconi vero sive decani nullas exactiones vel taillias in presbyteros sive clericos exercere præsumant. Sane quod de prædicto numero evectionum secundum tolerantiam dictum est, in illis locis poterit observari, in quibus ampliores sunt redditus, & ecclesiasticæ facultates. In pauperioribus autem locis tantam volumus teneri mensuram, ut ex accessu majorum minores non debeant gravari, ne sub tali indulgentia illi qui paucioribus equis uti solebant plurimam sibi credant potestatem indultam.

Canon XXI.

NULLA ecclesiastica beneficia seu etiam ministeria vel ecclesia alicui attribuantur seu promittantur antequam vacent, ne desiderare quis mortem proximi sui videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum, cum hoc etiam ipsorum gentilium legibus inveniatur inhibitum. Turpe nimis est & divini plenum animadversione judicii, si locum in ecclesia dei futuræ successionis expectatione habeamus, quod ipsi etiam gentiles homines condempnare dicuntur. Cum autem prædictas ecclesias, seu quælibet officia ecclesiastica vacare contigerit, vel etiam si modo vacant, non diu maneant in suspenso, sed infra sex menses personis

ſonis quæ digne miniſtrare valeant conferantur. Si autem epiſcopus ubi ad eum ſpectat ſine rationabili cauſa diſtulerit conferre, per capitulum ordinetur. Quod ſi ad capitulum ordinatio pertinuerit, & infra præſcriptum terminum ſimiliter hoc non fecerit, epiſcopus ſecundum deum hoc cum religioſorum virorum conſilio exequatur. Aut ſi forte omnes neglexerint, Metropolitanus de ipſis ſecundum deum abſque contradictione diſponat.

Canon XXII.

PRÆTEREA, ſi epiſcopus ſine certo titulo de quo poſſit neceſſaria vitæ percipere diaconem vel presbyterum ordinaverit, tam diu ei neceſſaria vitæ ſubminiſtret, donec in aliqua eidem eccleſia convenientia ſtipendia clericalis militiæ aſſignet, niſi forte talis fuerit qui ordinatus extiterit, quod de ſua vel paterna hereditate vel alia honeſta cauſa ſubſidium vitæ habere potuerit.

Canon XXIII.

CUM in eccleſiæ corpore omnia debeant ex caritate tractari, & quod gratis receptum eſt gratis impendi, horribile nimis eſt, quod in quibuſdam eccleſiæ locis venalitas perhibetur locum habere, ita ut pro epiſcopis vel abbatibus ſeu quibuſcunque perſonis eccleſiaſticis ponendis in ſede, ſive introducendis presbyteris in eccleſiam, ſive pro ſepulturis & exequiis mortuorum

tuorum & benedictionibus nubentium, ſeu aliis ſacramentis eccleſiaſticis aliquid requiratur, & non poſſit iſta percipere ille qui indiget niſi manum implere curaverit largitoris. Putant autem ex hoc plures ſibi licere, quia legem de longa invaluiſſe conſuetudine arbitrantur : non ſatis quia cupiditate cæcati ſunt attendentes, quod tanto graviora ſunt crimina quanto diucius infelicem animam tenuerint alligatam. Ne ergo hoc de cetero fiat, & vel perſonis eccleſiaſticis deducendis ad ſedem, vel ſacerdotibus inſtituendis, aut ſepeliendis mortuis, ſeu etiam benedicendis nubentibus, ſeu aliis ſacramentis eccleſiaſticis aliquid exigatur, inhibemus. Si quis autem contravenire præſumpſerit, portionem cum Giezi ſe noverit habiturum, cujus factum exactione muneris ultione lepræ vindicatur.

Canon XXIV.

PROHIBEMUS inſuper ne novi cenſus ab epiſcopis vel abbatibus aliiſve prælatis imponantur eccleſiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum ſuis uſibus appropriare præſumant, ſed libertatem quam majores ſibi ſervari deſiderant, minoribus quoque ſuis bona voluntate conſervent. Si quis autem aliter fecerit, irritum quod fecerit habeatur.

Canon XXV.

CLERICI in ſacris ordinibus conſtituti, qui muli-

mulierculas in domibus ſuis ſub incontinentiæ nota tenuerint, aut [1] abjiciant eas & continenter vivant, aut à beneficio eccleſiaſtico fiant alieni.

Canon XXVI.

QUICUNQUE in incontinentia illa quæ contra naturam eſt, propter quam venit ira dei in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne conſumpſit, deprehenſi fuerint laborare: ſi clerici fuerint [2] ejiciantur à clero, vel ad agendam pœnitentiam in monaſterio retrudantur: ſi laici, excommunicationi ſubdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.

Canon XXVII.

MONASTERIA præterea ſanctimonialium ſi [3] quiſquam clericus ſine manifeſta & neceſſaria cauſa frequentare præſumpſerit, per epiſcopum arceatur, & ſi non deſtiterit, à beneficio eccleſiaſtico reddatur immunis.

Canon XXVIII.

QUONIAM eccleſia dei & in hiis quæ ſpectant ad ſubſidium corporis & in hiis quæ ad profectum veniunt animarum, indigentibus ſicut pia mater providere tenetur, ne pauperibus qui parentum opibus juvari non poſſunt legendi & proficiendi opportunitas ſubtrahatur: per unamquamque cathedralem eccleſiam ma-

1. Abiciant *MS.* 2. Eiciantur *MS.* 3. Quiſquam *plane in Cod. noſtro. ita tamen ut* quam *ab eadem manu ſupra lin. ſcribatur.* Quis *tantummodo in Apographo Twyſdeniano.*

gistro qui clericos ejusdem ecclesiæ & pauperes scolares gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur, quo docentis necessitas sublevetur, & discentibus via pateat ad doctrinam. In aliis quoque ecclesiis restituatur, si retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia docendi nullus omnino pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ab hiis qui docent aliquid quærat, nec docere quemquam expetita licentia qui sit idoneus interdicat. Qui vero contra hoc venire præsumpserit, ab ecclesiastico beneficio fiat alienus. Dignum quidem esse videtur ut in ecclesia dei precium laboris sui non habeat, qui cupiditate animi dum vendit docendi licentiam, ecclesiasticum profectum nititur impedire.

Canon XXIX.

CLERICI in subdiaconatu & [1] supra, & in minoribus quoque ordinibus constituti, coram seculari judice advocati in negociis secularibus fieri non præsumant, nisi propriam vel ecclesiæ suæ causam fuerint prosecuti, & nisi forte pro miserabilibus personis quæ causas proprias administrare non possunt. Sed nec procurationes villarum aut jurisdictiones etiam seculares sub aliquibus principibus & secularibus viris, ut justiciarii eorum fiant, clericorum quisquam ex-

1. *Non* superioribus, *ut in Apographo Twysdeniano.*

ercere

ercere præſumat. Si quis autem adverſus hoc venire temptaverit, quia contra doctrinam apoſtoli dicentis, *nemo militans deo implicet ſe negociis ſecularibus*, ſeculariter agit, ab eccleſiaſtico miniſterio fiat alienus, pro eo quod officio clericali relicto & neglecto, fluctibus ſeculi ut potentibus placeat ſe immergit. Diſtrictius autem decrevimus puniendum, ſi religioſorum quiſquam aliquid prædictorum auſus fuerit attemptare.

Canon XXX.

FELICIS memoriæ papæ Innocentii & Eugenii prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, deteſtabiles nundinas quas vulgo torneamenta vocant, in quibus milites ex condicto venire ſolent ad oſtentationem virium ſuarum & audacia temeraria congrediuntur, unde mortes hominum & animarum pericula ſæpe proveniunt, fieri prohibemus. Quod ſi quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamvis ei poſcenti pœnitencia non negetur eccleſiaſtica tamen careat ſepultura.

Canon XXXI.

TREUGAS à V^ta^. feria poſt occaſum ſolis uſque ad ſecundam feriam poſt ortum ſolis, & ab adventu domini uſque ad [1] Octabas Epiphaniæ, & à LXX^ma^. uſque ad Octabas Paſcæ ab omnibus inviolabiliter obſervari præcipimus.

1. *Sic*; b *nimirum pro* v *poſita, ut ſolenne his in libris. Neque aliter fere in Kalendariis vetuſtis impreſſis.*

Si quis autem treugam frangere temptaverit, post tertiam commonitionem si non satisfecerit, episcopus suus excommunicationis sententiam dictet, & scriptam vicinis episcopis denunciet. Episcoporum autem nullus excommunicatum in communione suscipiat, immo scripto susceptam sententiam quisque confirmet. Si quis autem hoc violare præsumpserit, ordinis sui periculo subjaceat. Et quoniam funiculus triplex difficile rumpitur, præcipimus ut episcopi ad solum deum & salutem populi habentes respectum, omni cupiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam, mutuum sibi consilium & auxilium præbeant, neque hoc vel amore vel odio prætermittant. Quod si quis in hoc opere tepidus inventus fuerit, dampnum propriæ dignitatis incurrat.

Canon XXXII.

REPREHENSIBILIS valde consuetudo in quibusdam partibus inolevit, ut cum fratres & episcopi nostri seu archidiaconi, appellaturos quosdam in causis suis existimant, nulla penitus ammonitione præmissa suspensionis seu excommunicationis in eos sententiam ferant. Alii autem dum superioris sententiam & disciplinam reformidant, sine ullo gravamine ante ingressum causæ appellationem [1] objiciunt, & ita ad defensionem suæ iniquitatis usurpant, quod ad præsidium innocentium dinoscitur institu-

1. Obiciunt *MS.*

tum.

tum. Quo circa ne [1] iidem prælati valeant ſine cauſa gravare ſubjectos, vel ſubditi pro ſola voluntate ſub appellationis obtentu correctionem valeant eludere prælatorum, præſenti decreto ſtatuimus, ut nec prælati niſi canonica ſubmonitione præmiſſa ſuſpenſionis vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubjectos, niſi talis fuerit culpa quæ ipſis ſuo genere ſuſpenſionis vel excommunicationis pœnam inducat: nec ſubjecti contra diſciplinam eccleſiaſticam ante ingreſſum cauſæ in vocem appellationis prorumpant. Si vero quiſquam pro ſua neceſſitate crediderit appellandum, competens ei ad proſequendam appellationem terminus præfigatur. Infra quem appellationem proſequi ſi forte neglexerit, libere tunc epiſcopus auctoritate ſua fruatur. Si autem in quocunque negotio aliquis appellaverit, & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellaverit venire neglexerit; ſi proprium quid habuerit competentem illi recompenſationem faciat expenſarum, ut hoc ſaltem timore deterritus, in gravamen alterius facile quis non appellet. Præcipue tamen in locis religioſis hoc præcipimus obſervari, ne monachi ſive quicunque religioſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi coram regulari prælati & capituli ſui diſciplina, appellare præſumant, ſed humiliter ac devote ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua fuerit eis injunctum.

1. Idem *MS.*

Canon

Canon XXXIII.

CUM & fovere ſacram [1] religionem plantatam, & plantare fovendam modis omnibus debeamus, nunquam hoc melius exequimur, quam ſi nutrire in ea quæ recta ſunt, & corrigere quæ profectum virtutis impediunt, commiſſa nobis à deo auctoritate curemus. Fratrum autem & coëpiſcoporum noſtrorum vehementi conqueſtione comperimus, quod fratres templi & hoſpitalis & alii quoque religioſæ profeſſionis indulta ſibi ab apoſtolica ſede privilegia excedentes contra epiſcopalem auctoritatem multa præſumunt, quæ & ſcandalum faciunt in populo dei, & grave pariunt periculum animarum. Propoſuerunt enim quod eccleſias de manu laïcorum recipiant, excommunicatos & interdictos ad eccleſiaſtica ſacramenta & ſepulturam admittant, ſine decreto in eccleſiis ſuis præter eorum conſcientias & inſtituant & removeant ſacerdotes, & fratribus eorum ad eleemoſynas quærendas euntibus cum indultum ſit eis ut in eorum adventu ſemel in anno aperiantur eccleſiæ atque divina in eis celebrentur officia, plures ex eis de una ſive de diverſis domibus ad interdictum locum ſæpius accedentes indulgentia privilegiorum noſtrorum in celebrandis officiis & ſepeliendis mortuis abutan-

1. Religionem & plantatam *apographum Twyſdenianum. Et ſic quidem ipſe Codex noſter : ita tamen ut punctum ſub* & *ab eadem plane manu ponatur, delendum eſſe indicans.*

tur,

tur, & tunc apud interdictas ecclesias mortuos sepelire præsumant, occasione quoque fraternitatis [1] quas in pluribus locis constituunt, robur episcopalis auctoritatis enervent, dum contra eorum sententiam sub aliquorum privilegiorum obtentu munire cunctos intendunt qui ad eorum fraternitatem se voluerint conferre. In hiis autem quibus tam de majorum conscientia vel consilio quam de minorum discretione quorundam exceditur, & removenda ea in quibus excedunt, & quæ dubitationem faciunt decrevimus declaranda. Ecclesias sane & decimas de manu laïcorum sine consensu episcoporum tam illos quam quoscunque religiosos recipere prohibemus, dimissis etiam illis quas contra tenorem istum moderno tempore receperunt, excommunicatos & nominatim interdictos tam ab illis quam ab omnibus aliis juxta episcoporum sententiam statuimus evitandos: in ecclesiis suis quæ ad eos pleno jure non pertinent constituendos presbyteros episcopis repræsentent, ut eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exibeant competentem, institutos autem inconsultis episcopis non audeant removere. Si vero templarii sive hospitalarii ad ecclesiam interdictam veniant, non nisi semel in anno ad ecclesiasticum servicium admittantur, nec ulla ibi corpora sepeliant mortuorum. De fraternitatibus autem hoc constituimus, ut si non se prædictis

1. *F.* quam, *nisi* fraternitatum *malis*.

dictis fratribus omnino reddiderint sed in proprietatibus suis duxerint remanendum, propter hoc ab episcoporum sententia nullatenus eximantur, sed potestatem suam in eos sicut in suos parrochianos exerceant, cum pro suis excessibus fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum est, ab aliis quoque religiosis qui præsumptione sua episcoporum jura præripiunt, & contra canonicas eorum sententias & tenorem privilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus observari. Si autem contra instituta hæc venerint, ecclesiæ in quibus ista præsumpserint subjaceant interdicto, & quod egerint irritum & vacuum habeatur.

De morte Regis Francorum, [1] *& de hiis quæ apud Constantinopolim* [2] *provenerunt.*

CAP. IV.

1180. ANNO à partu virginis M.C.LXXX. qui fuit Henrici Regis Anglorum vicesimus septimus, & Lodovici Regis Francorum quadragesimus quartus, idem Rex [3] Francorum hominem exuit, homo intepidæ devotionis in Deum, & eximiæ lenitatis in subditos, sacrorum quoque ordinum præcipuus venerator. Paulo autem simplicior quam deceret Principem, illius verbi Apostolici, [4] *Corrumpunt bonos mores collo-*

1. Et iis *Edd.pr.* 2. Contigerunt *Edd.pr.* 3. *Vide Notas.* 4. 1 *Cor.* 15. P.

quia

quia mala, perſpicuam in quibuſdam actibus ſuis veritatem expreſſit. Quorundam quippe Procerum de honeſto vel æquo minus curantium plus juſto ſe credens conſiliis, non levi plerumque macula mores egregios denigravit. veluti quando cauſam nequam filii contra pium patrem ſuſcepit, & totis regni opibus hoſtem naturæ adjuvit. Succeſſit ei filius Philippus, natus ei ex filia illuſtriſſimi Comitis Theobaldi, quæ illi jam trigamo nupſerat. Quippe poſt [1] Alienorem (quæ, [2] ut plenius ſuo loco dictum eſt, relictis illi duabus ex ſe filiabus, & celebrato inter eos divortio, ad Regis Anglorum tranſierat nuptias) Regii ſeminis ex Hiſpania comparem duxerat: quæ itidem relictis illi duabus ex ſe filiabus, quarum major in conjugio Regis Anglorum Henrici junioris ſine fructu ſobolis fuiſſe dinoſcitur, generali ſorti ſubjacuit. [3] Filiam quoque elegantis formæ tertia illi Regina ediderat. cui nimirum qualia [4] provenerint, libet paucis exponere. Imperator Conſtantinopolitanus in fata concedens, filium impuberem ſub tutela patrui ſucceſſorem reliquit imperii. Et ille quidem purpuratus pro ætate nutriebatur in deliciis. Porro tutor ejus, Andronicus nomine, interim adminiſtrabat imperium. Viſum eſt Græcorum Optimatibus, ut

1. Alienoram *Edd. pr.* 2. *L.* 1. *c.* 31. P. 3. *Agnetem nomine, inquit Guil. Tyr. l.* 22. *c.* 4. *vix annos octo natam. Hæc præmitte ſcripta in append. Sigib.* 1179, 1180, 1181. 4. Provenerunt *Edd. pr.*

[1] filia Regis Francorum ad insignis pueri conjugium peteretur, quod & factum est. Missi ergo in Franciam non ignobiles nuncii, susceptam, tradente patre, virginem nondum plene nubilem cum multo fastu Constantinopolim traduxerunt. Ubi vero & illo jam pubere, & illa nubili, [2] Imperatoriæ cœperunt nuptiæ præparari, Andronicus homo nequissimus & multæ potentiæ, utpote procurator imperii, sollicitatis & corruptis ministris palatii, Imperatorem juvenculum, nepotem scilicet proprium, furatus de palatio, in insulam quandam (ut dicitur) civitate inscia per quosdam complices suos occulte necandum direxit. Mox sumpta purpura imperium occupavit; & ne quid ausis sceleratissimis deesset, destinatum [3] nepoti conjugium ad se formæ captus illecebra transtulit. Cumque arrepto insolentissime abuteretur imperio, ab [4] hiis qui ejus vel execrabantur nequitiam, vel aspernabantur potentiam, contra se conjurari coëgit. Quæ nimirum conjuratio adeo tandem invaluit, ut conjuratorum ingens jam numerus in spiritu fortitudinis palatium repente irrumperet, & tyrannum ferocissimum solio deturbatum justissimis vinculis innodaret. Et ne vacaret imperium, novum illico Principem creaverunt, ad cujus arbitrium sceleratus ille suppliciis excruciatus interiit.

---

1. Filiam *MS. noster.* 2. *Sic etiam MS. Vic. Antea,* Imperatori. 3. *Vide Notas.* 4. His *Edd. pr.*

teriit. Hoc modo filia Regis Francorum in regno Græcorum optatis ſperatiſque fraudata nuptiis, & ſceleſtiſſimi hominis contubernio maculata, honore etiam caruit.

De mutatione monetæ publicæ, [1] *& deceſſu Eboracenſis Archiepiſcopi.*

CAP. V.

ANNO Regis Henrici [2] ſecundi viceſimo ſeptimo, forma monetæ publicæ à falſariis corruptæ mutata eſt in Anglia; quod quidem ratione utilitatis publicæ pro tempore erat neceſſarium, ſed regni pauperibus & colonis nimis oneroſum. Sequenti autem anno, qui fuit
à partu virginis M.C. octogeſimus primus, & 1181.
Pontificatus Alexandri Papæ viceſimus tertius, generale debitum ſolvit idem venerabilis Pontifex, cui ſucceſſit Lucius. Eodem quoque anno deceſſit Rogerius Eboracenſis Archiepiſcopus, homo litteratus & eloquens, atque in commodis temporalibus prudentiæ pene ſingularis. In officio quidem Epiſcopali, hoc eſt, in cura animarum minus ſollicitus; in [3] hiis autem, quæ officio non Deus, ſed propter Deum mundus annexuit conſervandis & promovendis efficaciter ſtudioſus. In bonis quippe temporalibus [4] Archiepiſcopatum Eboracenſem ita provexit,

---

1. Et deceſſu Rogerii Eboracenſis Archiepiſcopi *Edd. pr.* 2. *Deeſt* ſecundi *in Edd. priorib.* 3. His *Edd. pr.* 4. *Appendix Sigib. ad annum* 1181. *eadem habet.* Pic.

ut de augmentis redditũum vel amplitudine ædificiorum fere nullam ſucceſſoribus ſuis curam reliquerit. Occaſiones quoque avaritiæ ita exercuit, atque in [1] hiis exercendis ita excelluit, ut raro aliquam prætermittere, vel remiſſius agere videretur. Pro perſonis ſpectabilibus, quibus tanquam quibuſdam monilibus Eboracenſis olim refulſit Eccleſia, titulavit imberbes,& quoſdam etiam agentes ſub ferula, aptos magis pro ætate ædificare caſas, [2] ploſtello adjungere mures, ludere par impar, equitare in arundine longa, quam perſonas [3] in eccleſia gerere [4] magnatum : ut ſcilicet uſque ad annos viriles curam agens titulatorum, univerſa perciperet commoda titulorum. Chriſtianos philoſophantes, id eſt, viros religioſos in tantum exhorruit, ut dixiſſe feratur, felicis memoriæ Turſtinum olim Eboracenſem Archiepiſcopum nunquam gravius deliquiſſe, quam ædificando inſigne illud Chriſtianæ Philoſophiæ ſpeculum, [5] monaſterium ſcilicet de Fontibus. Cumque hoc [6] verbo quoſdam qui aderant ſcandalizari conſpiceret, laïci, inquit, eſtis, nec percipere poteſtis vim verbi. Dicebat etiam Eccleſiaſticum beneficium [7] luxurioſis potius quam religioſis conferendum. quam plane regulam omni tem-

1. His *Edd. pr.* 2. Et ploſtello *Edd. pr.* 3. Gerere in eccleſia *Edd. pr.* 4. Magnatorum *MS. noſter.* 5. *De quo vide notas ad lib.* I. Pic. 6. Verbo ſcandalizarentur circumſtantes, laïci, inquit, eſtis, niſi percipere *Edd. pr.* 7. Luxorioſis *MS. noſter.*

pore

pore ſuo ſollicite tenuit, & deteriorem fere in omnibus conditionem fecit religioſorum [1] quam ſecularium clericorum. Porro in hac mira cæcitate, cum alias eſſet vir acutiſſimus, arbitrabatur obſequium ſe præſtare Deo, quod ſic probatur. Acceſſit ad eum extrema jam ægritudine decumbentem, & mature finiendum, quidam mihi notiſſimus cujuſdam loci religioſi præpoſitus, vir bonus & ſimplex, humiliter poſtulans, ut pias bonorum virorum collationes, quas ſancti ejus prædeceſſores eidem loco divini amoris intuitu autentico ſcripto confirmaverant, ipſe quoque ſigilli proprii atteſtatione confirmare dignaretur. Ad quod ille, "en (ait) "morior, & quia Deum timeo, quod poſtulas, "facere non præſumo." Tam ſolide apud ſe tenebat, nullis minus quam hujuſmodi philoſophantibus eſſe præſtandum. Quod autem in vita ſua tondendis magis quam paſcendis ovibus dominicis intenderit, [2] in fine claruit. Quippe moriturus decumbens, non pauca milia marcarum argenti Pontifex ævo gravis in theſauris habebat, cum tot pauperes Chriſti inedia laborarent. Quibus cum jam ulterius in-

---

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur* quam ſecularium. 2. *Poſt hoc verbum nos relinquit Codex MS. uſque ad hæc verba* tamen poſtmodum, eo quod non cognoverint tempus *&c. cap.* 15. *l.* III. *Certe non credo ſceleſtam aliquam manum folia quibus caremus è libro illo abſcidiſſe, ſed vetuſtate illa eſſe diſſoluta atque ita deperdita poſſeſſorum negligentia. Supplevimus igitur è libro optimæ notæ in bibliotheca Archiepiſcopi Lamethæ.* Twyſdenus.

cubare

cubare non possset, partem aliquam dispersit in pauperes, partem ecclesiis, partem [1] etiam familiaribus & propinquis, serus distributor legato dimisit. Verum cum jam obisset, Rex per officiales suos & inventa dirupit, & non inventa ab [2] his, quibus jam data erant, extorsit: dicens thesauros à quocunque, usque ad mortem repositos, solius Principis in bonis esse. Quod utique judicio Dei actum est, ut ceteri terreantur exemplo, discantque thesaurizare sibi thesauros in cœlo, [3] quo scilicet fur non irrepit, nec prædo irrumpit. Circa Joannem quoque Archidiaconum hominem callidum & pecuniosum, qui [4] ejusdem Archiepiscopi in omnibus consiliarius & cooperator exstiterat, judicium Dei è vestigio claruit, qui nimirum die altero magistrum secutus, pecunias suas Regi [5] dimisit. Sic igitur illi duo in vita individui, in morte quoque brevissimo [6] sunt intervallo divisi. Decessit autem idem Archiepiscopus, anno Pontificatus sui XXVIII. [7] moxque Archiepiscopatu in fiscum redacto, vacavit Eboracensis Ecclesia annis decem.

---

1. *Deest* etiam *in Edd. pr.* 2. *Antea*, iis. 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, ubi. 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea*, ejusmodi. 5. Reliquit *Edd. pr.* 6. Intervallo sunt *Edd. priores.* 7. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur* moxque.

De

De Suero [1] *Norwegiæ tyranno.*

CAP. VI.

ISDEM temporibus famosissimus ille presbyter [2] Suerus, qui cognominatur Birckebain, in ea parte Germaniæ, quæ Norwegia dicitur, tyrannidem arripuit; & tempore non modico sub tyranni nomine debacchatus, tandem Rege terræ illius extincto, tanquam [3] legitime regnum obtinuit: aliis forte ejusdem terræ Regibus non dissimilem exitum judicio Dei habiturus. Quippe (ut dicitur) à centum retro annis, & eo amplius, cum Regum ibidem numerosa successio fuerit: nullus eorum senio aut morbo vitam finivit, sed omnes ferro interiere, suis interfectoribus, tanquam legitimis successoribus, regni fastigium relinquentes, ut scilicet omnes, qui tanto tempore ibidem imperasse noscuntur, illud quod scriptum est respicere videatur: [4] *Occidisti insuper, & possedisti.* Huic infami malo, per longam consuetudinem tanquam legis jam obtinenti vigorem, Optimates terræ illius, paulo ante tyrannidem prænominati presbyteri, pio studio mederi volentes: Regem novitium solemniter unctione mystica consecrari & coronari decreverunt, scilicet, ut nemo de cetero auderet ma-

1. Tyranno Norwegiæ *Edd. pr.* 2. Suecus *Alb. Crantz. l.6. Noruag. cap.*13. Pic. 3. Legitimus *MS. Pic.* 4. *Verba sunt Eliæ Acab increpantis de homicidio Nabotb* 3. *Reg.* 21. Pic.

num

num mittere in Chriſtum Domini. Quippe eatenus nullus unquam in gente illa ritu fuerat eccleſiaſtico conſecratus in Principem. Sed quicunque tyrannice Regem occiderat eo ipſo perſonam & poteſtatem Regiam [1] induebat, ſuo quoque occiſori eandem poſt modicum fortunam, inveteratæ conſuetudinis lege relicturus. Quod nimirum Chriſtiana quadam ſimplicitate à multis putatum eſt ideo factitari, quia nullus Regum priorum regiæ meruerat unctionis ſolemnibus initiari. Itaque interfecto Hacone, qui Regi Ingæ à ſe perempto ſucceſſerat, cum cuidam puero nomine Magno ejuſdem Ingæ nepoti, regni ſucceſſio competere videretur, prudentes & nobiles regni decreto communi eundem puerum ſolemniter in Chriſtum Domini conſecrari, & diademate inſigniri fecerunt. Quo facto ſancitum ſibi Principem, & priſcæ conſuetudinis dedecus abolitum crediderunt. Verum cum idem Magnus jam pubes factus in multa ſtrenuitate ſimul & felicitate per aliquot annos regnaſſet, cunctis jam æſtimantibus contra tyrannicos turbines ſatis conſultum, invidia diaboli ad [2] perturbandam Chriſtianæ plebis quietem memoratum presbyterum, tanquam vas proprium, incitavit. Qui cum in ſacro ordine, quem in eccleſia acceperat, diuſcule miniſtraſſet: propenſiore ſui fiducia homo audaciſſimus atque acutiſſimus regnum cœpit

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* inducns. 2. Perturbandum *MS.*

ambire.

ambire. Mox lustrata omni regione conceptæ molitionis [1] negotium non segniter exequens, [2] spe prædarum sollicitatam audaciam atque improborum manum sibi validam artificiosissime aggregavit, atque inviis solitudinibus pro munitionibus utens, crebris irruptionibus Regem irritavit. Cumque Rex eum cum instructo [3] persequeretur exercitu, ille arte fugam simulans, in quibusdam notis locorum angustiis substitit: ibique regias copias misere circumventas, atque eisdem angustiis impeditas, ita attrivit, ut Rex ipse inter mortuorum strages delitescens, abeuntibus hostibus ægre evaserit. Quo successu elatus, atque indies viribus auctior, classem quoque [4] nactus est, cujus opportunitate in pluribus ejusdem regni [5] debacchabatur provinciis. Rex vero, reparatis viribus & classe [6] instructa, adversus hostem perrexit. Quo ille cognito, fugam quoque tunc callide simulans, in infinitum refugit Oceanum. Quod cum Regi innotuisset, veram esse prædonis fugam credit, seque cum classe in portum aliquem recepit. Ubi cum exercitus pro lætitia hostis expulsi, [7] epulis exitiali securitate vacaret, sequenti nocte execrandus presbyter cum suis portum ingressus, ebriosque & somnolentos aggressus, minimo negotio, cum patre Regis, aliisque optimatibus, fere

1. Non segniter negotium *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* sæpe prædonum. 3. Exercitu persequeretur *Edd. pr.* 4. Est nactus *Edd. pr.* 5. Debacchatur *MS. Pic.* 6. Parata *Edd. pr.* 7. *Deest* epulis *in Edd. priorib.*

universum delevit exercitum. Rex autem aliis morientibus elapsus, in quodam (ut dicitur) proximo virginum monasterio per dies aliquot latuit, frustraque quæsitus ab hostibus (Deo volente) evasit. Hac hostium infelicitate & clade tyrannus elatus, quanto cruentior, tanto insolentior circumquaque, tanquam triumphans, ferebatur, immitem se dominum pressis misere provincialibus exhibens. Rex autem post latebram luci & amicis redditus, cœpit paulatim vires reficere, auxilia undecunque contrahere, adversus hostiles se dolos cautius præparare: & tandem [1] cum apparatu maximo perrexit in hostem. Quo mox ille cognito, cum videret juvenem propter priores clades prudentius atque instructius agere, numero quoque navium,& pondere virium præstare, ad maleficia se convertit. Habebat enim secum quandam filiam diaboli,potentem in maleficiis, atque illi antiquæ merito comparandam, [2] de qua nobilis ait Poëta:

" *Hæc se carminibus promittit solvere mentes*
" *Quas velit, atque aliis diras immittere curas,*
" *Sistere aquam fluviis, & sidera vertere retro,*
" *Nocturnosque ciet manes. Mugire videbis*
" *Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.*

Denique hæc (ut dicitur) mira pestilentissimæ artis confidentia ab amico quæsivit tyranno, quomodo suos, qui jam præ oculis erant, hostes

1. Cum parato exercitu perrexit *Edd pr.* 2. *Virgil.* 4. *Æneid. loquens de Massyla sacerdote.* Pic.

cuperet

cuperet interire. Illo submersionem eorum eligente, repente operatione diaboli, qui nimirum per Angelicæ naturæ potentiam in elementis mundanis plurimum potest, cum à superiori sinitur potestate, tranquillum mare os suum aperiens, in conspectu hostium majorem Regiæ classis partem absorbuit. Quo viso, nefandus presbyter, "ecce (ait) socii, quam efficaciter "elementa pugnant pro nobis, cavete ne forte "evadant: quorum certum exitium pelagus "vestræ virtuti reliquit, ne totum fecisse videa-"tur." Itaque regii exercitus pars reliqua subito interitu sociorum attonita facile est oppressa, & rex ipse interiit. Quo sublato, in ditionem tyrannicam regnum tremefactum concessit. Qui sacro ordine abjurato, & accepta in conjugem filia Regis Gothorum, ab Archiepiscopo terræ illius [1] solemniter coronari voluit. Verum ille cum esset vir magnus, & neque [2] precibus, neque minarum terroribus flecteretur, ut caput execrabile sacra unctione perfunderet, ab eodem patria pulsus est. Post annos aliquot surrexit de stirpe Regum priorum acerrimus juvenis, nomine Joannes, confluentibus ad eum, & roborantibus eum plurimis. Qui cum læta habuisset initia, ut jam [3] ipsi esset tyranno terribilis, juvenili tandem calore inconsultius ad bellum prosiliens, infeliciter &

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur* solemniter. 2. Precibus, & neque *Edd. priores.* 3. *Deest* ipsi *in Edd. priorib.*

præmature occubuit. Poſt hunc emerſit alius de ſemine regio bonæ ſpei puer, copioſis adjutus ſuffragiis. Verum & hic in ipſa ſacra dominica Palmarum, ante annos aliquot gravi prœlio à tyranno oppreſſus, & cum ſuis adjutoribus funditus abraſus eſt. Sic virga illa furoris Domini, profligato vel eliminato fere omni ſemine regio, atque omni hoſte indigena, magnus & tremendus tandem per manum cujuſdam Epiſcopi, ad hoc intentata morte coacti, [1] regni cum myſtica unctione diadema ſortitus eſt, ſub incerto diu [2] proſperatæ tyrannidis exitu ex crebris ſucceſſibus quaſi ſecurus. Titulus autem ſigilli ejus talis fuiſſe dicitur: *Suerus Rex magnus, ferus ut leo, mitis ut agnus.* clementiam quippe in ſubditos oſtendebat, & eccleſiis ſive monaſteriis reverentiam exhibebat.

De morte Regis Henrici III. *& Gaufridi fratris* [3] *ejus.*

CAP. VII.

1183. ANNO à partu virginis M.C.LXXXIII. qui fuit XXX. regis Anglorum Henrici Secundi, Henricus Tertius Anglorum Rex junior immatura morte deceſſit. Plane immatura, ſi ætatem reſpicias, ſed multum ſera, ſi actus attendas. Fœdaverat enim adoleſcentiam ſuam nævo [4] inexpiabili, ſimilitudine ſceleſtiſſimi [5] Ab-

1. Regium *pro* regni *in Edd. priorib.* 2. Proſperantis *Edd. pr.* 3. Ejuſdem *Edd. pr.* 4. Inexpiabili, i. ſimilitudine *Edd. pr.* 5. *De quo* 2 *Reg.* 15, 16, 17, 18. *Adde notas ad cap.* 27. *l.* 2. *ſup.* Pic.

ſalonis,

ſalonis, ut ſuperius expoſitum eſt. Juventutem quoque ingreſſus, eandem adoleſcentiæ ſuæ noluit eſſe diſſimilem, & prævaricator, non tantum naturæ (ut prius) verum etiam ſolemnium pactorum, rebellavit iterum contra patrem. Cujus rebellionis cauſa hæc fuit. Idem pater Richardo filio in adminiſtrando ducatu Aquitanico ſuas vices commiſerat, filio quoque Gaufrido jam puberi plenitudinem juris uxorii, id eſt, Britanniam Tranſmarinam, tradiderat; Henrico primogenito ſub expectatione ſucceſſionis legitimæ ad patris vel excubante, vel pergente imperium. Verum occaſione cujuſdam ſimultatis inter fratres exortæ, idem Henricus indignatus, quod fratrem Richardum pater Aquitaniæ præfeciſſet, juncto ſibi fratre Gaufrido Comite Britannico, & quibuſdam Proceribus Aquitanicis, patrem motibus bellicis laceſſivit. Pater vero cum rebelles filios blandis [1] delinire mandatis fruſtra [2] tentaſſet, improbis eorum [3] auſibus obviaturus, fines Aquitanicos cum exercitu ingreſſus eſt. Mox Dei judicio Henricus junior febre (utriuſque prævaricationis ultrice) corripitur; omniumque animi, qui cum eo conſpiraverant, pariter elanguêre. Cumque ingraveſcente incommodo deſperaretur à medicis, tandem compunctus miſit ad patrem, exceſſum humiliter confitens, & extremam gratiam à

1. Declinare *Edd. priores.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* laboraſſet. 3. Conatibus *MS. Pic.*

paterna

paterna pietate depoſcens, ut morientem inviſere dignaretur. Quibus auditis, paterna quidem concuſſa [1] ſunt viſcera, ſed amicis allegantibus non eſſe ſibi tutum, nequiſſimis conſpiratoribus, qui circa filium erant, [2] ſe credere, quamvis pium eſſet ægrotantem filium viſitare: prævalente formidine ad filium non perrexit, ſed pro ſigno clementiæ & indultæ veniæ, notum illi annulum, arram paternæ dilectionis, direxit. Quem ille ſuſceptum deoſculatus, aſſiſtente Archiepiſcopo Burdegalenſi vitam finivit. Funus ad patrem longo agmine deducebatur: cui mox pater pie occurrit, & Rothomagi ſepeliendum [3] in Normanniam deferri præcepit. Hunc finem habuit inquietus ille puer, ad multorum quidem natus exitium: ſed tamen hominibus adeo favorabilis & gratioſus (quia ſcriptum [4] eſt, [5] *Stultorum infinitus eſt numerus*) ut etiam de mortuo præclara dicerentur. Denique poſt mortem ejus, quidam mentiendi libidine, atque impudentiſſima vanitate, famam late ſparſerunt, quod ad ſepulchrum ejus curationes fierent infirmorum, ſcilicet ut vel cauſam contra patrem juſtam habuiſſe, vel finali pœnitentia Deo egregie placuiſſe crederetur.

---

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur* ſunt. 2. Se *omittunt Edd. pr.* 3. *Sic in Apographo elegantiſſimo, Codici noſtro MS. inſerto. At ad oram exemplaris Editionis Picardianæ, quod à prænobili Amico, Domino Thoma Sebright, una cum dicto Codice MSto. mutuo accepi,* τὸ in *in ipſo Codice, è quo deſcriptum erat Apographum, deſiderari notavit præſtantiſſimus Twyſdenus.* 4. *Sic è MS. Antea omittebatur* eſt. 5. *Eccleſ.* I. Pic.

Idem

Idem vero pater dolorem extincti filii ex hostis interitu [1] temperans, fortiterque insistens conspiratoribus casu ducis attonitus, in brevi universos perdomuit, & Gaufridum filium in gratiam recepit. Qui tamen ingratus ad omne experimentum paterni affectus, hostilem (ut postea claruit) non exuit animum. Nam tempore modico circa patrem pendulus & fluitans, Francorum autem, quos paternæ gloriæ æmulos noverat, modis omnibus [2] amicitiam captans: cum à patre Andegavensem comitatum obtinere non [3] posset, super hoc Rege Francorum inaniter satagente, eo quod Richardus natu major id nulla ratione concederet, ad Francos se contulit, tanquam per illorum potentiam patri & fratri extorturus precum blandiciis non obtentum. Cumque ad irritandum patrem Regi Francorum sedulo militans grandia moliretur, divini judicii pondere obrutus molitiones suas Parisiis cum vita finivit, ibique sepultus, patri quidem, cui minus officiosus exstiterat, modicum, Francis vero, quibus multum placuerat, ingentem luctum reliquit. Natus est ei ex Britannici Comitis filia [4] unica filius [5] posthumus. Cui cum Rex avus nomen suum imponi jussisset, contradictum est à Britonibus, & solemni acclamatione in sacro Baptismate Ar-

1. Temperans: in brevi, *omissis intermediis, Edd. priores. Pro* attonitus *vero forte reponendum* attonitis. 2. Captans amicitiam *Edd. priores.* 3. Potuit *Edd. pr.* 4. Unicus *Edd. priores.* 5. Postremus *MS. Pic.*

turus

turus eſt dictus. Sicque Britones, qui [1] diu fabuloſum dicuntur exſpectaſſe Arturum, nunc ſibi cum multa ſpe nutriunt verum, juxta opinionem quorundam grandibus illis, & famoſis de Arturo fabulis prophetarum.

De morte Cantuarienſis Archiepiſcopi, & inſtitutione Lincolnienſis Epiſcopi.

CAP. VIII.

EODEM ſane anno, quo Henricus tertius in fata conceſſit, Richardus quoque Cantuarienſis Archiepiſcopus venerabilis Thomæ ſucceſſor deceſſit. Homo quidem mediocriter litteratus, ſed laudabiliter innoxius: & ne ambularet in magnis, modulo ſuo prudenter contentus. Succeſſit [2] ei Baldwinus, ex Abbate Fordenſi Wigornenſis Epiſcopus, vir religioſus & litteratus: ſed & Galterius [3] Conſtancienſis ipſo anno factus eſt Eccleſiæ Lincolnienſis Antiſtes, cum vacaſſet eadem eccleſia annis fere decem & ſeptem: ſicque evacuata eſt prophetia, vel potius divinatio converſi [4] Tamenſis de ſuo, non Dei ſpiritu prophetantis, quod Lincolnienſis eccleſia Pontificem ulterius non eſſet habitura. Quæ divinatio propter longam ejuſdem Eccleſiæ vacationem plurimos adeo moverat, ut memoratus Galterius, accepto conſe-

---

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur* diu. 2. *Vide Notas.* 3. Conſtantinenſis *Ed. Pic.* 4. *Vide ſupra l.* II. *c.* 22.

crationis

crationis munere, non ſine grandi metu ad propriam ſedem accederet. At non diu ſedit ibidem. Nempe poſt modicum electus ad [1] Archiepiſcopatum Rothomagenſem, formæ venuſtioris blandiente illecebra, novæ nuptæ valedixit. In qua re penſandum eſt quanti ſit momenti ambitus excellentiæ, quantumque in homine [2] etiam pecuniæ cupidiſſimo, ſuperet amorem pecuniæ. Satis quippe notum eſt, quod quantum Rothomagenſis Eccleſia Lincolnienſi præeminet majoritate dignitatis, tantum etiam cedit illi in temporalibus commodis. Homo tamen, qui Epiſcopatum Lincolnienſem propter ampliſſima commoda multum ambierat, maluit eo relicto ad minores divitias aſcendere ſuperius, quam eo retento cum majoribus divitiis ſedere inferius. Et [3] diu quidem hæſitaſſe dicitur, utrum eminentior an ditior eſſe eligeret, ſcrupuloſe ſecum deliberans; ſed tandem ambitus loci celſioris de amore commodi largioris triumphavit. Illo autem tranſlato, vacavit iterum Eccleſia Lincolnienſis annis aliquot.

De expeditione contra Rolandum, & quibuſdam [4] eventibus Hiberniæ.

CAP. IX.

ILLUSTRIS Rex Anglorum Henricus II. poſt mortem Henrici tertii tranſvectus in

1. Epiſcopatum *Edd. pr.* 2. Pecuniæ etiam *Edd. pr.* 3. Quidem diu *Edd. priores.* 4. Eventis *Edd. priores.*

Angliam, in extremos regni fines adversus Rolandum Galwadiæ Principem duxit exercitum. Quippe idem Rolandus mortuo Gilberto, qui (ut superius [1] dictum est) capto à nostris Rege Scottorum, fratrem [2] Uctredum nefarie peremerat, in filios ejus sorte bellica prævalens, totam illam sibi provinciam vendicarat. Interpellatus ab eis Rex Anglorum, Rolando mandavit, ut hereditatem paternam propriis redderet consobrinis; qui cum sprevisset mandatum, iratus Rex cum ingentibus equitum & peditum copiis partes illas adiit. Ubi cum ex Hibernia rumores gratissimos accepisset, exhilaratus nuncio placabilior fuit. Itaque accepta satisfactione à Rolando exercitum mature reduxit. Ut autem illius nuncii qualitas melius intimetur, pauca de statu Hiberniæ, quoniam se præbet occasio, prælibanda sunt. Relatum est [3] superius, quomodo Comes Richardus adquisitionem Hibernicam eidem Regi coactus dimiserit: quam profecto Rex opportune transvectus in Hiberniam, prout voluit, ordinavit. Eo autem in Angliam reverso, præfecti militum ad subactæ provinciæ regimen ibidem ab eo relicti, vel prædæ vel gloriæ avidi, commissos sibi fines paulatim dilatabant. E quibus unus, scilicet [4] Joannes de Curci, juncta sibi [5] equitum

1. *Supra l. 2. c. 34.* Pic. 2. Varedum *MS. Pic.* 3. *L. 2. c. 26.* P. 4. *His junge c. 16. Hib. expugnatæ Silvest. Giraldi memorantis Legationem Viviani.* Pic. 5. Peditum equitumque *MS.*

peditumque

peditumque manu valida, illam Hiberniæ provinciam, quæ à Regno Scotiæ anguſto freto ſejungitur, & Ulueſtiria nuncupatur, hoſtiliter invadendam putavit. Forte illuc venerat à Scotia Vivianus,vir eloquentiſſimus, Apoſtolicæ ſedis legatus; ſuſceptuſque honorifice à Rege, & Epiſcopis ejuſdem provinciæ, in civitate maritima quæ Dunum vocatur pro tempore morabatur. Hoſtium autem adventu præcognito, Hibernienſes conſuluere legatum, quidnam in tali articulo eſſet agendum. Qui pugnandum [1] eſſe pro patria dixit, & pugnaturis cum obſecrationibus benedixit. Hoc modo animati, audaciter in prœlium ruerunt: ſed à loricatis [2] & ſagittariis facile oppreſſi terga verterunt. Capta eſt ergo civitas Dunenſis. Porro legatus Romanus cum ſuis refugit in eccleſiam ſanctorum reliquiis inclitam. Providerat enim ſibi homo prudens, & præ manibus habebat Regis Anglorum litteras ad præfectos ejus Hibernicos: ut eorum tutus ſuffragiis, legationis ſuæ inter barbaros munus impleret. Hac auctoritate pacem & ſecuritatem accipiens, Divellinum migravit; & ſub nomine vel Domini Papæ, vel Regis Anglorum fiducialiter agens, convocatis Hiberniæ Præſulibus atque Abbatibus generale [3] concilium celebravit. Verum cum in Eccleſiis ſimplicitatis barbaræ liberius agere morem vel-

1. Pro patria eſſe *Edd. pr.* 2. *Deeſt* & *in Edd. priorib.* 3. *Sil. Girald. c.* 17. *Hib. expugnatæ l.* 1. *refert nonnulla hîc deſiderata.* Pic.

let Romanum, denunciantibus præfectis Regiis, ut vel abſcederet vel ſecum militaret; auro Hibernico, quod multum ſitierat, minus onuſtus in Scotiam remeavit. Porro Joannes de [1] Curci cum ſuis qui Dunum, & fines ejus ceperat, à Regibus Hiberniæ poſtmodum fruſtra [2] impugnatus, expugnata [3] Ardemachia (ubi eſſe dicitur prima ſedes Hiberniæ, propter honorem beati Patricii, atque aliorum indigenarum ſanctorum quorum ibidem ſacræ reliquiæ requieſcunt) totam provinciam illam ſubegit. Hujus autem provinciæ homines præ cunctis Hiberniæ populis in celebratione Paſchali, eatenus ſuperſtitioſi fuiſſe traduntur. Nam, ſicut quodam venerabili Epiſcopo gentis illius referente cognovi, arbitrabantur obſequium ſe præſtare Deo, dum per anni circulum furto & rapina congererent, quod in Paſchali ſolemnitate profuſiſſimis, tanquam ad honorem reſurgentis Domini, abſumeretur conviviis, eratque inter eos [4] ingens concertatio, ne forte quis ab alio immoderatiſſimis ferculorum præparationibus [5] vel appoſitionibus vinceretur. Verum hanc ſuperſtitioſiſſimam conſuetudinem, cum ſtatu libertatis propriæ debellati finierunt. Sane inter Proceres Regis Anglorum, qui erant in Hi-

1. Turci *MS. Pic.* 2. Oppugnatus *Edd. pr.* 3. *Sil. Giral. cap.* 50. *Topog. Hibern.* Arthematia B. Patricii ſedes & proprius totius Primatiæ Hiberniæ locus, *inquit.* Pic. 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* urgens. 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur* vel appoſitionibus.

bernia,

bernia, Hugo de Laſci præcipuus & præpollens habebatur: cui nimirum idem Rex poſt mortem ſtrenuiſſimi Comitis Richardi ampliſſimas ibidem poſſeſſiones contulerat, & ſuorum dominiorum adminiſtrationem commiſerat. Ille vero in brevi ita dilatavit terminos ſuos, & proſperatus auctuſque [1] eſt magnitudine opum & virium, ut jam non ſolum hoſtibus, verum etiam ſociis, id eſt, aliis Proceribus regiis eſſet terribilis. Nam & his infeſtus erat, ſi forte minus parerent. Videbaturque ſibi jam magis, quam Regi Anglorum regnum Hibernicum æmulari, in tantum ut diadema ſibi regium paraſſe diceretur. Quibus regi nunciatis, evocatus ab eo mandatum contempſit, [2] & per hanc inobedientiam fidem fecit præſumptionis vulgatæ. Verum poſt modicum tanquam pro Rege Anglorum æmulante fortuna, cujuſdam ex fœderatis Hibernienſibus familiaris, & domeſtici juvenis perfidiam expertus occubuit. Cum enim ſpatiandi gratia in agrum ex munitione egreſſus, avulſuſque à ſatellitibus fere quantum jactus eſt lapidis, forte ſe inclinaſſet, ut neſcio quid deſignaret in terra, perfidus ille diu quæſitam occaſionem nactum ſe gaudens, bipennem fortiter in caput ejus vibravit: quo [3] abſciſo, & ſatellitibus ad ulciſcendum fruſtra concurrenti-

---

1. Magnitudine eſt *Edd. pr.* 2. *Attamen Silveſt. Girald. l.* II. *c.* 22. *Hibern. expug. ſcribit, eum ſecundo miſſum ad Hibern. adminiſtrationem.* Pic. 3. Abſciſſo *Edd. pr.*

bus,

bus, beneficio ſilvæ proximæ, & pernicitatis propriæ elapſus evaſit. Hujus rei nuncius Regem Anglorum in extremis regni finibus (ut dictum eſt) conſtitutum ingenti perfudit lætitia, moxque res Hiberniæ cautiorem ab eo ordinationem ſuſcepere.

De adventu Patriarchæ in Angliam, & morte Regis Jeroſolymorum, & regno filii ejus, & de Saladino.

CAP. X.

1184. ANNO à partu virginis M.C.LXXXIV. qui fuit Henrici Regis ſecundi XXX. primus, Jeroſolymitanus Patriarcha cauſis urgentibus ab Orientali miſſus eccleſia, venit in Angliam. Ut autem hæ cauſæ melius eluceſcant, [1] à tempore Regis Amalrici, [2] quem ſuperior ſermo non tacuit, res Jeroſolymitanas ſub brevitate tranſcurramus. Qui nimirum Amalricus poſt multa fortiter & feliciter geſta hominem exuens, filio impuberi Balduino regnum reliquit. Hic autem cum non parvæ ſpei eſſet, occulto Dei judicio plaga lepræ percuſſus, regni tamen [3] quoad vixit, moderamina, animi magis quam corporis viribus tenuit: &, ut certus ſibi ſucceſſor propter imminentia terræ pericula non deeſſet, ex ſororis nuptiis, ſtirpis Regiæ ſeriem currere voluit. Eodem tempore mortuo Noradino,

---

1. *Deeſt* à *in Edd. priorib.* 2. *L.* 2. *cap.* 23. P. 3. Moderamina, quoad vixit, *Edd. pr.*

Rege

Rege Syriæ & Meſopotamiæ, qui populo Chriſtiano poſt patrem ſanguinum, virga furoris Domini fuerat: ſurrexit pro eo Saladinus, non jam virga, ſed malleus. Hic Saraconis nepos, qui Saraco (ut ſuperius dictum [1] eſt) Princeps militiæ Noradini extiterat, illi defuncto in eodem Principatu ſucceſſit, homo aſtutiæ ſingularis, & mille nocendi artibus inſtructus. Mortuo autem Noradino, uxoris ejus connubium appetivit, eaque tradente Damaſcum, & fines ejus accepit. Cumque eſſet militiæ Turcorum gratiſſimus, vires artibus, & artes viribus juvans, exheredato Noradini filio ampliſſimum regnum ejus obtinuit. Mox in Ægyptum arma transferens, abſumptis terræ illius Principibus locupletiſſimum arripuit regnum Babylonis. Lybia quoque atque Arabia potitus, nactus eſt nomen grande, ſuper nomen aliorum magnorum qui ſunt in terra. Denique (ut dicitur) octo Regnis ditiſſimis præſidens, parum tamen à ſe actum putabat, dum Chriſtiani [2] chaos magno, id eſt, [3] mari mediterraneo, ab orbe Chriſtiano ſecluſi, Jeroſolymam, Antiochiam, & maritimas Syriæ civitates poſſiderent. Totum ergo in ipſos latiſſimi imperii ſui robur convertens, homo in ſeculari potentia ſive aſtutia vix comparationem recipiens, modis omnibus nitebatur

---

1. *Scilicet l. 2. cap. 23.* P. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur* chaos. 3. Mediterraneo mari ab orbe reliquo Chriſtiano ſecluſi, *Edd. priores.*

devorare

devorare plebem Dei, ſicut eſcam panis, & [1] trophæum Chriſti avellere à partibus Orientis, ubi prius erectum eſt.

Quomodo victus Saladinus, & quomodo poſtea prævaluit.

CAP. XI.

[2] CIRCA hos dies Philippus illuſtris Flandriæ Comes, piæ devotionis inſtinctu cum numeroſa militia terram Jeroſolymitanam ingreſſus, contra Saladinum aliquid agere, & fines voluit Chriſtianos dilatare. Verum offenſus à Templariis, ad terram Antiochenam invitante Principe militiam [3] Chriſtianam traduxit, eoque cooperante munitiſſimum oppidum [4] Hareng nominatum, nihil ibidem acturus, ſed inglorius receſſurus, obſedit. Audiens autem Saladinus abducta militia terram Domini plus ſolito præſidiis vacuatam, cum infinito exercitu repentinus irruit, nec moratus in terminis, tanquam poſſeſſurus eam, intima ejus illico penetravit. Tunc Princeps Chriſtianus lepram corporis animi virtute exornans, quantulam pro tempore potuit militiam convocavit, & prœliaturus non ſuum, ſed Domini prœlium, hoſtium numeros non expavit. Itaque præ-

---

1. Trophæum crucis Chriſti *Edd. pr.* 2. *Scilicet anno* 4. *Balduini* 4. *Hieroſolym. Regis, inquit Tyr. l.* 21. *c.* 14. Pic. 3. *Deeſt* Chriſtianam *in Edd. pr.* 4. *Alias Harenc apud Tyr. l.* 21. *c.* 19. *&* 25. Pic.

eunte

eunte vexillo dominico juxta Rama oppidum, quod hoſtes obſederant, congreſſurus cum eis, tremendas illas gentis ſpurciſſimæ copias, divino fretus auxilio profligavit. Saladinus fuga elapſus, ægre evaſit, cæſis de exercitu ejus multis milibus. Geſtum eſt hoc prœlium à Chriſtianis Chriſto propicio feliciter, ſeptimo Calendas Decembris. Verum anno ſequenti propter peccata, quæ utique [1] divinitas [2] (dum hîc vivitur) minus in ſuis, quam in alienis diſſimulat, contra [3] Chriſtianum populum in terra ſancta degentem, & minus ſancte viventem cœleſtis ira excanduit. Cum enim Saladinus, ad expiandum præcedentis anni dedecus, fines Chriſtianos inſtructior terribiliorque invaderet, noſtri quoque multo inſtructiores & numeroſiores, quam prius, atque ideo minus in Domino, dum de ſe præſumerent, confidentes prœlium illi in terminis intulerunt, ubi Deo reſiſtente ſuperbis, quibus antea humilibus dederat gratiam, magna virium Chriſtianarum contritio facta eſt, cæſo non parvo militum numero cum magiſtro militiæ Templi, & Optimatibus plurimis. Initium dolorum hoc. Nondum enim averſus erat furor Domini, ſed adhuc manus ejus extenta. Denique poſtquam Cæſarea Philippi, (quæ nunc Belinas dicitur, & erat quaſi clavis

1. *Deus minus diſſimulat peccata in ſuis quam in alienis.* Pic. 2. Minus in ſuis (dum hic vivitur) *Edd. pr.* 3. Populum Chriſtianum *Edd. priores.*

finium Christianorum contra Damascum) inciderat (ut supra dictum est) in manus hostiles: Templarii tam suis, quam emendicatis undecunque opibus, munitionem satis utilem ad vadum Jacob exstruxerunt, [1] ne hostes à parte ejusdem Cæsareæ in fines libere Christianos excurrerent. Surgebant in dies structuræ murorum, & excubabat ibidem jugiter non parvus armatorum numerus, ne forte irruptione hostili impediretur opus. Diu quidem hoc cum livore & gemitu dissimulatum toleratumque est à Turcis, dum integræ essent vires Christianæ. Quas cum clade paulo ante accepta languidiores esse conspicerent, tempus nacti, munitionem illam armis virisque refertam obsidione cinxerunt, atque adhibitis machinis fortiter oppugnare cœperunt. Congregatus est autem exercitus Christianus apud Tiberiadem, ut obsidionem solveret: at non ea alacritate, qua solebat. Ibi Optimates nostri de agendis tractantes, nequaquam sibi tutum esse censuerunt, absente cruce dominica, cum numerosissimis hostibus congredi. Mittuntur Jerosolymam, qui signum salutare exhibeant. At in ea mora expugnata [2] est munitio. Qua celeriter eversa, Turci cum ingentibus spoliis abierunt. Capta est enim ibi magna vis armorum, & multus sanguis Christianus effusus. Nec multo post Sala-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea ommittebantur* ne h. à p. e. C. in f. l. Christianos excurrerent. 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur* est.

dinus

dinus Christianos ex improviso fines aggressus, Neapolim (quæ olim Sichima dicebatur) captam [1] evertit, & facta hominum strage non modica, dum nostri convenirent, in propria se recepit.

De causa adventus Patriarchæ in Angliam.

CAP. XII.

EO tempore Rex Jerosolymorum, mortis beneficio [2] liberatus à lepra, nepoti ex sorore, novenni puero regnum reliquit. Qui cum esset unctus in Regem, sub tutela Comitis Tripolitani pro ætate nutriebatur, rerum vero summa penes eundem Comitem potissimum esse videbatur. Cum ergo res Jerosolymitanæ in dies languescerent, atque illud Salomonis ([3] *Maledicta terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt,*) prudentes terræ illius crebra cogitatione versarent: generali providentia statutum est, ut vir magnus, cujus cum quantitate negotii moveret auctoritas, sanctæ scilicet resurrectionis Patriarcha, petendi contra immanissimum hostem Saladinum auxilii gratia ad Christianos Principes in Europam mitteretur, & maxime ad illustrem Anglorum Regem, cujus efficacior & promptior opera sperabatur. Idem [4] igitur Patriarcha post maris

1. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* evertens. 2. *Fuisse leprosum dixit supra c.* 10. *Jacob. Vitriac. c.* 95. *Orient. hist. Guil. Tyr. l.* 21. *c.* 1. Pic. 3. *Eccl.* 10. P. 4. *Sic cl. Twysdenus ad oram Ed. Pic. Et tamen in ejus Apographo* ergo *legitur, quo modo & Edd. pr.*

diſcrimina Romam veniens, & juncta patriarchali, auctoritate Apoſtolica proceſſurus, hanc à Papa Lucio ad Regem Anglorum accepit epiſtolam:

Epiſtola Domini Papæ ad Regem Anglorum.

"LUCIUS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, "chariſſimo in Chriſto filio H. illuſtri Regi "Anglorum ſalutem, & Apoſtolicam benedicti-"onem. Cum inclyti prædeceſſores tui præ "ceteris terræ Principibus armorum gloria & "nobilitate animi longe retro claruerint, eoſ-"que fidelium populus in ſua didicerit adver-"ſitate patronos: merito ad te non tantum "regni, ſed & paternarum virtutum heredem, "quadam ſecuritate præſumpta recurritur, ubi "populo Chriſtiano imminere periculum, immo "exterminium formidatur; ut per brachium "Regiæ magnitudinis membris ejus impenda-"tur præſidium, qui ut ad tantæ gloriæ, & "prælationis apicem pervenires ſua pietate "conceſſit, & te contra ſui nominis impugna-"tores nefarios, murum inexpugnabilem ordi-"navit. Proinde novit ſerenitas tua, jam cre-"bris & moleſtis ſuper hoc pulſata querelis, "qualiter terra Jeroſolymitana, ſpecialis here-"ditas crucifixi, in qua noſtræ ſalutis ſunt præ-"nunciata myſteria, & ipſius rei exhibitione "completa, quam ille, qui cuncta condidit, in "ſortem ſuam peculiari privilegio deputavit, "perfidæ

"perfidæ & ſpurciſſimæ gentis attrita & cir-"cumvallata preſſuris, niſi [1] ei celeri remedio "ſuccurratur, prona ſit ad ruinam, & inde ſuſ-"tineat (quod abſit) irreparabilem religio "Chriſtiana jacturam. Ille enim Saladinus, ſan-"cti & tremendi nominis immaniſſimus perſe-"cutor, ita ſpiritu furoris excanduit, & totius "nequitiæ ſuæ vires, ad [2] internecionem populi "fidelis exercet, ut niſi immanitatis ejus vehe-"mens impetus [3] quaſi objectis obicibus, repri-"matur, certam ſpem fiduciamque concipiat, "quod [4] influat Jordanis in os ejus; & terra "aſperſione vivifici ſanguinis conſecrata, ſpur-"ciſſimæ ſuperſtitionis ipſius contagio pollua-"tur; & quam glorioſi & nobiles prædeceſſo-"res tui à dominio gentis incredulæ multis la-"boribus & periculis exemerunt, rurſus nefan-"do tyranni nequiſſimi dominio ſubjugetur. Ob "hanc itaque neceſſitatis, & imminentis dolo-"ris inſtantiam, magnificentiam tuam Apoſto-"licis litteris duximus exhortandam, immo di-"latatis præcordiis ſumma acclamatione pul-"ſandam, quatenus ad honorem ipſius reſpici-"ens, qui te conſtituit in ſublime, & juxta ma-"gnorum, qui ſunt in terra, nomen tibi con-"tulit glorioſum, ad deſolationem præfatæ ter-"ræ pietatis ſtudio te convertas; & ut ejus "confuſio in hac parte tollatur, qui pro te in

1. *Deeſt* ei *in Edd. priorib.* 2. Interruptionem *MS. Pic.* 3. Reprimatur, quaſi objectis obicibus *Edd. pr.* 4. *Quod Job Diabolo, hîc Lucius tribuit Diaboli miniſtro Saladino.* Pic.

"terra

"terra ipſa voluit haberi ludibrio, operam ad-"hibeas efficacem, quatenus prædeceſſorum tu-"orum veſtigia ſubſecutus, quam ipſi de Prin-"cipis tenebrarum faucibus eruerunt, in cultu "magni Dei per tuam diligentiam auxiliante "Domino conſervetur. Eo autem curioſius cel-"ſitudinem tuam in tanta oppreſſionis anguſtia "convenit laborare, quod terram ipſam Regis "[1] intelligis præſidio deſtitutam, & totam ſpem "defenſionis ſuæ ipſius Proceres in tuæ magni-"tudinis patrocinio duxerunt collocandam. "Quod inde clarius tua ſerenitas poteſt agno-"ſcere, quod ſummos terræ illius, & magnifi-"cos defenſores, venerabilem fratrem noſtrum "[2] E.Patriarcham,& dilectum filium Magiſtrum "hoſpitalis ad tuam excellentiam deſtinarunt, "ut ex [3] ipſorum præſentia, conſiderata digni-"tate perpenderes, quanta fuerit neceſſitatis "anguſtia, pro qua eorum ſuſtinent tam diu "carere præſidio, ut per ipſos facilius ad vota "ſua tuam devotionem inclinent. Viros [4] igitur "præfatos tanquam ab ipſo domino tibi deſti-"natos benigne recipias, & debita charitate "pertractes, eorumque poſtulationibus tanto "facilius adquieſcas, quanto ſuæ gravitatis & "honeſtatis intuitu favor eſt eis major & gratia "exhibenda. Sane recolat prudentia tua, & "ſollicita ſecum meditatione revolvat, promiſ-

1. Chriſtiani *addit MS.Pic.* 2. *Vide Notas.* P. 3. Epiſcoporum *Ed. Antv. male.* 4. Ergo *Edd. pr.*

"ſionem

"ſionem illam, qua de impendendo ſæpe [1] dictæ "terræ præſidio, tuam celſitudinem obligaſti; "& ita in hac parte te cautum & ſtudioſum ex-"hibeas, ut te in tremendo judicio tua con-"ſcientia non accuſet, & ejus qui non fallitur, "diſtricti judicis interrogatio non condemnet. "Vale."

---

[2] *Quomodo Patriarcha [3] infecto negotio repatriavit.*

CAP. XIII.

VENERABILIS igitur Patriarcha in Angliam veniens circa negotium propter quod venerat, ſolicite ſatagebat. Eo, quo decebat, honore à Rege ſuſceptus, propriæ fatigationis cauſas aperuit: & ut in tam ſanctam accingeretur militiam, tanquam ordinatus à Deo votiſque omnium expoſtulatus ad debellandam ſpurciſſimi Saladini ſuperbiam, [4] cum dignæ autoritatis pondere monuit. Rege ſalubria monita benigne admittente, & reſponſum poſt competens deliberandi ſpatium pollicente, aliquantiſper eſt in Anglia demoratus. Verum [5] cum ille certa & enormia regni proprii ex ſua peregrinatione pericula allegaret, [6] & vice ſuæ præſentiæ ad ſublevationem Orientalis eccleſiæ, decentem pecuniæ modum promitteret: tandem

1. *Deeſt* dictæ *in Ed. Pic.* 2. *Deeſt hoc Caput in Ed. Antv.* 3. In Angliam venerit *Ed. Pic.* 4. Condignæ *Ed. Pic.* 5. *Vide Notas.* 6. Et intentione præſentiæ *Ed. Pic.*

inanior

inanior ſpei, quam venerat, in Galliam remeavit. Rex quoque ad tranſmarina vocatus negotia transfretavit. Cumque inter ipſum & Regem Francorum, exitialis diſcordiæ germina [1] pollularent, Diabolo ſcilicet [2] modis omnibus ſatagente ut Chriſtiani Principes, vires inter ſe Chriſtianas enervantes, terræ & civitati, ex qua ſalus omnium fluxit, multiplici expoſitæ periculo minime ſubvenirent, venerabilis Patriarcha [3] infecto negotio repatriavit.

De diſcordia Regum atque Induciis.

CAP. XIV.

IGITUR ortum inter Reges malum diſcordiæ, multos involvit populos. Cum enim unaquæque gens pro ſuo Principe æmularetur, ita contra ſe mutuo animabantur & præparabantur, tanquam ſinguli vel proprium emolumentum ſeu gloriam quærerent, vel injurias proprias ulturi eſſent. Coiêruntque ex diverſis hinc inde provinciis apud Caſtrum, quod [4] Radulphi [5] dicitur, ferociſſimo agitatæ ſpiritu armatorum multitudines, mira veſania [6] Regum ſuorum gloriæ, vel potius ſuperbiæ [7] ſanguinem

---

1. *Sic tam Apog. Twyſdenianum, quam & Ed. Pic. Pro* pullularent. 2. Omnibus modis *Ed. Pic.* 3. Infecto repatriavit negotio *Ed. Pic.* 4. *Antea* Rodulphi. 5. *Vulgo Chaſteaux Rous in tractu Bituricenſi ad Indrum flumen.* Pic. 6. Suorum Regum *Edd. pr.* 7. In ſanguinem *MS. ſi apographum ſequamur. Et tamen* ſanguinem *in eod. MS. deſiderari monuit Twyſdenus ad oram exemplaris Ed. Picardianæ, quod à D. Thoma Sebright mutuo accepimus.*

proprium

proprium libaturæ. Quid enim inſanius quam pro inani, nec ſua, ſed alterius gloria ita æmulari? & quid iniquius vel miſerabilius, quam pro unius hominis commodo, vel etiam faſtu nudo, tot Chriſtianorum milia periclitari? Cumque [1] de Caſtris hinc inde oppoſitis per dies aliquot torvis ſe mutuo vultibus duo magni exercitus proſpectarent, fruſtra circa vel pacem, vel inducias ſatagentibus, atque aërem tantum verberantibus viris pacificis, tandem fatalis & tremendus conſerendi manus dies illuxit. Turmis ad pugnam diſpoſitis, parum jam aberat à concurſu mutuo, cum ecce occultis magis (ut dicitur) ducum ſuſurris, quam [2] prolocutionibus publicis indultæ in dies plurimos induciæ in utroque exercitu voce præconia declarantur. Plane vox iſta multo gratius inſonuit auribus omnium, quam vox tubæ accendentis ad prœlium. Gentes [3] igitur, quæ paulo ante hoſtiliter fremebant, & [4] populus qui prius meditabantur inania, Deo propicio cum [5] incruento gaudio abiere in ſua. Rex autem Anglorum dimiſſo exercitu in Tranſmarinis regionibus morabatur, firmandæ magis pacis, quam ſuſcitandi furoris [6] bellici negotiis deditus. Olim enim pro ætate bellorum [7] pertæſus, nulla jam libidine, ſed ſola neceſſitate ad intentionem bellicam trahebatur.

1. E Caſtris *Edd. pr.* 2. Prælocutionibus *Edd. pr.* 3. Ergo *Edd. pr.* 4. Populi *Edd. pr.* 5. Ingenti *MS. Pic.* 6. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* belli. 7. *Ita quoque MS. Pic. Antea* proceſſus *pro* pertæſus.

De prærogativa terræ Jerosolymitanæ, propter quam totiens devorat habitatores suos.

CAP. XV.

1187. ANNO à plenitudine temporis, quo verbum caro factum est, M.C.LXXXVII. regnante in Alemannia Frederico, in Francia Philippo, in Anglia Henrico II. Urbano autem, qui Lucio successerat, sedi Apostolicæ præsidente, aggravata est manus Domini super terram Jerosolymitanam, &, secundum [1] Jeremiam, plaga inimici percussit eam castigatione crudeli. Civitas sancta, [2] in qua invocatum est nomen Domini à diebus antiquis, in qua sacræ prophetiæ floruerunt, in qua redemptionis humanæ insignia micuerunt, ex qua salutis in omnem mundi latitudinem sacramenta fluxerunt, (proh dolor!) incidit in manus gentis prophanæ & immundæ; terra sanctorum, qui à seculo sunt, prophetarum: terra Apostolorum, immo ipsius Domini & Salvatoris; quam scilicet incarnationis, & nativitatis suæ mysterio initiavit: conversatione sua, & prædicatione, signisque illustravit, passione sua, & sepultura, & resurrectione consecravit; ascensionis suæ triumpho, & adventu paracleti irradiavit; spurcissimus Saladinus occupavit, fidelium populis vacuavit, &, abrasis Christianæ religionis insignibus, immundissimæ sectæ suæ sacrilegiis prophanavit.

1. *Cap.* 30. P. 2. *Hier.* 25. P.

datum-

datumque eſt ei non ſolum os loquens ingentia, ſed etiam brachium faciens grandia adverſus Dominum, & adverſus populum Chriſti ejus. Nam de eodem populo impletum eſt illud Jeremiæ [1], immo dominicum per os ejus, [2] *Ejice illos à facie mea: & egrediantur, qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captivitatem, ad captivitatem.* Hujus autem miſerabilis & famoſi exterminii cauſam fuiſſe peccata, plus ſolito inundantia nemo debet ambigere. Et quidem ab initio in omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, regionibus, patientius divinitas peccata diſſimulaſſe noſcitur, quam in terra illa; quam utique gratia tantorum, tamque inſignium operum divinorum, quæ in ea mirabiliter patrata, vel patranda fuere, quadam (ut ita dicam) privilegiali neceſſitate ſanctam eſſe oportuit, aut non diu impunitam. Quippe hanc Deus elegit ab initio, illius præclariſſimæ dignationis ſuæ, quæ ſcilicet omnia divina longe antecellit opera, i. ſuæ incarnationis, & humanæ redemptionis, ſuo tempore nobilitandam miraculis. Horum ſane in ea ſuo tempore patrandorum gratia, ſingulare præ cunctis regionibus ſemper privilegium habuit, quod utique gratia eorundem jam patratorum cumulatius habere dinoſcitur. Inde eſt quod ſcriptura ſacra locis pluribus ejus prærogativam tam præclare commendat. Quod ſi

1. *Hierem. cap.* 15. P. 2. Eice *MS.*

vel ad opum gloriam, vel ad fructuum referas ubertatem: occurrit tibi verissima ratio, quod [1] utique in his plurimæ illi regiones æquentur, & quædam etiam præstent, nisi forte in his, quæ de India memorantur, vana sit fides. Ergo hoc solo præ cunctis terris inclita, vel olim fuisse, vel nunc esse dinoscitur, quod in ea & olim patrandum erat, & nunc patratum esse constat, illud humanæ redemptionis tam magnum & tam mirabile sacramentum. Nam si peculiari populo suo, id est, semini Abrahæ, terrenam hereditatem Deus propter excellentissimam fructuum fertilitatem largiri voluisset, in India potius, quam in Syria possessionem tribuisset. Nunc autem divina sua provisione populo ad hoc electo, ut ex eo humanæ redemptionis hostia suo tempore sumeretur, terram illam in possessionem dedit, quam ab initio elegerat, ut in ea eadem reconciliatrix hostia litaretur. Hujus rei gratia eandem terram specialiter suam [2] vocat: *terra*, inquiens, *non vendetur in perpetuum: quia mea est, & vos advenæ, & coloni mei.* Sane hujus terræ primi post diluvium incolæ fuere Cananei & Amorei, & cognati horum populi. Quos nimirum Dominus propter mores flagitiosissimos suo tempore disperdendos esse prævidens, adduxit illuc Abraham, generosæ stirpis patrem futurum, de Hur Chaldeorum: [3] *semini*, inquiens, *tuo dabo terram hanc.*

1. *Deest* utique *in Edd. priorib.* 2. *Levit.* 25. P. 3. *Genes.* 12. P.

Porro

Porro ipsi Abrahæ nec passum pedis, ut ait [1] Apostolus, dedit in ea. Quia, juxta vocem divinam, nondum completa erant peccata Amoreorum: id est, non tantum jam excreverant atque invaluerant, ut propter hæc à Deo indulgenter magis quam rigide peccata [2] pensata, iidem peccatores exterminari deberent. Itaque [3] à Deo præscio & justo, non rigido, peccatorum completio [4] patienter est exspectata: & exterminatio peccantium usque ad completionem peccatorum dilata. Idcirco Abraham illius terræ non est factus possessor, sed advena: porro semen ejus completis [5] jam peccatis Amoreorum accepit in possessionem terram eorum. Et ut eandem terram possideret Deo largiente, eosdem exterminavit impios Deo jubente. Num putamus hanc gentem peccatricem enormius peccasse, quam gentes ceteras orbis terrarum, scilicet ut illæsis ceteris sola exterminium pateretur? Certe orbem universum caligo erroris involverat; & nemo respectu divini judicii, quod utique nesciebat, vetabatur facere quod libebat. Non igitur gens illa ideo sola divini severitatem judicii experta est, quod ceteris gentibus sordidior fuerit; sed terram, clarissimis divinæ dignationis suo tempore nobilitandam miraculis, incolarum suorum tunc deformatam peccatis, eorundem incolarum extermi-

1. *Actor.* 7. P. 2. Pensante *Edd. pr.* 3. *Deest* à *in Edd. priorib.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* patientia. 5. *Deest* jam *in Edd. priorib.*

nio

nio expiari, & populo electo, id eſt, ſemini Abrahæ, ſacræ fidei habenti characterem, in hereditatem dari oportuit. Quamobrem eidem populo à Moyſe in [1] Deuteronomio dictum eſt: *Non propter juſtitias tuas ingredieris ut poſſideas terram iſtarum nationum: ſed propter impietates ſuas te introeunte deletæ ſunt, & ut impleret verbum ſuum Dominus, quod ſub juramento pollicitus eſt patribus tuis Abraham, Iſaac, & Jacob.* In Levitico [2] quoque filiis Abrahæ, divina voce [3] dicitur: *Ne polluamini in omnibus quibus contaminatæ ſunt gentes, quas ego ejiciam ante conſpectum veſtrum: à quibus polluta eſt terra, cujus ego ſcelera viſitabo, ut evomat habitatores ſuos.* [4] *Cavete ergo ne & vos ſimiliter evomat, cum paria feceritis, ſicut evomuit gentem, quæ fuit ante vos.* Ceteræ vero regiones tale privilegium non habentes, non ita devorant vel evomunt habitatores ſuos, cum effuſius peccatis ſorduerint: ſicut illa, quæ & ipſum ſemen Abrahæ, cui in hereditatem data erat, eo quod eam ſuorum enormitate facinorum deformaret, poſtmodum juſte evomuit. Et majorem quidem partem ejus, i. decem tribus, [5] irrevocabiliter extorres, duas vero tribus, i. tribum Juda, de qua ipſe Dominus ſecundum carnem naſciturus, & tribum Benjamin, quæ

1. *Cap. 9. ab auctore citandum interpolate.* Pic. 2. *V. C. hac & inſequenti caret periodo. Locus vero citatus eſt Levit.* 18. Pic. 3. Dicit *Edd. pr.* 4. *In Bibl. interpoſitæ ſunt duæ periodi. Utrum has auctor, vel librarius omiſerit arduum conjicere.* Pic. 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur,* irrev. ext. d. v. tribus.

vas

vas electionis editura erat, evomuit in Babylonem, [1] ſuo tempore revocandas. Quas [2] tamen poſtmodum, eo quod non cognoverint tempus viſitationis ſuæ, ſed deteſtabili veſania proprium peremerunt redemptorem, eadem terra jam in ea patratis divinis myſteriis inclita, ſeveriori judicio nunquam revocandas evomuit, Romanis Imperatoribus Veſpaſiano & Tito divinæ animadverſionis miniſtris. Exterminato autem carnali ſemine Abrahæ, quod [3] ita degenerabat, ut ei à Domino diceretur, *Terræ Sodomorum [4] remiſſius erit in die judicii, quam vobis*: conculcatum eſt à gentibus ſanctuarium Dei, uſque ad tempus religioſi Auguſti, Conſtantini Magni. Tunc enim terra ſancta [5] pio ejuſdem Principis ſtudio, à gentilium rituum ſordibus emundata, data eſt in hereditatem, & poſſeſſionem vero ſemini Abrahæ, id eſt, Chriſtianis, à quibus & poſſeſſa eſt annis multis uſque poſt tempora beati Gregorii. Tandem enim & hos habitatores ſuos, cum divinam contra ſe iracundiam peccatis excreſcentibus accendiſſent, terra ſancta, quæ ab eis maculabatur, devoravit, ſive evomuit, & contaminarunt eam Agareni habitatione ſua ſpurciſſima, uſque ad annum à plenitudine temporis, quo

1. *V. C. mancus erat in ſequentibus voculis.* Pic. 2. *Poſt hoc verbum* tamen *Codex MS. qui ab hiſce verbis cap.* 5. in fine claruit *&c. mancus erat, iterum rediit.* Twyſdenus. 3. *Matt.* 10. P. 4. Tolerabilius *Bibl. vulg. Sed auctor videtur prompſiſſe ex Luc.* 10. Pic. 5. Pro *Ed. Antv. male.*

verbum

1099. verbum caro factum est, M. XC. nonum. Tunc enim civitas sancta (ut [1] superius memoratum est) per militiam Christianam, ab Europæ partibus venientem, Agarenos habitatores evomuit, & impleta est etiam in hoc [2] illa Prophetia Noë [3]: [4] ***Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem.*** Quippe de Sem gentes Asiæ, de Japhet vero ortæ sunt gentes Europæ. Japhet ergo quodammodo habitationem accepit in tabernaculis Sem, quando homines Europæ, expulsis Agarenis, in provincia Asiæ Palestina habitare cœperunt. Fuit autem habitatio filiorum Japhet in terra sancta annorum circiter LXXXVII. hoc est ab anno à partu virginis M.
1099. nonagesimo nono usque ad annum M. centesi-
1187. mum octogesimum septimum. Tunc enim & ipsos peccatis eorum invalescentibus, atque ideo Agarenis prævalentibus (quod sine gemitu non dicimus) terra sancta more suo evomuit. Erant enim jam in Jerusalem & regno ejus, non, ut olim, [5] viri religiosi ex omni natione, quæ sub coelo est, sed ex omni gente Christiana facinorosi, luxuriosi, ebriosi, mimi, Histriones, hoc genus omne in terram sanctam, tanquam in sentinam quandam confluxerat, eamque obscenis moribus & actibus inquinabat. Ipsius quoque terræ novi indigenæ, quos [6] Pullanos

1. *L.* 1. *c.* II. P. 2. *Deest* illa *in Edd. priorib.* 3. *Genes.* 9. P. 4. Dilata *Ed. Pic.* 5. *Tempore Apost. Vide Actor.* II. Pic. 6. *Spectabis hos molles depictos in Orient. histor. Jacob. Vitri. cap.* 73. Pic.

vocabant,

vocabant, Sarracenorum infecti vicinia, non multum ab eis, vel fide, vel moribus discrepabant, atque inter Christianos & Sarracenos tanquam quidam neutri esse videbantur. Sic ergo terra Domini nostris temporibus ab advenis simul & indigenis inquinata, [1] utrosque tandem judicio Dei evomuit, & nunc tolerat gentem immundissimam Agarenos usque ad tempus, procul dubio & hos devoratura cum Deus voluerit. Sane à Christianis recepta est sub Papatu Urbani secundi, & recidit in manus Agarenorum sub Pontificatu Urbani tertii, LXXXVII. (ut dictum est) annis interlapsis. Quomodo autem hoc contigerit, plenius exponendum est: non quidem propter præsentes, quia res recentissimæ memoriæ est, & satis nota omnibus; sed ut ad posteros insignium malorum nostri temporis non superflua notitia, stili nostri ministerio transmittatur.

De Guidone Rege Jerosolymorum.

CAP. XVI.

NOVENNIS [2] igitur puer post avunculum in regno Jerosolymorum unctus in Regem, paulo post rapitur ex hac vita, infectus, ut putatur, arte venenata tutoris proprii, Comitis scilicet Tripolitani. Qui nimirum, cum esset vir magnus & potens, & propinquus Re-

1. Et utrosque *Edd. pr.* 2. Ergo *Edd. pr.*

gum priorum, aſpirabat ad Regnum; quod ſcilicet, ſublato, quem nutriebat, puero, facile ſibi ceſſurum ſperabat. Verum Patriarcha & pars Optimatum terræ cum militia templi & hoſpitalis, matri extincti pueri, filiæ ſcilicet illuſtriſſimi Regis Amalrici, tanquam propinquiori & juſtiori heredi, regnum dederunt, indignum tamen matrimonium ejus [1] cauſati. Nam tempore fratris Regis voto proprio ſecundas contraxerat nuptias cum homine peregrino, Guidone ſcilicet quodam [2] Pictavenſi, qui à facie Regis Anglorum Henrici ſecundi de Aquitania fugerat, & Regi Jeroſolymorum egregie militabat. Illa vero munitionibus urbibuſque potita, Templariis cum Patriarcha annitentibus, viro proprio diadema Regium tradidit. Unde ſupra modum indignati ſunt Optimates, nec æquanimiter pati potuere hominem peregrinum, & qui non eſſet de ſtirpe Regum, levari [3] ſuper capita ſua, cum de ſemine regio ſuppeterent, à quibus regnum (ut credebant) decentius & magnificentius regeretur. Eorum quidem plurimi, diſſimulata pavide vel callide ira, pro tempore ſiluere, & Principi extraordinario ſpecie tenus paruere, ſub exſpectatione apti temporis, quo à ſuis cervicibus jugum ejus excuterent. Verum Comes Tripolitanus, quem ira fortior ſtimulabat, propriis vel viribus vel artibus fretus, manifeſte obſtitit, & jugum ejus vel ficte

1. Cauſanti *MS. noſter.* 2. Pictavienſi *Edd. pr.* 3. Supra *Edd. pr.*

ſuſcipere

ſuſcipere cum ceteris recuſavit. Cumque à regia potentia impeteretur fortiter, & ſubdi cogeretur, propter virium inſufficientiam propriarum, imploravit, & facile impetravit auxilium Saladini, callide inter partes fovendo diſcordias, vires frangere molientis Chriſtianas. Mox menſe Maio à parte Tyberiadis, quam ipſe tunc poſſidebat, immiſit Turcorum copias finibus Chriſtianis. Qui congreſſi cum quadam parte militiæ Templi, facta noſtrorum ſtrage non modica, onuſti ſpoliis victores abiere. [1] Verum non multo poſt idem Comes ſimulatam, ut poſtea claruit, amicis mediantibus cum Rege pacem fecit. Nam & ipſe, & fere univerſi terræ Optimates ex multa indignatione occultum cum Saladino fœdus percuſſerant, cui etiam [2] (ut dicitur) pacti fuerant, quod Regem Chriſtianum in manus ejus traderent, quibus ipſe viciſſim [3] pactus eſſe dicitur, quod hoc facto non inquietaret eos, quo minus liberam regni Jeroſolymitani diſpoſitionem haberent. [4] Percuſſerant plane fœdus cum morte, & cum inferno fecerant pactum, per hoc putantes flagellum [5] inundans, cum tranſiret per ceteros, ſuper ſe non venturum. Verum conſequentia docuerunt, ſacram illam in eis egregie Prophetiam impletam: [6] *Delebitur fœdus* [7] *veſtrum cum*

1. Verum multo poſt *Edd. pr.* 2. Ut dictum eſt *Edd. priores.* 3. Pactus eſt, ut *MS. Pic.* 4. *Accommodavit Eſaiæ verba de Judæis c. 28.* Pic. 5. Mundans *& hîc & inferius in Ed. Ant. male.* 6. *Eſai. ſup. ſed interciſis aliquot voculis productus.* Pic. 7. Noſtrum *Edd. pr.*

 morte,

morte, & pactum [1] vestrum cum inferno non stabit: flagellum inundans cum transierit, eritis ei in conculcationem, & sola vexatio dabit intellectum.

De prœlio quo [2] exercitus periit Christianus, & captus est Rex cum sancta cruce.

CAP. XVII.

IGITUR Saladinus cum LXXX. ut fertur, milibus equitum & eo amplius solito fiducialius fines Christianos ingressus, civitatem Tyberiadem mox irrupit, & munitionem castri, [3] qua se domina loci cum militibus paucis receperat, oppugnavit. Quibus Rex cognitis, cum summa celeritate Christianum undecunque contraxit exercitum. Et quidem Reges priores processuri ad prœlium, urbibus & castellis sufficientia munimina relinquebant; ne scilicet regnum ancipiti periculo exponerent, si ejus ossa medullis propriis, id est, urbes & castella necessariis præsidiis vacuarent. Inde est quod cum sæpius fuerint ab hostibus prœlio superati, nunquam tamen usque ad regni exterminium periclitati fuisse noscuntur. Rex autem ad Christiani regni excidium institutus à femina, ne ab hoc tam grandi malo esset innocens femina, fortissimo præcepit edicto, ut omnis populus quasi vir unus egrederetur ad prœlium, in tan-

---

1. Nostrum *Edd. pr.* 2. Periit exercitus Chr. & quomodo captus est *Edd. pr.* 3. Quo *Edd. pr.*

tum,

tum, ut executores à Rege directi, [1] cum ſanis ægros tanquam ad abſterrendum numero Saladinum exire compellerent. Itaque egreſſis omnibus ad victimam magis quam ad pugnam, cum pauci languidiſſimi cum mulieribus & parvulis in urbibus remanerent: ad unius prœlii eventum totum præclarum illud regnum Jeroſolymitanum pendebat. Comes autem Tripolitanus, cum eſſet exercitui Chriſtiano prævius, tanquam gnarus locorum duxit eum de induſtria (ut creditur) in locum ſaxoſum, tantaſque anguſtias, ut mox periclitari inciperet. Cumque hoſtes ita coartatis undique imminerent, de Procerum conſilio ſtatuit Rex quocunque modo erumpere, & prœlio cum hoſtibus decertare. Primis [2] igitur ictibus militiæ Templi conceſſis, exercitum, prout oportuit, per turmas ad prœlium ordinavit. Templarii vero robuſtiſſimo in hoſtem impetu procurrentes, [3] primarum hoſtilium turmarum [4] condenſitatem ruperunt, & earum vel ſtragem, vel fugam fecerunt. Verum tunc demum noſtrorum neſanda proditio, & nefaria cum hoſte colluſio claruit. Comes enim Tripolitanus, ceterique Optimates, cum turmis ſuis, ſpreta diſpoſitione regia, præclaram illam Templi militiam, hoſtes fortiter proterentem, dum non ſequerentur, periclitari fecere, atque ita Templarii conſertiſſimis hoſtium cuneis nul-

1. Tam ſacros quam ægros *MS. Pic.* 2. Ergo *Edd. pr.* 3. Primariam *MS. Pic.* 4. Denſitatem *Edd. priores.*

lo ſequente immerſi, illico vel victima, vel præda fuere. Cumque exercitus noſter in loco inaquoſo æſtu & ſiti deficeret, de caſtris [1] ſex ſceleratiſſimi milites ad Saladinum transfugerunt, & abjurata lege Chriſtiana noſtrorum myſteria prodiderunt. Quibus agnitis, Saladinus noſtros, quos locorum magis expugnabat malitia, modis omnibus cenſuit impetendos. Qui cum pene uſque ad internecionem cæderentur, Rex tandem fugam arripuit. Quem Tokedinus, Saladini nepos, perſequens, cum cruce ligni dominici comprehendit. Cæſus eſt vel captivatus fere totus exercitus Chriſtianus, paucis fuga elapſis. Milites templi & hoſpitalis, quos in campo non voraverat gladius, ab aliis ſegregatos captivis, Saladinus coram ſe [2] decollari præcepit, atque hac exoptatiſſima voluptate proprios pavit aſpectus. In Reginaldum quoque de Caſtellione, virum Chriſtianiſſimum, & tam armorum gloria, quam animi nobilitate celeberrimum, qui Principatum olim Antiochenum ſtrenue [3] adminiſtravit, & tunc finibus in Arabia Chriſtianis egregie præſidebat, odium proprium tyrannus declaravit: quem ſcilicet ferociſſime interrogatum, & conſtantiſſime, prout tantum decebat virum, reſpondentem, manu propria trucidavit, voluptati ſuæ plurimum æſtimans deperire, ſi alius etiam coram ſe tam

1. Noſtris *addit MS. Pic.* 2. *Jacob. Vitria. c. 96. hiſt. Orient. Subſcribit & Joan. Fraſquet. in Chron.* Pic. 3. Adminiſtraverat *MS. Pic.*

pretio-

pretiofum effunderet fanguinem. Comes autem Tripolitanus cum fuis complicibus fugit è prœlio; Turcis eos (ut dicitur) nec attingere curantibus.

Quomodo Saladinus occupavit terram promiffionis cum fancta civitate.

CAP. XVIII.

CUM [1] igitur victor exercitus cædibus fatiatus poft bellum ad prædam converfus ingentia peremptæ vel [2] captivatæ multitudinis fpolia diripuiffet, tyrannus cruentiffimus cum omnibus copiis florentiffimam civitatem [3] Tholomaidam, quæ nunc Acra dicitur, adiit, quam præfidiis (ut fupra dictum eft) vacuatam, & fruftra imbelli vel ætati vel fexui creditam, illico obtinens, nova ex cædium fatietate clementia inventam in ea multitudinem illæfam abire permifit. Tunc converfus ad reliquas urbes & oppida, omne robur terræ Jerofolymitanæ, præter ipfam fanctam civitatem, & Tyrum, & Afcalonam minimo & incruento negotio in poteftatem redegit. Nam quoniam univerfa urbium & caftellorum præfidia unius [4] prœlii cafus abraferat, in obtinendis præclaris, & fola fame expugnabilibus Chriftianorum munitionibus, nulla fe fortunatiffimo tyranno

1. Ergo *Edd. pr.* 2. Captivæ *Edd. pr.* 3. Ptolemaida *Edd. priores.* 4. Belli *Edd. pr.*

difficultas

difficultas oppoſuit. Sanctam quoque civitatem idem furoris divini Malleus adiit. Patriarcham & populum metu languidum ad deditionem coëgit, vita & libertate indulta, ut titulo ſe clementiæ inſigniret: armis & pecuniis nudato; dimiſit. Civitatem [1] pompatice ingreſſus, eccleſias ſpoliatas profanavit, formam vexilli dominici ludibrio habitam & fuſtigatam confregit; templum vero Domini, quod & ipſis Sarracenis ſemper venerabile fuerat, ſolemniter aqua roſea, tanquam [2] à Chriſtianis ſordibus expians, ſacrilegis ritibus dicavit. Sepulchri vero dominici aliquantulam reverentiam habuit, quod, omni quidem aureo vel argenteo ornatu ſublato, Syros illius terræ indigenas Chriſtianos cuſtodire præcepit, edictum adjiciens, Ne quis alienus irreverenter accederet. Debilium quoque in famoſiſſimo illo hoſpitali [3] beati Joannis decumbentium, ſive humanitus, ſive pro gloria miſericordiam habuit: eorumque donec vel morerentur, vel convaleſcerent, curam haberi voluit, quibuſdam ex fratribus hoſpitalariis hanc operam ſecure & libere [4] exequendam committens. Hæc Jeroſolymis proveniſſe [5] noſcuntur, à diro illo prœlio, quo populus Chriſtianus interiit, tribus fere menſibus

1. *Vide Notas.* P. 2. *Deeſt* à *in Edd. priorib.* 3. Sancti *Edd pr.* 4. *Deeſt* exequendam *in Edd. priorib.* 5. *Sic diſtinguimus cum Cod. noſtro MS. Deeſt comma poſt* noſcuntur *in Edd priorib.*

elapſis.

elapſis. Quippe [1] infra octavas beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum factum eſt illud Chriſtianæ plebis excidium, & circa ſolemnia beati Archangeli Michaëlis facta eſt deditio ſanctæ civitatis. Aſcalona quoque urbs nobilis, in quam poſt prœlium, propter excellentem ejus firmitatem, multi confluxerant, & armorum ſive victualium copiam fruſtra congeſſerant, poteſtatem tyrannicam non evaſit: quam ſcilicet infeliciſſimus ille Rex Jeroſolymorum, qui captus in prœlio fuerat, pro ſua liberatione reſignavit. Jamque ſola urbium Paleſtinæ urbs inſignis Tyrus Dominationem aſpernabatur hoſtilem: olim aſſueta ſummis reſiſtere Regibus. Nam, ut produnt hiſtoriæ, antiquum illum fortiſſimumque Regem Nabuchodonoſor prius, & poſtea Magnum illum Alexandrum multo labore [2] exercuit. Quæ nimirum ea facilitate, qua urbes ceteræ, in manus incidiſſet hoſtiles, niſi cœleſtis quædam proviſio intentioni tyrannicæ obviaſſet, juxta illud [3] Eſaiæ: *Quomodo ſi inveniatur granum in botro, & dicatur, ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt: ſic faciam propter ſervos meos, ut non diſperdam totum.* Plane Dominus propter ſervos ſuos, ut ſcilicet Chriſtianis in terram illam venturis aptum non deeſſet receptaculum, totum, licet & hoc excreſcentia temporis noſtri

1. *Jacob. Vitriac. c. 96. hiſt. Orient.* in feſto Tranſlationis S. Martini: *ſed paria ſunt. Hic enim dies contingit intra Octavas Apoſtol.* Pic.
2. *Quam tamen cepit, teſtib. Trogo Pom. apud Juſt. l.* 11. *& Arrian. l.* 11. P. 3. *Cap. 65.* P.

peccata exigerent, diſſipare vel diſperdere noluit, ſed urbem hanc tanquam granum botri modicum pro benedictione non modica Chriſtianis ſervavit. Modum autem, quo ſervata eſt, Chriſto propicio ſatis notum præſentibus, noſtra propter poſteros non debet narratio præterire.

Quomodo Conradus Marchio munivit Tyrum, & de interitu Comitis Tripolitani.

CAP. XIX.

MARCHIO [1] igitur de monte Ferrato, vir inter primos Romani Imperii magnus & potens, Jeroſolymam orandi ſtudio venerat, terra poſſeſſionis [2] propriæ filio Conrado commiſſa. Cumque ibidem pia devotione per [3] multos dies conſiſteret, & Omnipotenti Deo in defenſione [4] ſanctæ terræ propriis ſumptibus [5] ſedulo miniſtraret; in bello, quo eadem terra tradita eſt in manus [6] Impii, cum aliis nobilibus captus eſt ab Agarenis. Ipſo tempore memoratus junior Marchio, & ipſe oraturus, patrique aſtiturus, cum agmine virorum fortium Jeroſolymam properabat. Factum eſt autem die [7] tertio poſt captam [8] Tholomaidam, ubi naves Chriſtianæ

1. Ergo *Edd. pr.* 2. Proprio *Edd. pr.* 3. *Deeſt* multos *in MS. noſtro.* 4. *Deeſt* ſanctæ *in MS. Pic.* 5. *Deeſt* ſedulo *in Edd. priorib.* 6. *Antea quidem ſcriptum erat* imperii. *Sed & MS. auctoritas, & rei ſeries poſtularunt, ut reponeretur* Impii, *ſcilicet Saladini.* Pic. *Et quidem* impii *legitur in Cod. noſtro.* 7. Tertia *Edd pr.* 8. Ptolemaidem *MS. Pic.*

appli-

applicare consueverant, ut idem Marchio cum suis [1] appropians, ex alto pelago immutatam adverteret, & caute notaret faciem civitatis. Nam nec Christiana [2] jam insignia, quæ mox abominatio hostilis abstulerat, ex templorum vel turrium fastigiis procul aspicientibus refulgebant: nec campanæ (uti mos fuerat peregrinis portui appropinquantibus,) concrepabant. Unde intellexit vir prudens, eandem civitatem in manus incidisse hostiles. Flexo [3] igitur cursu Tyrum adiens ibidem applicuit: invenitque omnes Tyrios mœstitudine atque formidine ita attonitos, ut animis labefactis tyranno mox affuturo, exemplo [4] Tholomensium, civitatem tradere cogitarent. Verum ad tanti hospitis ingressum, resumpto aliquantulum spiritu, [5] cum ei miserabilem Christianorum cladem indicassent, ejus, tanquam ad tantillarum reliquiarum divinitus directi solatium, salubri se consilio crediderunt. Ille vero, cum esset prudens atque magnanimus, omnes à minimo usque ad maximum sacramento astrinxit, quod ei omnium curam gerenti fideliter parerent in omnibus, sapienter allegans, nihil agi posse, nisi sub [6] uno Principe, & provisore, cuncti essent unanimes. Quo facto, civitatem, cooperantibus omnibus, solli-

---

1. Appropinquans *Edd. pr. Recte vero è Cod. nostro* appropians. *Quam vocem & infra etiam l.* IV. *c.* 10. *è Cod. eodem eruimus.* Appropiare *idem valet apud Scriptores mediæ Latinitatis quod* propius fieri. 2. *Deest* jam *in Edd. priorib.* 3. Ergo *Edd. pr.* 4. Ptolomaidensium *Edd. pr.* 5. Cum & mis. *Ed. Antv.* Tam ei *quam & omittit Ed. Pic.* 6. Principe uno *Edd. pr.*

 cite

cite muniebat. Sequenti die Comes Tripolitanus & Reginaldus Sidonius [1] quasi causa refugii vel tuendæ urbis advenientes, cum fuissent intra moenia cum paucis admissi, & frustra vel sollicitare populum, vel arcem præoccupare niterentur, mature deprehensi, ægre effugerunt, suorum aliquot in urbe relictis, quos zelus Marchionis, tanquam Christiani nominis manifestos proditores, suspendio damnavit. Cum autem memoratus Comes, & complices [2] sui viderent Saladinum rupta fide pactorum Jerosolymitano regno incumbere, idque expulsis indigenis, populo proprio dividere in possessionem: tunc demum vexatione dante intellectum, intelligere potuere, [3] fœdus, quod cum morte percusserant, judicio Dei deletum, & pactum, quod cum inferno fecerant, eadem judicii severitate non stare, seque flagello inundanti & transeunti juste fieri in conculcationem. Idem ergo Comes seram agens pœnitentiam, ad urbem propriam est reversus; & ex doloris vehementia in amentiam versus horrenda morte defecit. Complices quoque ejus (ut dicitur) non morbus aut senium, sed confusionis & doloris intolerantia, de terra quam prodiderant, in brevi erasit. Cives autem Tripolitani matura propter dies malos deliberatione Boamundum Antiocheni Principis filium,

---

1. *Desunt* quasi c. r. vel t. urbis *in Edd. priorib.* 2. Ejus *pro* sui *in Edd. priorib.* 3. *Verba sunt Esai. lepide apposita.* Pic.

laudatæ

laudatæ fortitudinis & prudentiæ juvenem, Dominum ſibi delegerunt: ſub cujus regimine Tripolitana regio remiſſius noſcitur infeſtata à Turcis. Dicitur enim & creditur Saladinus, cum alias totis viribus debacchatus ſit, Tripoli & finibus ejus pepercíſſe, propter jusjurandum, quod fuerat inter ipſum & Comitem Tripolitanum.

De obſidione Tyri, [1] *& reditu Regis de captione.*

CAP. XX.

JEROSOLYMA igitur ceteriſque urbibus præter Tyrum celeri deditione receptis, Saladinus eandem urbem ſub Conrado Marchione fiducialiter agentem obſedit. Quæ nimirum juxta fidem hiſtoriarum veterum olim inſula, nunc autem Alexandri Magni arte ſimul & opere continens, tota fere [2] mari ambitur, portu gaudens tutiſſimo. Quapropter tyrannus, ne mare pervium eſſet obſeſſis, claſſe circa urbem diſpoſita, modis eam omnibus, qua parte maris non prætendit obicem, ſtuduit oppugnare. Marchio vero & ſui, caventes, ne forte Italicarum navium, quibus à Sicilia & Apulia urbi ſubſidia inferebantur, interciperetur commeatus, præparatis opportune navibus quas in proprio portu habebant, navali prœlio ſtatuerunt cum hoſtili claſſe confligere. Quod & factum

---

1. Et captivi Regis reditu *Edd. pr.* 2. Mare *Cod. noſter MS.*

eſt

eſt Deo propicio, & cæſa vel ſubmerſa multitudine hoſtium [1] naves nonnullas ceperunt. Ceteri vero, ſpectante Saladino, naves, ut evaderent, littoribus alliſerunt. Quo caſu ita eſt conſternatus, ut incenſis machinis & ſoluta obſidione diſcederet, nihil ulterius contra eandem urbem auſurus. In fines mox Antiochenos debacchantem convertens tyrannidem, Principem Chriſtianum in tantum attenuavit atque [2] infregit, ut capta Laodicea reliquiſque urbibus juris ejus, raram illi poſſeſſionem extra muros Antiochenos relinqueret. Ipſam quoque maximam civitatem ita coartavit, ut ab exterritis civibus pactum extorqueret, quod ad diem certum urbem reſignarent, niſi forte major ex Europa exercitus [3] ſuperveniens id fieri prohiberet. [4] Porro noſtri apud Tyrum ſub Marchione proſperabantur & roborabantur in dies, confluentibus ad eos [5] plurimis ex Chriſtianis provinciis Tranſmarinis. Rex quoque Siciliæ competens illis ſubſidium direxit. Unde factum [6] eſt ut plerumque ad prædam longius excurrerent, rebuſque fortiter & proſpere geſtis, onuſti manubiis remearent. Et cum forte in præda captivus inſignior Marchioni obtigiſſet, eundem laudabili providentia patre mutavit, qui (ut dictum

1. *Jacob. Vitria. c. 97. hiſt. Orient. ſcribit multas naves Saladini ſuccenſas à Marchione.* Pic. 2. Fregit *Edd. pr.* 3. Subveniens *Edd. pr.* 4. *Eadem eodem ſeculo retulit monachus Altiſſiodor. in Chron.* Pic. 5. Plurimis Chriſtianis Tranſmarinis *Edd. pr.* 6. Eſt plerunque, ut ad *Edd. pr.*

eſt) captus in prœlio maximo infeliciter apud hoſtes vivebat. Rex vero Jeroſolymorum, modo ſuperius memorato de captivitate reverſus, noſtris impedimento magis quam ſolatio fuit. Cum enim Tyrum, tanquam jus Regium, à Marchione repoſceret, & Marchio urbem, tanquam ab ipſo, æque ut cetera, hoſtibus expoſitam, à ſe autem cum multo labore ſervatam, modis illi omnibus denegaret, ſeceſſit Tripolim, &, aggregatis ſibi plurimis, Marchioni erat infeſtus. Illis itaque hoc modo diſceptantibus, & aliis quidem [1] pro iſto, aliis vero pro illo æmulantibus, res Chriſtianæ in Syria minus procedebant. In qua re advertere eſt, quam ſubtili aſtutia Saladinus, immo in Saladino diabolus eundem Regem, qui [2] totius ab initio turbinis & cladis occaſio fuerat, de captivitate emiſerit, Chriſtianis, proculdubio ſub ſpecie recti, profectibus opponendum. Quod cum in illa diſceptatione ex parte claruerit, in [3] hiis certe, quæ conſecuta noſcuntur, magis claruit.

De morte Urbani Papæ, & inſtitutione Gregorii.

CAP. XXI.

DUM in Oriente circa populum Chriſtianum talia gererentur, Urbanus Papa Romanus extremæ ſorti ſubjacuit, & ſucceſſit

1. Pro iſto, & aliis pro illo *Edd. priores.* 2. Ab initio totius *Edd. pr.* 3. His *Edd. pr.*

ei

ei venerabilis Albertus, ejuſdem [1] Cancellarius, dictuſque eſt Gregorius, [2] vir plane & ſapientia & vitæ ſinceritate conſpicuus, æmulationem Dei habens in omnibus ſecundum ſcientiam, & ſuperſtitioſarum conſuetudinum, quarum in eccleſia per quorundam ruſticam ſimplicitatem citra ſcripturarum auctoritatem multitudo inolevit, reprehenſor acerrimus, unde à quibuſdam minus diſcretis putatus eſt [3] turbato per nimiam abſtinentiam cerebro delirare. Sane cum in Oriente illud Chriſtianæ plebis exterminium, atque irruptio ſanctæ civitatis ſub Pontificatu Urbani contigerint, eidem tamen datum eſt, tantæ infelicitatis fama minime ſauciari. Rerum quippe infra octavas Apoſtolorum Petri & Pauli infeliciter geſtarum nuncii circa feſtivitatem beati Lucæ Evangeliſtæ ad Apoſtolicam ſedem venerunt, Urbano paulo ante ex hac luce ſubtracto, & mature ſubſtituto Gregorio. Qui venerabilis Pontifex, triſti nuncio perculſus, ingemuit, & vi doloris anxius, tam enormem Chriſtiani nominis jacturam inconſolabiliter deploravit. Aliquod tamen remedium adhibere, & tanto malo, ne latius ſerperet, pia proviſione occurrere ſatagens, hanc illico in orbem Chriſtianum direxit epiſtolam.

---

1. Sedis *inſerit MS. Pic.* 2. *Iiſdem pingitur coloribus à Monacho Altiſſiodo. Jacob. Vitri. cap.* 99. *Orient. hiſtor. Joan. Fraſquet. in Chron.* Pic. 3. *Deeſt* turbato *in Edd. priorib.*

Epiſtola

Epistola Gregorii Papæ.

"GREGORIUS, servus servorum Dei, Universis Christi fidelibus ad quos litteræ istæ "pervenerint, Salutem & Apostolicam benedictionem. Audita tremendi severitate judicii, quam super terram Jerosolymitanam divina manus exercuit, tanto sumus nos, & fratres nostri horrore confusi, tantis afflicti doloribus, ut non facile nobis occurreret, quid "dicere aut facere deberemus, nisi quod Psalmista deplorat & dicit: [1] *Deus venerunt gentes "in hereditatem tuam, &c.* Ex occasione quippe "dissensionis, quæ suggestione Diaboli facta "est nuper in terra, accessit Saladinus cum multitudine armatorum ad partes illas, & occurrentibus Rege & episcopis, Templariis & hospitalariis, baronibus & militibus, cum populo "terræ & Cruce dominica, per quam ex memoria & fide passionis Christi qui pependit, & "genus humanum [2] redemit in ea, certum sibi "contra Paganorum incursus solebat esse tutamen, facta est congressio inter eos, & superata parte nostrorum capta est crux dominica, "trucidati Episcopi, captus est Rex, & universi "fere aut [3] occisi gladio, aut hostilibus manibus "deprehensi: ita ut paucissimi per fugam dicantûr elapsi. Ipsi quoque Templarii & hospitalarii in ejusdem sunt occulis decollati. Nos

1. *Psal.* 78. P. 2. In ea redemit *Edd. pr.* 3. Cæsi *Edd. pr.*

"autem licet cum Propheta [1] dicere habeamus, "*Quis det oculis meis fontem lacrimarum, & plorabo* "*die ac nocte interfectos populi mei?* non tamen "adeo nos dejicere debemus, ut in diffidentiam "decidamus, & credamus, Deum ita populo "ſuo iratum, ut quod communium faciente "multitudine peccatorum fieri permiſit iratus, "non cito per miſericordiam pœnitentia pla-"catus allevet, & poſt lacrimationem, exſulta-"tionem inducat. Quiſquis ſane in [2] tanta lu-"gendi materia non luget, non tantum fidei "Chriſtianæ, ſed ipſius etiam humanitatis vide-"tur oblitus; cum ex ipſa periculi magnitudine "[3] ac feritate barbarica Chriſtianorum ſangui-"nem ſitiente, ac totam ſuam in hoc [4] appo-"nente virtutem, ut [5] prophanet ſancta, & cul-"tum Dei auferat de terra, quod nos tacemus, "diſcretus quiſque valeat æſtimare. Sane cum "prophetæ prius, ac poſtmodum Apoſtoli la-"boraverint, ut divinus cultus eſſet in terra illa, "& ad omnia climata mundi ex ea [6] deflueret; "immo, quod maximum & ineffabile eſt, Deus, "qui ibi voluit ſalutem operari, per ſeipſum "ad hoc dignatus ſit laborare, nec lingua di-"cere, nec ſenſus cogitare poteſt quantum no-"bis & univerſo populo [7] Chriſtiano dolendum "ſit, quod nunc id perpeſſa eſt terra illa, quod

1. *Hierem.* 5. P. 2. Tanti *MS. noſter.* 3. Et *Edd. pr.* 4. Ponente *Edd priores.* 5. Prophanare *MS. noſter.* 6. Diffluerct *Edd. priores.* 7. *Sic etiam MS. Pic. Antea ommittebatur* Chriſtiano.

"ſub

"ſub veteri populo legitur pertuliſſe. Nos au-"tem credere non debemus, quod ex injuſtitia "ferientis judicis, ſed iniquitate potius populi "delinquentis iſta [1] provenerint. Terra illa "devoravit habitatores ſuos, & nec diu habere "quietum ſtatum, nec tranſgreſſores legis di-"vinæ potuit retinere. Porro [2] nos in tanta "contritione terræ illius, non ſolum peccatum "habitatorum ejus, ſed & noſtrum, & totius "populi Chriſtiani debemus attendere, ac ve-"reri, ne quod reliquum eſt terræ illius depe-"reat, & in alias etiam poteſtas infidelium de-"ſæviat regiones; cum ex omnibus partibus in-"ter Reges & Principes, civitates & civitates, "diſſenſiones audiamus & ſcandala, & cum Pro-"pheta dicere valeamus: [3] *Non eſt veritas, non* "*eſt ſcientia Dei in terra: furtum & mendacium,* "[4] *homicidium & adulterium inundaverunt, & ſanguis* "*ſanguinem tetigit.* Cogitate itaque filii, qua-"liter tranſeant univerſa, & pariter tranſeatis "& vos: & date [5] veſtra, date quoque vos ipſos, "non in exterminium, ſed in conſervationem "ei, à quo & vos & veſtra omnia recepiſtis; "nec dicimus dimittite, ſed præmittite in cœ-"leſte horreum quæ habetis: & reponite apud "eum, [6] apud quem ærugo non demolitur aut "tinea, nec fures effodiunt aut furantur, labo-

1. Provenerunt *Edd. pr.* 2. *Deeſt* nos *in Edd. priorib.* 3. *Oſee* 4. P. 4. Et homicidium, & adult. *Edd. pr.* 5. Veſtra, & date *Edd. priores.* 6. *Matth.* 6. P.

"rantes ad recuperationem terræ illius, in qua "pro ſalute noſtra [1] veritas de terra orta eſt, & "ſuſtinere pro nobis [2] crucis patibulum non de-"ſpexit. Et exemplo veſtro alios exhortamini, "ut ad ponendas pro fratribus animas confor-"tentur, & à vobis addiſcant, qualiter in obſe-"quium creatoris ſui & perſonas & ſubſtantias "ſuas impendant, recolentes non eſſe novum "quod terra illa judicio divino percutitur; ſed "nec eſſe inſolitum, ut flagellata & caſtigata "miſericordiam conſequatur. Poterat quidem "Dominus ſola eam voluntate ſervare, ſed non "habemus ei dicere cur ita fecerit. Voluit enim "forſitan experiri,& in notitiam ducere aliorum, "ſi aliquis ſit intelligens aut requirens Deum, "qui oblatum ſibi tempus pœnitentiæ hilari-"ter amplectatur, & animam ponendo pro fra-"tribus, conſummetur in brevi & compleat "tempora multa. Eis autem, qui corde con-"trito & humiliato ſpiritu laborem itineris hu-"jus aſſumpſerint, & in pœnitentia peccato-"rum, & fide recta deceſſerint; plenam ſuo-"rum criminum indulgentiam, & vitam polli-"cemur æternam. Sive autem ſupervixerint, "ſive mortui fuerint, de omnibus peccatis ſuis, "de quibus rectam confeſſionem fecerint, im-"poſitæ ſatisfactionis relaxationem de Omni-"potentis Dei miſericordia, & Apoſtolorum "Petri & Pauli auctoritate, & noſtra ſe nove-

1. *Pſal.* 84. P. 2. Patibulum crucis *Edd. pr.*

"rint

"rint habituros. Bona quoque, [1] ex quo cru-"cem acceperint, cum ſuis famulis ſub ſanctæ "Romanæ eccleſiæ, [2] nec non & Archiepiſco-"porum, Epiſcoporum, atque aliorum Prælato-"rum Eccleſiæ protectione conſiſtant; & nul-"lam de [3] hiis quæ in ſuſceptione [4] crucis qui-"ete poſſederunt, donec de ipſorum reditu vel "obitu certiſſime cognoſcatur, ſuſtineant quæ-"ſtionem; ſed bona eorum integra interim ma-"neant & quieta. Ad dandas quoque uſuras, ſi "tenentur alicui, reddere non cogantur. Nec "eant in veſtibus pretioſis & cum canibus ſive "avibus aut aliis quæ oſtentationi potius [5] & "laſciviæ, quam neceſſariis videantur uſibus de-"ſervire, ſed modeſto apparatu & habitu, in "quo pœnitentiam potius agere, quam inanem "affectare gloriam videantur. [6] Data [7] Feren-"tini IIII^to^. Cal. Novembris."

De tranſitu Gregorii Papæ.

CAP. XXII.

HAC igitur Epiſtola in orbem directa, idem reverendus Pontifex piæ ſollicitudinis inſtinctu Piſas contendit, Piſanos & Januenſes, jugi & inveterata diſcordia diſſidentes, Deo auctore reconciliaturus, vel ferales illas ini-

1. Ipſorum *addit MS. Pic.* 2. Nec non Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum *Edd. pr.* 3. His *Edd. pr.* 4. Sanctæ *addit MS. Pic.* 5. Aut *Edd. pr.* 6. *Harum literarum meminit nominatim Abbas Uſperg. in Chron.* Pic 7. Ferentinæ *MS. noſter.*

inimicitias protensioribus saltem induciis suspensurus; ut, sublatis vel ad tempus sepositis studiis partium, uterque populus (quorum & opes amplissimæ, & vires erant terra marique ingentes) in Christianæ expeditionis communiter accingeretur negotium. Pisas [1] ergo ingressus, primos Januensium evocavit, & secundum datam sibi sapientiam, cooperante Pontificali reverentia feroces hinc inde animos sedare curavit. Cumque per religiosam [2] ejus operam opus pacis procederet, jamque arripiendi melioris propositi meditatione inveteratæ illæ ferocium populorum languescerent simultates, febre correptus post dies paucissimos apud Pisas valedixit huic mundo, bonis pastoribus, ut de tali viro credi fas est, sociandus in cœlo. Cui successit Clemens, ibidem electus & inthronizatus, qui jacta [3] pacis semina pio studio fovit & ad fructum perduxit.

Quomodo Reges crucem acceperunt cum nobilibus plurimis.

CAP. XXIII.

SANE tristis ille rumor rerum in Oriente male gestarum, orbem [4] in brevi pervagatus, omnium quidem Christianorum cordibus

---

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* quoque *pro* ergo. 2. Illius *Edd. pr.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebatur* pacis. 4. *Ita quoque Edd. pr. Antea omittebantur* in brevi.

stuporem

ſtuporem & horrorem invexit; multorum autem id ipſum tanquam præclara quædam exercendæ virtutis occaſio ad æmulandum animos erexit. [1] E quibus Richardus Comes [2] Pictavenſis Regis Anglorum filius, & ſucceſſor futurus, nuncium forte [3] hujuſcemodi inclinato jam die accipiens, abſque ulla deliberatione laudabile propoſitum toto mox pectore combibit; & ſummo, ut dicitur, mane in argumentum futuræ peregrinationis & expeditionis, [4] characterem dominicum ſolemniter accepit. Quo audito pater ſiluit uſque ad filii adventum. Et cum adeſſet poſt dies aliquot; me, inquit, inconſulto rem tam arduam [5] arripere minime debuiſti. pio tamen propoſito tuo nequaquam adverſabor, ſed ita illud proſequar, ut à te egregie impleatur. Erat autem tempus hiemale, & nullus adhuc magnorum Principum ſignum Domini acceperat; ſed omnes circa [6] hoc ancipites fluctuabant, cum tamen [7] adhuc divini timoris ſtimulos aſſidue paterentur. Tandem vero Archiepiſcopus Tyrius à partibus veniens Orientis, & duriora nuncians; tam præſentes, quam etiam imminentes Orientalis eccleſiæ miſerias ita in auribus publicis deploravit, ut duo magni Reges Francorum & Anglorum tractandi gratia quidnam facerent terræ Jeroſolymitanæ ab

1. Ex quibus *Edd. pr.* 2. Pictavienſis *Ed. Antv.* 3. Hujuſmodi *Edd. pr.* 4. *Vide Notas.* 5. Arripere debuiſti? pio, *omiſſo* minime, *Edd. pr. Et tamen in Cod. ſuo* non *legi monuit Picardus.* 6. Hæc *Edd. pr.* 7. Ad hoc *MS. noſter.*

hoſtibus

hoſtibus liberandæ, [1] ad ſolenne colloquium [2] in terrarum confiniis cum Epiſcopis & Procerum ſuorum frequentia convenirent. Et quidem paulo ante, uti ſuperius expoſitum eſt, hoſtiliter diſcordaverant, nec finierant inimicitias, ſed induciis ad tempus ſuſpenderant. Verum in illo colloquio, dum religioſa intentione non ſua, ſed quæ Chriſti ſunt quærerent, nulla vel admodum languida priſtini rancoris irrepſit memoria, ſed omni propter Chriſtum ſimultate & quæſtione ita [3] conſopita ut ſepultam crederes, paribus votis & ſtudiis Chriſtiano negotio intenderunt. Itaque in multo devotionis fervore ſurgentes, ſignum Regis Regum in ejus mox militiam accingendi per manum memorati Archiepiſcopi acceperunt, & non tantum ſua, ſed etiam ſeipſos eidem [4] præclaræ militiæ devoverunt. Quorum exemplum Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, & [5] Comes Campaniæ, cum aliis [6] compluribus utriuſque regni nobilibus atque ingenti virorum militarium numero, hilari devotione amplexi, ipſi quoque ſigno Domini proprios inſignire humeros, ſeque pro ipſo laboribus periculiſque exponere glorioſum duxerunt. Statuto mox tempore quo iter arriperent, ad neceſſariam proviſionem & præpa-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur* ad ſolenne colloquium. 2. Terrarum ſuarum confiniis *Edd. pr.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* ſopita. 4. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* claræ. 5. Seneſchallus *MS. Pic.* 6. Quam pluribus *Edd. pr.*

rationem

rationem tanti itineris atque negotii de communi consilio ista sanxerunt, & redacta [1] in scriptis Episcoporum per omnes utriusque regni provincias direxerunt.

Statuta Regum in susceptione Crucis.

AD audientiam Romanæ ecclesiæ totiusque Christianitatis pervenit rumor ille miserabilis de destructione terræ Jerosolymitanæ & captione dominicæ crucis. Unde dominus Papa & Ecclesia Romana volens huic miseriæ [2] subvenire, optimum remedium omnibus qui crucem acceperint de consueta sedis Apostolicæ clementia ordinavit, videlicet quod à die, qua quislibet crucem acceperit, totius pœnæ sibi injunctæ habebit de peccatis suis, de quibus pœnitens fuerit & confessus, & similiter de oblitis [3] relaxationem. Ordinante igitur providentia Dei, domini Reges Francorum & Anglorum cum immensa multitudine Archiepiscoporum, Episcoporum, Baronum utriusque terræ, crucem Domini susceperunt: & de communi consilio statutum est, quod unusquisque (a) *1 Constit.* tam clericus quam laïcus decimam omnium reddituum suorum unius anni, & mobilium suorum quæ nunc possidet, excepto Blado istius anni, dabit ad subventionem terræ Jerosolymi-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* in scriptis, Episcopis *&c.* 2. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* subveniri. 3. *Deest* relaxationem *in MS. nostro.* (a) *Notulæ istæ marginales ad Constitutionum numerum pertinentes, desiderantur tam in Cod. nostro MS. quam etiam in Edit. Antverpiensi.*

tanæ; & de Blado futuri anni dabit similiter decimam. Excipiuntur libri & vestimenta, & vestes & tota Capella clericorum, & equitaturæ eorum, & ornamenta ecclesiarum, & similiter vestes, & equi, & [1] arma militum, & lapides
2. Constit. pretiosi utrorumque. Quicunque autem clericus aut laïcus crucem acceperit, nihil dabit, & de hominibus terræ suæ decimam habebit, exceptis burgensibus & rusticis, nisi assensu dominorum suorum crucem acceperint. Omnibus ergo hanc decimam legitime reddentibus de misericordia Dei confisi, medietatem [2] pœnæ sibi injunctæ condonamus, remissionem nihilominus [3] facientes & de decimis hucusque non legitime datis, & de peccatis oblitis. Si autem de aliquo dubium fuerit, quod legitimam decimam non dederit, per septem legales homines de [4] vineto ejus veritas inquiretur, & [5] hæc legitime fieri
3 Constit. sub anathematis vinculo præcipietur. Statutum est etiam à dominis Regibus, & ab Archiepiscopis & Episcopis [6] & [7] omnibus Baronibus concessum, ut quicunque clericus vel laïcus crucem acceperit, si redditus suos ante [8] invadiaverat, exitus hujus anni integre habeat; & transacto anno creditor redditus rehabeat; ita quod fructus, quos inde [9] perceperit, in solutionem debiti

1. Armatura *Edd. pr.* 2. Sibi pœnæ *Edd. pr.* 3. Facientes de decimis hucusque legitime non datis *Edd. priores.* 4. Vineto suo veritas *Edd. priores.* *At* vicenis [*f.* vicinis] ejus veritas *in Cod. suo legi monuit Picardus.* 5. Hoc *Edd. pr.* 6. Comitibus *addit MS. Pic.* 7. *Deest* omnibus *in Edd. pr.* 8. Invadiaverit *Edd. pr.* 9. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* acceperit.

compu-

computentur, uſuris non currentibus ſuper debitis ante crucem contractis, quamdiu debitor in peregrinatione erit. Omnes etiam tam clerici, quam laïci, qui in hac peregrinatione proficiſcentur, licite poterunt invadiare redditus ſuos ſive eccleſiaſticos, ſive alios, uſque ad tres annos: ita quod creditores, quicquid de debitoribus contingat, inde ſecuri [1] erunt. Sed & omnium eorum, qui in hac peregrinatione deceſſerint; pecunia ſua, quam ſecum attulerant, ad ſuſtentationem ſervientium ſuorum, & auxilium terræ Jeroſolymitanæ, & ad ſuſtentationem pauperum, juxta conſilium diſcretorum virorum, qui ad hoc ſtatuentur, dividetur. [2] Statutum eſt etiam ut nullus enormiter juret, & quod nullus ad aleas vel ad decios ludat; & quod nullus vario, vel [3] griſio, vel ſabellinis, vel eſcarletis utatur; & quod omnes tam clerici quam laïci duobus ferculis [4] ex empto ſint contenti, & quod nullus aliquam mulierem ſecum in peregrinatione ducat, niſi lotricem peditem, de qua nulla ſuſpicio habeatur, & quod nullus habeat pannos deciſos vel [5] laceatos.

4. Conſtit. *5. Conſtit.*

1. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* eſſent. 2. *V.* 1. *Conſtit.* P. 3. Griſo *Edd. priores.* 4. *Ita quoque MS. Pic. Antea deſiderabantur* ex empto. 5. Laceratos *Edd. priores.* Lace *vox notiſſima eſt Anglis.*

De exactione decimarum, & quomodo Imperator cum suis crucem accepit.

CAP. XXIV.

SOLUTO ergo cœtu, in quo Reges sumpto charactere dominico de assensu omnium, qui aderant, Episcoporum atque nobilium [1] ista decreverunt, illustris Rex Anglorum in proprium sub celeritate regnum transvectus, celebrem loco opportuno conventum instituit; & ea, quæ in partibus placuerant Transmarinis, Præsulum & Procerum Angliæ favore promptissimo roboravit. Tunc Archiepiscopus Cantuariensis, Episcopi Dunelmensis & Norwicensis, multique nobiles regni regio accensi exemplo, signum sacrum solemniter [2] susceperunt; plures quidem mera devotione, quidam vero minus sincere, id est, vel regia jussione, vel ut se Principi propensius commendarent, jussionem ejus præveniendam arbitrantes. Nec non [3] & multitudo copiosa clericorum & [4] militum, Burgensium & rusticorum, Regis & nobilium in cunctis Angliæ finibus sequi curavit exemplum, cum [5] & in provinciis eadem fierent Gallicanis. Exigebantur autem decimæ juxta formam præscriptam, tantæque peregrinationi sumptus necessarii studio pervigili præparabantur. Fredericus [6] quoque

1. Ita *Edd. pr.* 2. Susceperunt; quidam mera *Edd. pr.* 3. *Deest* & *in Ed. Pic.* 4. Militum Burgensium atque rusticorum: *Edd. pr.* 5. *Deest* & *in Edd. priorib.* 6. *Vide Notas.*

Impe-

Imperator Romanus non diu paſſus eſt memoratis regibus in hac parte, vel indevotior vel ſegnior inveniri. Convocatis itaque primis imperii, ingentis animi propoſitum declaravit: ornanſque ſolemniter ſigno dominicæ humilitatis imperialis apicem majeſtatis, ſubditis ducibus & gentibus formam efficaciſſimam præbuit. Tantus enim repente ad [1] ſuſcipiendam pro Chriſto peregrinationem periculoſiſſimam in magnis Ducibus & ferociſſimis Germaniæ populis fidei & devotionis fervor incanduit, ut dicere fas eſſet, *digitus Dei eſt* [2] *hoc.* Itaque fere cunctæ nominis Chriſtiani provinciæ ad maturandum iter propoſitum, immenſis apparatibus ſtudiiſque fervebant.

De rupto fœdere à Rege Francorum, & conſecuta morte Regis Anglorum.

CAP. XXV.

VERUM [3] ita fervente fidelium devotione Principum & populorum, antiqui hoſtis tam bona initia corrumpere geſtientis malitia non quievit. Cum [4] enim illuſtris Rex Anglorum in regno proprio quietus conſiſteret, &, prout tantum decebat Principem, ad futuram expeditionem modis ſe omnibus præpararet;

---

1. Suſcipiendum pro C. pereg. periculoſam in m. Ducibus, ferociſſimis *Edd. priores.* 2. *Sic & v. c. licet videatur legendum* hic: *ſic enim habetur Exod.* 8. *Auctor retulit.* Pic. 3. *Deeſt* ita *in Edd. priorib.* 4. *Deeſt* enim *in MS. Pic.*

Rex

Rex Francorum, neſcio unde ſtimulatus, rupta fide fœderis ſolemniter inter ipſos ſanciti uſque ad reditum utriuſque à partibus Orientis; & nulla ſigni dominici, quod ſocialiter ſuſceperant, reverentia habita, ſubito furore excanduit, & caſtrum [1] nobile, quod [2] Radulfi dicitur, eratque poſſeſſio Regis Anglorum, quorundam (ut dicitur) nequiſſimorum proditione improviſus uſurpator intravit. Quo ſucceſſu elatus, mutato vel potius exufflato expeditionis Jeroſolymitanæ propoſito, grandiora moliebatur. Quibus celeriter agnitis, Rex Anglorum ſuſcepti pii propoſiti gratia mitius agere ſtuduit, & mature transfretaturus, viros honoratos cum verbis pacificis ad prævaricatorem præmiſit. Verum ille ad omne blandimentum inflexus & rigidus, effrenatiore ſuperbia peſtilentibus cœptis incubuit. Cumque Rex Anglorum transfretaſſet, bonorum ſtudio virorum ad colloquium ſolemniter [3] convenerunt: Rex quidem Anglorum querelam rupti fœderis & illatæ ſibi injuriæ [4] poſiturus, Rex vero Francorum tanquam de [5] hiis rationem redditurus. At ſub hac quaſi fiducia rectitudinis, myſterium operabatur iniquitatis, uti ex eo, quod conſecutum eſt, dedit intelligi. Richardus enim [6] Pictavenſis tunc Comes, Regis Anglorum filius, qui ſignum Domini ([7] ut ſu-

1. *Vide Notas.* 2. *Chaſteau Rous in Diœceſi Bituricenſi.* Pic. *Pro* Radulfi *vero in Edd. priorib.* Rodulphi *legitur.* 3. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* venerunt. 4. *Ita quoque MS. Pic. Antea,* propoſiturus. 5. *Antea,* his. 6. Pictavienſis *in Edd. priorib.* 7. *Cap.* 23. *hujus libri.* P.

pra

pra dictum est) [1] primus acceperat, Francorum, ut creditur, astutia abstractus atque illectus, in ipso solemni Regum colloquio à patre deficiens, ad partes [2] transivit hostiles. Quo casu consternatus pater, cum causæ malorum ingravescerent, verbis pacificis cum [3] hiis qui [4] oderunt pacem aëre inaniter verberato discessit, nesciens penitus cui se crederet, cum tam infilialem jam filium expertus esset. Illico bellum utrimque instruitur, sed viribus animisque disparibus. Idem enim Richardus, quem pater ducatui Aquitanico præfecerat, parentem [5] sibi militiam ad partes Regis Francorum traduxit. Plurimi quoque [6] potentum Normanniæ, & Andegaviæ, sive Britanniæ, fide exufflata, manifeste jam à patre deficientes ad filium, in ejus gratiam Francorum auxerunt exercitum. Unde factum est, ut Regi Anglorum præter stipendiarios parcior assisteret numerus, & ipse quoque circa eum [7] nutabundus. Itaque Rex Francorum cum Comite [8] Pictavensi & infinitis copiis terram Regis Anglorum nullo obsistente ingressus, ad urbem [9] Cenomannensem, ubi idem Rex cum suo exercitu morabatur, pertendit. Quo ille cognito, cum & instructu copiarum ad subeundum belli discrimen se longe imparem cerneret & obsideri ab hostibus formidaret, incensa urbe & multa supellectile

1. Prius *Edd. pr.* 2. Transiit *Edd.pr.* 3. His *Edd. pr.* 4. *Ita quidem V. C. licet videatur legendum,* oderant. *Pic.* 5. Filii *pro* sibi *in MS. Pic.* 6. Potentium *Edd. pr.* 7. Mutabundus *Edd. pr.* 8. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* Pictaviensi. 9. Cinomannensem *MS. noster.*

abjecta

abjecta profugit, & [1] ipse quidem in tutiora se loca recepit. Porro exercitus, qui eum sequi videbatur, defluxit. Tunc Joannes filiorum ejus minimus, quem tenerrime diligebat, recessit ab eo, ne fratribus dissimilis & minus frater videretur. Hostes autem urbe [2] Cenomannesi cum arce potiti, urbem quoque Turonicam cum arce ejus procurrente impetu expugnarunt: de obsidenda quoque urbe Andegavensi consequenter tractantes. Tot malis Rex Anglorum anxius, & maxime ex junioris filii defectione animo saucius, quem dum [3] speciali amplecteretur affectu, ejusque immoderatius promotioni intenderet, seniorem filium irritasse videbatur, vexatione dante intellectum, manum Domini contra se attendit [4] extentam, eoque auctore ad castigationem malorum, quæ fecerat, tantam rerum mutationem repente circa se factam. Denique ex multa mœstitudine febrem accersivit, qua invalescente, post dies aliquot apud Chinonem vitam finivit. Hunc finem habuit inclitus ille Rex Henricus inter Reges [5] orbis terrarum nominatissimus, & nulli eorum vel amplitudine opum, vel felicitate successuum paulo ante secundus. Hostes vero audito ejus incommodo mitius agere cœperunt; & maturatis induciis bellum [6] suspenderant, cum ecce clarissimi

1. *Deest* ipse *in Edd. priorib.* 2. Cinomannensi *MS. nostro.* 3. Specialiter *Edd. pr.* 4. Executam *MS. Pic.* 5. *Deest* orbis *in Edd. priorib.* 6. Suspenderunt *Edd. pr.*

olim

olim ſideris occaſus nunciatur. Turbatus nuncio Comes [1] Pictavenſis ingemuit, & ad expiandum quod viventi patri minus officioſus extiterat, in officio paterni funeris vel ſero ſe filium comprobavit. Hoſtes quoque, qui excellenti gloriæ ejus & virtuti ſemper inviderant, extinctum lamentaſſe & laudaſſe dicuntur; omniumque ſenſibus expoſitum erat, quanta ſit vanitas atque fallacia [2] excellentiæ temporalis, cum illum, qui tantus paulo ante in orbe refulſerat, tam miſerabilis ſubito caſus abſumpſiſſet. Corpus ejus, prout ipſe in extremis pia devotione dictaverat, ad illud famoſum & nobile monaſterium feminarum (quod fons [3] Ebraudi [4] dicitur) deportatum, ibidem præſentibus filiis, atque aſſiſtente nobilium multitudine juxta magnificentiam [5] regiam, ſepultum eſt. Idem namque monaſterium, celeberrimæ religionis titulo inclitum, ſpecialiter vivus coluerat, & tantis prævenerat beneficiis, ut in eo potiſſimum juxta meritum votumque proprium corpori ſuo locum requietionis ſub expectatione finalis reſurrectionis deberet accipere. Silendum vero non arbitror, quod à quodam venerabili viro audiſſe [6] me memini aſſerente ſe idipſum accepiſſe à quodam religioſo ejuſdem monaſterii fratre ita narrante. Quæ-

1. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* Pictavienſis. 2. Gloriæ *pro* excellentiæ *in Edd. priorib.* 3. Ebrandi *Edd. pr.* Ebrardi *autem in Cod. ſuo vet. legi monuit Picardus.* 4. *Vide Notas ad* 200. *S. Bernard. Epiſt. Henrici autem ſepultura viſitur etiamnum in choro virginum Fonte-Braldenſium.* Pic. 5. *Deeſt* regiam *in Edd. priorib.* 6. *Deeſt* me *in Edd. pr.*

Uu dam

dam nostræ congregationis persona laudabilis [1] abundantiorem Regi Anglorum, tanquam præcipuo monasterii nostri patrono, affectum impendens, pro ejus salute Omnipotenti Domino propensius supplicabat: cumque desideraret nosse, quæ vel de misericordia, vel de judicio superni moderatoris eidem essent Regi eventura, ante tempus, quo Reges signum dominicum susceperunt, tale à Domino de Rege dilecto in somnis responsum accepit. *Signum meum super se levabit, sed in tormento tormentum portabit:* [2] *nam uterus uxoris suæ contra eum intumescet, & ad ultimum* [3] *cum velatis velabitur.* Hujus nimirum responsi veritas declarata est in ejusdem Principis devotione, qua dominicum sibi signum imposuit, & in [4] hiis quæ hanc ejus devotionem consecuta sunt, usque ad ejus inter velatas (prout superior narratio patefecit) sepulturam.

De moribus Regis Henrici.

CAP. XXVI.

SANE idem Rex & pluribus, quæ personam [5] ornarent regiam, fuisse noscitur virtutibus præditus, & quibusdam nihilominus vitiis obnoxius, quæ Christianum Principem plurimum dedecerent. In libidinem pronior, conjugalem modum excessit, formam quidem in hoc

---

1. Habundatiorem *MS. noster.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* jam. 3. *Abest à MS. Pic.* 4. His *Edd. pr.* 5. Ornant *Edd. pr.*

tenens

tenens avitam: ſed tamen avo hujus intemperantiæ palmam reliquit. Regina pro tempore ſufficienter uſus ad ſobolem, ea deſinente parere, ſectando voluptatem, ſpurios fecit: venationis delicias æque ut avus plus juſto diligens; in puniendis tamen poſitarum pro feris legum tranſgreſſoribus avo mitior fuit. Ille enim (ut ſuo loco dictum eſt) homicidarum & fericidarum in publicis animadverſionibus nullam vel parvam eſſe [1] diſtantiam voluit. Hic autem hujuſmodi traſgreſſores carcerali cuſtodia, ſive exilio ad tempus coërcuit. Gentem perfidam & Chriſtianis inimicam, Judæos ſcilicet fœnerantes propter largiora quæ ex eorum percipiebat fœnerationibus commoda, plus juſto fovit: in tantum, ut in Chriſtianos protervi & cervicoſi exiſterent, plurimaque eis gravamina irrogarent. In exquirendis pecuniis paulo immoderatior fuit: ſed temporis ſequentis ſupra modum excreſcens malitia juſtificavit eum in hac parte, & decentem modum ab eo innuit eſſe ſervatum: excepto eo, quod vacantes Epiſcopatus, ut provenientia perciperet commoda, diu vacare voluit, & eccleſiaſticis potius uſibus applicanda in fiſcum redegit. Hoc tamen opus minus regium tali excuſatione (ut dicitur) tueri nitebatur. Nonne melius eſt, ut pecuniæ [2] iſtæ impendantur neceſſariis regni negotiis, quam in Epiſcoporum abſumantur deliciis? Noſtri enim

1. Voluit diſtantiam *Edd. pr.* 2. *Deeſt* iſtæ *in Edd. priorib.*

temporis Præſules veterum in ſe formam minime exprimunt: ſed circa officium remiſſi & languidi, totis mundum brachiis amplectuntur. [1] Hæc dicens, infamem quidem notam noſtris Præſulibus inurebat: ad ſui [2] vero defenſionem, [3] inanem ratiunculam texebat. Sane in Eccleſiam Lincolnienſem, quæ ob ampliora commoda vacaſſe diutius noſcitur, gravius deliquit. veruntamen ante ſui obitus annos aliquot ad hoc ipſum expiandum delictum, eidem Eccleſiæ religioſi paſtoris ſollicitudinem ſtuduit providere. Clariſſimos ex [4] Alianore Regina filios habuit: ſed (ut digeſta ſuperius relatio declaravit) in filiis clariſſimis infeliciſſimus ipſe pater fuit. Quod utique Dei judicio ex duplicis cauſæ merito creditur accidiſſe. Eadem quippe regina Regi Francorum olim conjuncta, cum ejuſdem pertæſa copulæ, ad illius nuptias [5] aſpiraret, cauſas quæſivit divortii: ſolutamque à lege prioris viri, in facie Eccleſiæ, quadam (ut ita dicam) illicita licentia, ille mox ſuo accivit conjugio. Unde factum eſt, Deo ſubtiliter cuncta librante, ut ex ea in propriam perniciem præclaram ſobolem procrearet. Juſtum quoque erat, ut, qui filios nimis tenere diligens, pluribus nocuiſſe noſcitur, dum filiorum plus juſto promotioni intenderet, eorum vel improbis

1. Hoc *Edd. pr.* 2. *V.C.* nec. *P.* 3. *Recte dixit* inanem: *cum aliena injuſtitia non minuat noſtram, Angliaque, ſi tot habuiſſet Reges, quot Epiſcopos: his felix & præclara; illis, infelix ignobiliſque, paruiſſet.* Pic. 4. Alienora *Edd pr.* 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* adſpiraſſet.

[1] moti-

[1] motibus, vel immaturis mortibus vapularet. Hoc autem totum accidiſſe manifeſtum eſt, ſuperni utique examinis ordinatione pulcherrima. Porro quia nondum (ut credo) ſatis defleverat illius infeliciſſimæ obſtinationis rigorem, quem adverſus venerabilem Archiepiſcopum Thomam habuerat, tanti Principis tam miſerabilem fuiſſe exitum arbitror, ut dum ei Dominus in hac vita [2] pia ſeveritate non parceret, in alia illi vita, ſicut pium eſt credere, miſericordiam præpararet. Fuit enim in illo regni faſtigio tuendæ & fovendæ pacis publicæ ſtudioſiſſimus: in portando gladio ad vindictam malefactorum, quietem vero bonorum [3] miniſter Dei multum idoneus: rerum & libertatum eccleſiaſticarum, ſicut poſt mortem ejus claruit, defenſor & conſervator præcipuus. Pupillorum, viduarum, pauperum, in ſuis [4] præceptationibus multam curam habuit, & locis pluribus inſignes eleemoſynas larga manu impendit. Viros religioſos ſpecialiter honoravit: & res eorum æquo cum ſuis [5] dominicis jure conſervari [6] mandavit. Antiquam [7] atque inhumanam circa naufragos conſuetudinem in ipſis regni ſui initiis eximia pietate correxit: atque hujuſmodi hominibus ab æquoreo diſcrimine liberatis, humanitatis officium exhiberi præcipiens; graves in eos pœnas

1. Moribus *Edd. pr.* 2. *Sic etiam MS. Pic. Antea omittebantur* pia ſeveritate. 3. Dei miniſter *Edd. pr.* 4. *Ita è MS. noſtro.* Præceptionibus *Edd. aliæ.* 5. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* dominiis. 6. Præcepit *Edd. pr.* 7. *Deeſt* atque *in Edd. priorib.*

ſanxit,

ſanxit, qui forte illis in aliquo moleſti eſſe, vel de rebus eorum quippiam uſurpare præſumerent. Nullum grave regno Anglorum, vel terris ſuis Tranſmarinis onus unquam impoſuit: uſque ad illam noviſſimam decimationem, cauſa expeditionis Jeroſolymitanæ, quæ nimirum decimatio in aliis æque fiebat regionibus. Tributum more aliorum Principum ſub cujuſlibet neceſſitatis obtentu eccleſiis ſive monaſteriis nunquam indixit: quibus etiam ab angariis & exactionibus publicis religioſo ſtudio immunitatem ſervavit. Diſcrimen ſanguinis & mortes hominum exhorreſcens, armis quidem, cum aliter non potuit, ſed libentius pecuniis, cum potuit, pacem quærere ſtuduit. [1] Hiis aliiſque bonis perſonam ornans regiam, multis [2] tamen, ad ſola ejus mala oculos habentibus, gratus non fuit. Ingrati homines & converſi in [3] arcum pravum, proprii mala Principis aſſidue carpebant: bona vero nec audire ſuſtinebant, quibus utique ſequentis temporis ſola vexatio jam dedit intellectum. Quippe præſentium malorum experientia, bonorum ejus induxit memoriam: atque hominem in diebus ſuis fere omnibus tam inviſum, egregium & utilem fuiſſe Principem declaravit. Salomonem quoque Regem pacificum, qui populum Iſraëliticum ad ſummi honoris

1. His *Edd. pr.* 2. Tantum ad ſola *Edd. pr.* 3. Animum *pro* arcum *in Edd. priorib.* Arcum *tamen in ſuo Cod. legi monuit Picardus.* Et certe aptius (*inquit ipſe Picardus*:) reſpexit enim Auctor illud Pſal. 77. converſi ſunt in arcum pravum.

honoris faſtigium & præclaras divitias extulit, eidem tamen populo minus placuiſſe, verba illa ad filium ejus ſatis inſinuant: [1] *Pater tuus aggravavit jugum noſtrum: tu allevia jugum noſtrum, & ſerviemus tibi.* Porro quod idem filius conquerenti populo, puerili levitate comminando reſpondit, ſcilicet: [2] *minimus digitus meus groſſior eſt lumbis patris mei. Pater meus aggravavit jugum veſtrum; ego addam jugo veſtro. Pater meus cæcidit vos flagellis, ego cædam vos ſcorpionibus.* quod, inquam, ab illo leviter dictum eſt, ad tempora noſtra non leviter redundat, & noſtris aptiſſime temporibus congruit: & tamen populus inſipiens cum minori nunc querela ſcorpionibus cæditur, quam ante annos aliquot flagellis cædebatur. Obiit autem illuſtris Rex Anglorum, [3] Dux Normannorum & Aquitanorum, & Comes Andegavenſium, Henricus II. anno regni ſui XXXV. anno, ex quo ſignum Domini ſuſcepit, ſecundo, biennio Chriſtianæ in Oriente debellationis exacto.

De laborioſa & moroſa obſidione Acræ. CAP. XXVII.

SANE cum juxta digeſtam ſuperius narrationem memorati inter ſe Reges contenderent, & fœdus, quod cum Chriſto paulo ante

1. 2 *Paral.* 10. & 3 *Reg.* 12. Pic. 2. *Reſponſio eſt ejuſdem Roboam filii Salomonis ad Judæos ſup.* Pic. 3. *Ita quoque MS. Pic. Antea omittebantur,* Dux Normannorum & Aquitanorum, & Comes Andegavenſium.

pepi-

pepigerant, minus obſervarent, licet ille excuſabilis videatur, qui à proſequendo pio propoſito non voto eſt proprio, ſed vi externa deflexus: Fredericus Imperator Romanus tantæ vecordiæ jure ſuccenſens, eoſdem non expectandos cenſuit, ſed filio ſeniori, quem Regem Longobardorum conſtituerat, imperii cura commiſſa, cum filio Suevorum Duce per Pannonias Thraciaſque iter facturus, tempore congruo peregrinationem arripuit, ducens ſecum maximas atque fortiſſimas Germanicarum gentium copias. De regno quoque Francorum Jacobus de Aveniis, vir fortis & nobilis cum aliis plurimis, nec non & ex aliis regnis Chriſtianis armata manus [1] non modica, Imperatore Latino propter Græci Imperatoris perfidiam per ſubditas illi regiones moroſe tranſeunte, liquidi [2] itineris compendio Tyrum venerunt: atque annitente Marchione, qui eidem urbi pro tempore præſidebat, cum Templariis & hoſpitalariis [3] Tholomaidam (quæ nunc Acra dicitur) [4] valido fultam præſidio obſederunt. Et ne urbem à facie habentes, hoſtilis exercitus impetu à tergo premerentur, vallum ſibi firmiſſimum circumduxerunt. Saladinus vero mox cum infinitis Turcorum copiis affuit, fixiſque circa vallum tentoriis, [5] quotiens noſtri urbem impetebant,

1. Immodica *MS. Pic.* 2. Iteneris *MS. noſter.* 3. Ptolemaidem *Edd. pr.* 4. *Sic etiam MS. Pic. Antea,* valido obſederunt exercitu. Et ne &c. 5. Quoties *Ed. Pic.*

bant, Turci in vallum impetum faciebant. Unde factum est, ut cum summo [1] nostrorum labore atque periculo diutius obsidio traheretur, dum & nostri maris beneficio subsidia caperent, & Turci virorum, armorum & ciborum copia urbem captata flatuum opportunitate munirent. Quomodo autem eadem civitas tandem expugnata sit, postquam Christianum exercitum diu multumque exercuit, quæ minimo negotio in manus hostiles inciderat, suo loco dicetur.

De morte [2] Willelmi Regis Siciliæ, [3] & de malis quæ per illam contigerunt.

CAP. XXVIII.

EODEM tempore aggravata est manus Domini super nostros in summis angustiis constitutos: præcipuum illis subtrahendo patronum, illustrem scilicet Siciliæ Regem & Apuliæ ducem Guillelmum, cujus utique religiosa & potenti opera pauperculæ illæ Christianitatis in Syria reliquiæ potissimum conservatæ noscuntur. Quas profecto ab initio desolationis, competentibus subsidiis sublevare curavit: cum nec à regnis remotioribus quicquam possent percipere, & Saladini ob recentem victoriam vehementius excandesceret [4] feritas. Et quidem illius sublatio tolerabilis utcunque fuisset, nisi

1. Nostro *Edd. pr.* 2. Guillelmi *Edd. pr.* 3. *Hæc absunt à MS. Pic.* 4. Severitas *MS. Pic.*

post eum exitialis de regni succeſſione altercatio emerſiſſet; qua nimirum regiones clariſſimæ ita turbatæ ſunt & deſolatæ, ut Chriſtianis in Syria laborantibus nihil poſſet exinde ſolatii juxta morem priſtinum miniſtrari. Hujus autem turbationis cauſa noſcitur extitiſſe, quod idem Rex uxore ducta Regis Anglorum filia, & ex ea ſobole non ſuſcepta deceſſit. Porro ejus conſobrina, cui eo mortuo regni competere videbatur hereditas, Regi Longobardiæ, Teutonici Imperatoris filio, nupſerat. Verum [1] Siculi Apulique, Alemannicam execrantes ditionem, virum nobilem de ſtirpe Regum priorum Tancredum cum favore ſedis Apoſtolicæ Regem ſibi creaverunt. Unde motus Rex Longobardiæ bellum eis indixit; & paulo poſt patre ex hac vita rapto, ut ſuo loco dicetur, ad apicem ſublimatus imperii, Italicum atque Teutonicum furore implacabili immiſit eis exercitum. Qualem autem hæc imperatoria expeditio exitum habuerit, alius exponendi locus erit. Rerum igitur Siculārum Apularumque tanta turbatio, Chriſtianis in Oriente reliquiis uberrimum conſueti fructum præcidit auxilii. Et noſtræ quidem hiſtoriæ librum hîc tertium terminamus, ut in ea quartus cum regno illuſtris Regis Richardi liber incipiat.

Explicit liber tertius. Incipiunt capitula libri quarti.

1. *V. C. addit* quia. *Pic.*